BRIGHTON AND SUSSEX

Medico-Chirurgical Society.

EXTRACT

FROM THE

REGULATIONS OF THE LIBRARY.

5. All books shall be returned half-yearly, on January 1 and July 1, that they may be inspected by the Committee.

6. Any member having had a book out in his name for a fortnight detaining it after it has been applied for by the Honorary Secretaries, shall be fined sixpence per day for each volume so detained.

7. Each member shall be held accountable for and shall make good any injury to or loss of any volume or series of volumes belonging to the Society while in his possession.

8. Any member who may notice an imperfection of any volume belonging to the Society is requested to make the same known to the Librarian.

Fièvres contagieuses et sporadiques.

espérance, si douce et si attrayante pour le cœur sensible d'une femme, de pouvoir devenir un jour amante, épouse et mère . . . . ! Il faut se hâter de conclure qu'il n'y a, dans l'état actuel de la société, que les idées religieuses, imprimées de bonne heure dans le cœur, qui puissent faire faire de semblables sacrifices, porter à un pareil dévouement, et en donner l'habitude . . . . Qu'on essaie de mettre à leur place des femmes qui n'auroient pas les mêmes principes, et l'on verra, si elles restent, ce qu'elles feront. . . . . L'auteur a eu l'idée ingénieuse de mettre sous les yeux de quelques-uns de ses confreres, qui ne partagent pas son opinion, et qui cependant croient bien connoître l'homme, un parallèle fort bien fait, de la différence infinie qui existe entre la morale dite philosophique, et les idées religieuses, appliquées aux deux conditions les plus opposées de la vie: celle d'un *heureux*, selon le monde, et celle d'un homme *malheureux* à la fois par le cœur, la fortune, les maladies . . . . . Et il considère la différence de consolations, nulles dans l'un des cas, toutes-puissantes dans l'autre, selon qu'elles seront données au nom du pur matérialisme, qui n'offre que le néant pour terme de maux incurables; ou de la religion, qui marche accompagnée de tant de consolations, et soutenue par l'espérance: l'*espérance* (que ce mot a de magie!) » Ce n'a pas été sans le plus vif plaisir, que nous avons vu notre auteur employer tous les moyens d'éloquence et de persuasion à donner une grande extension à l'opinion qu'il s'est formée depuis long-temps sur les moyens qu'il regarde comme les plus convenables pour diriger la morale de l'homme, pour prévenir ou combattre ces tristes pas-



Dictionnaire des sciences médicales.

le second ne soit pas à l'abri de la critique, quant au développement de la doctrine; mais, pour l'exactitude du vocabulaire, il eût été à propos d'insérer le terme primitif EXHALANT. Au reste, tout hypothétique qu'il paroisse être, le travail vraiment neuf et plein d'intérêt de l'auteur, à qui on doit précédemment l'article aussi important des maladies du COEUR, explique l'énigme de l'attribut *parcus*, dont le motif, pour les lecteurs exigeans, consiste dans le regret de ne cueillir que de loin en loin les fruits d'un bon arbre.

EXHUMATION est un objet de police médicale, auquel M. le docteur Marc a mis la plus grande attention.

J'aperçois deux autres mots expliqués par M. JOURDAN: savoir, EXOMPHALE et EXOPHTALMIE. Le premier article sent un peu le cabinet, et le second n'est pas assez médical. L'anneau de l'oubilic venant à se fermer, et acquérant avec l'âge une consistance ligamenteuse, les échappemens herniaires se font, pour la plupart, bien plus rarement au centre ombilical que dans le pourtour. Cette considération semble avoir échappé à notre collègue.

Quant à l'EXOPHTALMIE, je conviens que l'article est traité avec le même soin que l'auteur apporte à toutes les parties de la médecine et de la chirurgie oculaires; mais j'aurois désiré un peu plus de détail sur les prédispositions d'un accident qui, par exemple, procède quelquefois d'une affection spasmodique, telle que la dentition, et disparoît avec la cause.

Le mot EXOSTOSE a fourni à M. Cullerier l'occasion de circonscrire son sujet dans de justes li-

1547
CHIR.

# HISTORIA
## *ANATOMICO-MEDICA,*
### SISTENS

*Numeroſiſſima Cadaverum humanorum Extiſpicia quibus in apricum venit genuina Morborum ſedes; horumque reſerantur cauſæ, vel patent effectus.*

*Tomus I.*

# HISTORIA
## *ANATOMICO-MEDICA*,
### SISTENS

*Numeroſiſſima Cadaverum humanorum Extiſpicia, quibus in apricum venit genuina Morborum ſedes; horumque reſerantur cauſæ, vel patent effectus.*

### OPUS QUADRIPARTITUM,

Cujus Liber primus recenſet læſiones internas abdominis. Secundus exhibet variam ſtragem pectoris. Tertius prodit diverſam labem cerebri. Quartus verò vitia externa colligit.

*Auctore* JOSEPHO LIEUTAUD, *Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis, & Societatis Regiæ Londinenſis; Cubiculario* SERENISSIMI DELPHINI, *necnon* STIRPIS REGIÆ *Medico.*

Recenſuit & ſuas obſervationes numero plures adjecit, uberrimumque indicem noſologico ordine concinnavit ANTONIUS PORTAL Doct. Med. & Societatis Regiæ Scientiarum Monſpelienſis necnon SERENISSIMI DELPHINI Profeſſor Anatomes.

### TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,

Apud VINCENT, Sereniſſimi Comitis GALLO-PROVINCIÆ Typographum, viâ Sancti Severini.

M DCC LXVII.

*CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.*

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

*Perilluſtri*

*Et clariſſimo Viro*

*JOANNI SENACO,*

*Acad. Reg. Pariſienſ. & Londinenſ.*

*Socio,*

*Et Archiatrorum Comiti,*

*Hoc Opus*

*Qualecumque, ipſo annuente & impellente*

*Suſceptum;*

*Ejuſque Obſervationibus*

*Locupletatum*

*Inſcribit Author.*

# PROŒMIUM.

CUM nihil antiquius habuerim, quàm ut utilitati publicæ, nullis parcens laboribus, conſulerem, ſubiit in mentem, alteram anatomes partem, ſcientiam nempè clinicam reſpicientem, tradere; ut ſcilicet, quæ in ſynopſi praxeos medicæ, intrà arctiores & anguſtos limites, pro inſtituti ratione, perſtringebam, nunc diffuſiora, & dilucidiori ordine prodeant. Quanti ſit momenti ad ſanioris medicinæ proceſſum hæc ars præſtantiſſima, incidendi & luſtrandi cadavera, ſatis ſuperque notum manet. Illud equidem clinicis, vel inter ægros aſſiduè verſantibus, primum incumbit munus, ut in morbis cognoſcendis valeant; priuſquàm ad medelam ſeſe accingant. Egregiè verò conferre, ad elucidandam diagnoſeos doctrinam, accuratam morbo denatorum perſcrutationem, quâ ad intimos abditoſque organorum receſſus paratur aditus, neminem peritum fugit; nec latet, duplicem eſſe anatomes ſcopum; primum ſcilicet; ut referentur ſitus & fabrica partium, juxtà ſancitas à naturâ leges conſtitutarùm; & hæc ſcientia præcipuam medicinæ theoricæ baſim præbet: alterum verò ut pateat natura morboſa; nimirum ut expiſcetur, & oculis ſubjiciatur labes organica, quam aliàs altè deliteſcentem meris duntaxat conjecturis aſſequi licet. Hæc eſt medicinæ practicæ gubernatrix, vel juxtà perſpicaciorum mentem cynoſura, cujus ope declinari ſolent ſcopuli è procelloſo praxeos pelago emergentes; quos apprimè nòrunt ſolertiores, vel nonnullis infortuniis moniti, ac nequidem ſubolfaciunt inexperti

& imperiti, quorum potior pars, ſoli lucro inhians; nobiliſſimam artem turpi queſtu fœdare ſolet.

Haud dubitare licet quin ab accurato viſcerum ſcrutinio interna innoteſcant vitia, ut plurimùm atra inter vitam, caligine obruta, comperiatur nempè horum genuina ſedes; extricentur nonnullæ cauſæ, aliàs imperviæ; tutiorque pateat, (benè perſpectâ morbi indole,) curandi ritus; aut ſaltem accuratior inſtituatur prognoſis, ubi non licet reſcindere mandata fatorum: ſub quo infelici rerum ſtatu pro ultimâ metâ laborum haberi poteſt, hæc futurorum ſcientia. In hoc cardine verſatur tota gravis & altiſſima ſcientiæ medicæ moles, cui parcit temporum injuria; dum medicina ſpuria, inani doctrinâ, vel hypotheſibus innixa, per ſe funditùs ruit, aut leviter impulſa delabitur. Etenim apud omnes eximioris notæ medicos in confeſſo manet, ſolâ exenteratione cadaverum, morbo peremptorum, promoveri poſſe artem medicam; cùm haud aliâ clavi reſerari queant abditiora naturæ morboſæ penetralia, in quibus genuinam morbi & mortis cauſam, ni deleterii inſtar oculorum aciem fugiat, perquirere licet: nec inficias imus quod noſtræ ſubſtrahatur indagini, hic decantatiſſimus latex, qui primaria audit cauſa luis venereæ, ſcrophuloſæ, ſcorbuticæ, arthriticæ, &c. ſed patet labes quam organis imprimere ſolent hæc virulenta miaſmata, quam ſcilicet apprimè noſſe multùm intereſt; cùm exhinc prodeant procelloſa & exitium minantia ſymptomata quæ, prætermiſſo interdùm morbo legitimo, peculiarem, & quam fieri poteſt, celerrimam curam ſibi vindicant.

E recto deflectuntur tramite qui morborum phænomena alibi quàm in hoc genuino fonte, nimirùm in cadaveribus peculiari arte eviſceratis, quærere ſolent. Poſthabito quidem anatomes practicæ ſtudio, nihil præter commenta in rebus medicis obtruditur: quandoquidem illud ſolum in medendi arte pro certo habendum quod ſenſibus percipi & experimento demonſtrari valet. Ratum manet apud oculatiores, qui numeroſis ſectionibus interfuerunt, altiſque cogitationibus indulſerunt, latiſſimum eſſe naturæ morboſæ

morboſæ theatrum; adeò ut vita humana ad hoc vel obiter luſtrandum vix ſufficiat; quidquid obganniant nonnulli ſcioli qui cadaverum conſpectum averſantes & relatum naturæ morboſæ rimatorum deſpicatui ducentes, futile eſſe oculorum miniſterium prædicant: ad anticyras mittendi qui omnem fingendis hypotheſibus operam impendentes, nil rectum putant niſi quod ipſi commenti ſunt: quos non pudet, peſſimè ſe gerentes, ut fidem malè partam ſtabiliant, ſalubriora medicinæ præcepta convellere, & litterarias quiſquilias effutire ut aures titillando incautorum fatuorumve admirationem ſibi concilient, qui uno verbo vulgi mentem ludificari palmarium exiſtimant.

Illud ſolemne medicis, vel prioris notæ, ut inter extricanda variorum morborum organicorum enigmata anxii hæreant; & nonniſi poſt decumbentis interitum, vel ejus viſcerum intuitum, inter ſe dimicantes erudiantur. Hancce caliginem diſcutere valet autopſia anatomica, quâ prius edocti peroptatam metam aſſequi valent. Aliàs futili morborum nomenclaturæ, & meris commentis inhærentes, ſuam artem acerbis & turpibus diſputationibus temerant; ac præpoſterâ medelâ morbos ſibi commiſſos aggrediuntur; utpotè magna moliantur & turpia efferant: quibus ſcilicet magis arridet phyſices pomeria pervadere, quàm confragoſum medicinæ iter perſequi. Equidem nil magis genuinæ medicinæ proceſſui officit, quàm inepta commenta imperitæ & incautæ juventuti obtruſa, quæ quotidie primo cogitationis impetu, tanquam è ſatis à Cadmo ſerpentis dentibus emergunt, quæ ubi tenellis animis primùm inſederunt, vix unquam mutari patiuntur. Quam verò ſibi obtemperantibus, vel inanis gloriolæ aucupio obcæcatis, pronum ſit laſcivientis ingenii partui indulgere, nemo non videt; nec minùs obvium quàm arduum ſit & difficile, veram ſcientiam medicam proſequi exenterationi cadaverum aſſiduè incumbendo, quorum horror in omnium animis altè inſidet: præſertim ſi jam olida tetrum & viroſum odorem ſæpiùs ſpargant, haud citrà preſenti vitæ diſcrimine hauriendum, uti patet variorum proſectorum exemplo; qui, quamvis poſthabitâ cautelâ, vel formidinis

neſcii, curioſitatis pœnas luerunt. Hiſce difficultatibus & anguſtiis addere licet conſanguineorum aliorumque affinium tralatitiis præjudiciis obcæcatorum luctamina, alioſque obices quibus impeditur quominus cadavera cultro anatomico ſubjiciantur. Hinc ſummis laudibus excipiendi qui, ab omni mentis ludibrio alieni, ſuperatis quibuſcunque obicibus, ac poſthabitis ineluctabilibus ærumnis, quæ ſolita litteratorum ſtipendia audiunt, huicce labori ſe impavidos objiciunt; &, quocunque excuſſo metu, à propoſito nuſquam deflectunt, diſtrahique minimè patiuntur.

Conſtat ex antiquiſſimis hiſtoriæ monumentis, haud prorsùs latuiſſe priſcos medicos hanc præſtantiſſimam ſcientiæ clinicæ partem, quæ multis paraſangis cæteras poſt ſe relinquit. Nec dubitare licet quin Ægyptii ſacerdotes condienda raptim rimarentur corpora; quæ cæteroquin ſuperſtitioſâ veneratione, excepta introſpicere nefas habebatur. Sed parùm conducebant illæ rudes indagationes, donec *Æſculapius*, non Epidaurius nec Græcus, uti ſomniarunt poëtæ, ſed Memphi natus, corpora humana ſecanda curavit; ut ſibi, ad altiora tendenti, innoteſcerent partium fabrica, ſimul & morborum cauſæ, ni quærentium oculis ſe ſubducerent. *Æſculapii* veſtigia premere ſummo honori ducebat latiſſima *Aſclepiadum familia*; è quâ non ſolùm prodierunt reges & ſacerdotes quos obſcura fama recondit; ſed ipſemet *Hippocrates* æternâ memoriâ dignus, cujus tamen opera rudioris anatomes, ſi accuratam cordis hiſtoriam excipias, ſpecimen præbent.

Dein parùm inter caliginoſa tempora proficiebat anatome, à priſcâ medicorum gente adumbrata, ac fortè philoſophorum garrulitate extincta; cùm, multò poſt, *Eraſiſtratus*, inter medicos Græcos celeberrimus, Seleucho primo addictus, cujus filium Antiochum, amore percitum, & ad incitas redactum, ſtupendâ ſolertiâ curavit, accuratiori cadaverum hactenùs quaſi inviſorum examini invigilavit, ut præſertim ſcrutaretur morbi rationem & mortis cauſam. Nec minori encomio celebrandus venit *Herophilus*, ſcholæ Alexandrinæ parens & decus, qui ſexcenta, uti fertur, hominum cadavera, annuente & favente Ptolo-

meo Lathuro, ſectioni tradidit; & inveſtigandis internarum partium læſionibus, ſtrenuam operam navavit. Hinc haud immeritò inter primos rei anatomicæ cultores recenſeri debent bini poſtremi & coævi authores, quorum opera, proh dolor! ætatis barbarie perierunt.

Occubuit in poſterum anatome, per quingentos circiter annos tenebris quaſi damnata, donec *Galenus*, alter medicinæ parens & anatomiæ vindex, ſuo ingenio ductus propria inventa, vel à præceptoribus priſciſve ſcriptoribus accepta, tradiderit; qui primus ſectionis modum aperuit; ac inter anatomicos nomen immortale ſibi comparavit; etſi ſimiarum deſcriptionem hominibus applicuiſſe inſimulatur. *Galeni* induſtriâ & labore reviviſcens, quantùm ferebat ætas, anatome iterùm evanuit, nec niſi poſt annorum chiliada caput rursùs extulit; tempore nimirùm quo inclaruerunt *Veſalius* & *Euſtachius*, ſcriptores coëtanei, & celebriorum anatomicorum anteſignani, qui cadaverum humanorum ſectionem ſingulari & ſtupendâ induſtriâ, etſi aliis curis minimè ſoluti, proſequuti ſunt.

Dein calcato tramite in hâcce paleſtrâ deſudare haud detrectârunt innummeri cujuſvis ſubſellii medici; ſenſimque mos invaluit, præſertim in noſocomiis, ut ægrotantium cadavera cultro anatomico ſubjicerentur. Hinc prodierunt innumeræ obſervationes anatomico-medicæ, quæ ſparſim occurrunt in immenſo veterum librorum acervo; quos pervolvere vix quibuſdam eruditis licet. Ideo parùm profecit ars medica; cùm omnes ferè practicos latebant hæ ſparſæ obſervationes, nec magis innoteſcebant libri has recondentes divitias, quorum plerique ſitu & pulvere ſqualebant.

Hoc litterarum medicarum infortunio permotus *Thomas Bartholinus*, quem nominaſſe ſat eſt, de hiſce colligendis cogitavit, ut opus collatitium & expectâtiſſimum conderet; quod in fine laborans, vel planè abſolutum, lugendo fato, Vulcanus hauſit; adeò ut fidem minimè liberaverit egregius author, jam properans ad ſenectutem; qui aliàs ſedulus & diligens ſcriptor exquiſitiorum id genus obſervationum à proprio penu depromptarum copiâ

medicinam antehac ditaverat. Haud abſimile propoſitum habuit & feliciùs abſolvit *Theoph. Bonetus*, qui obſervationibus è cadaverum extiſpiciis depromptis, huc & illuc ſparſis, colligendis indefeſſo labore incubuit; undè prodiit opus anatomico-medicum ampliſſimum, quod ad umbilicum quaſi perduxit *Jacobus Mangetus*, qui nullis parcens laboribus, hanc materiam, exeunte nuperrimo ſæculo, penitùs exhauſiſſe videbatur. Sed, pace horumce illuſtrium virorum, liceat animadvertere, quòd hoc opus, jam ſeneſcens, Sepulchreti nomine inſignitum, inter varia exquiſitiſſima, & ſcitu ſanè quidem digna, pluribus ſcateat obſervationibus rudi ſtylo, & inconcinno ordine ætatis barbariem redolentibus, meris hypotheſibus contextis, ſeptuoſis & mendacio adulteratis, verborum luxuriâ, vel ambage ſolertioribus inviſis; quæ demùm etiam chartis impalleſcere ſolitis tædium pariunt.

Pauca dein prodierunt opuſcula ejuſdem argumenti, vix memoratu digna, donec *Morgagnus*, inter anatomicos famigeratiſſimus ſuas numeroſiſſimas, unà cum *Valſalvianis*, obſervationes typis mandaverit, probæ fidei ſcriptor, jamdudùm à teneris quaſi unguiculis, debito encomio celebratus; omni laude major ni genio plus æquo indulgens diffuſiori & intricatiori ſtylo diſſeruiſſet, & ordine parùm, ni fallor, compoſito ſua ſcripta, alioquin elaboratiſſima, obſcuraſſet. Præterea, ignoſcat clariſſimus author; hiſtoriis amplioribus quàm par eſſet prolixiora adjecit ſcholia; ut nihil addam de variis obſervationibus ſanorum cadavera reſpicientibus; non ſecùs ac de multis corpora morboſa ſpectantibus, in quibus planè deſideratur hiſtoria morbi.

Præter hæc rerum anatomico-medicarum collectanea, omnium ſanè manibus terenda, quæ tamen perfunctiorè inſpiciunt, vel feſtinanter pervolvunt nonnulli medici, lectitandi ſatietate brevi capti; aliæ id genus innumeræ proſtant obſervationes in variarum Academiarum Commentariis, in Actis ſcilicet Pariſienſibus, Londinenſibus, Lipſienſibus, Berolinenſibus & Petropolitanis; in Ephemeridibus naturæ Curioſorum, in Inſtituto Bononienſi, in Adverſariis chirurgorum Pariſienſium, in Diariis medicis, Eruditorum, aliiſque

libris, quotannis vel ſtatis temporibus in lucem prodeuntibus; quorum ſeries immenſa rariſſimè in medicorum vel peritiſſimorum Muſeis occurrit; & latiſſimam medentium plebem penitùs fugit, qui ſanè ab hâc ingenti librorum mole deterreretur.

Nec deſunt obſervationes ex autopſiâ anatomicâ concinnatæ in nuperrimis medicorum ſcriptis, inter quos eminent *Ruiſchius*, qui ſtupendâ induſtriâ, cæteris palmam præripiens, naturæ humanæ arcana reſeravit; & primatum inter oculatiſſimos duxit; *Boerhaavius* præclarus ſcientiæ medicæ arbiter, cujus famam vix totus capiebat orbis, & è cujus ſcholâ plures prodierunt eruditi quàm milites ex equo Trojano; *Senacus* medicinæ antiſtes, omnigenâ eruditione conſpicuus, rei medicæ, anatomicæ & chymicæ accuratiſſimus & diſertiſſimus ſcriptor. *Hallerus* multiplici ſcientiarum genere inſignis & Muſarum alumnus, qui omnes abditos medicinæ theoricæ receſſus improbo labore luſtravit, innumeraque & probatiſſima opera litteris conſignavit; *Van-Swieten* præclarus Boerrhaavii interpres, litterarumque medicarum decus & præſidium, qui praxi medicæ promovendæ & juvandæ ſtrenuam operam navavit; *Pringlus* multiplici experientiâ fretus, & naturæ morboſæ ſcrutator eximius; qui multigenis obſervationibus, inter congeneres coruſcantibus, medicinam ditavit. *Tiſſot* candidiſſimus & multiſcius ſcriptor, omnique præconio major, qui artem medendi à priſcæ medicinæ barbarie & ſpurcitie vindicavit; iterque ſalebroſum & aſperum ſcitè explanavit. *Huxhamus* in ſcientiâ medicâ peritiſſimus, qui venerandâ vetuſtatis rubigine minimè obcæcatus, rem medicam ad experientiæ rationalis incudem revocavit. *Haem* praxeos diligentiſſimus excultor, qui exquiſitiores & ſelectiores obſervationes medicas tradidit. *Storck*, qui ad ſolertiſſimorum practicorum gradum provectus, materiam medicam inexpectatis remediis, experientiâ duce, locupletavit; & à tritâ viâ recedere haud gravatus eſt. *Haſenohlt* cujus ſcripta, cæteroquin eximia, Auguſtæum ævum ſapiunt; *Sauvages* qui mathematicis diſciplinis inſtructus & in hiſtoriâ naturali verſatiſſimus

medicinam multiplici eruditione excoluit; *Imbertus* qui præter varios labores medicos, in illuſtrandam lapidum biliarum hiſtoriam ſingularem curam adhibuit. *Fournier* autopſiâ anatomicâ edoctus, inter egregios praxeos medicæ cultores recenſendus. *Faaderus* de re medicâ benè meritus, qui morbo denatorum exenterationi ſtrenuè & ſummâ diligentiâ incubuit. *Portallus* demùm qui ſextum luſtrum nondum emenſus, altis & præmaturis cogitationibus ætate majores æmulatur, & inter anatomicos Pariſienſes primi ordinis jure numeratur: aliique plures per quos profecimus prioris ſubſellii medici, ſuis laudibus minimè defraudandi, quorum nomina, ne ingrati animi notam incurramus, paſſim in hoc opere proſtant.

Addere juvat varios authores de re chirurgicâ optimè meritos qui ſcientiâ anatomicâ edocti inſignes laudes adepti ſunt. Nemo non novit celeberrimum *Petiium* chirurgiæ clinicæ cultorem eximium, qui inter ſolertiores coëtaneos omne tulit punctum: *Morandum* latiſſimâ famâ nulli ſecundum & multiplici nomine ſuſpiciendum, qui inter artis proceres jumdudùm celebratur; *Lecat* doctrinâ phyſicâ inſtructus qui encheireſim chirurgicam ſtupendâ induſtriâ inſtauravit; alioſque benè multos authores chirurgicos, qui hiſtorias anatomicas ab extiſpiciis morbo extinctorum depromptas, & ad noſtrum uſum accommodatas ſcriptis mandârunt. Quoniam verò prædicti utriuſque ordinis auctores hanc Spartam minimè exprofeſſò coluerunt; & obſervationes medicas pro re natâ tantummodò protulerunt; haud mirum ſi in aliarum rerum copiâ quaſi immerſæ ægrè deprehendantur; adeò ut abſonum nequaquam ſit aſſerere quod in uſum publicum minimè veniant.

Exhinc colligitur immenſam requiri librorum ſupellectilem, in quibus paſſim latent quædam obſervationes eximiæ, quas nonniſi indefeſſo & tædioſo labore reperire licet; nedum nitidè oculis & menti occurrant; adeò ut pro inopibus divitiis haberi queant; circà quas notandum incumbit, quod præter rei præſtantiam & momentum, quibus diverſum gradum merentur; pro ſcriptorum fide, doctrinâ, vel imperitiâ, aliæ aliis longè antecellunt; &

ab invicem ſummè diſcrepant. Nemo neſcit arduam & difficilem eſſe encheireſim anatomicam ; quæ ſcilicet ingentem ſolertiam expetit, ac dexteritatem quam pauci aſſequuntur : parùm enim conducit manuum adminiſtratio quam mens non dirigit ; hinc fit ut oleum & operam perdant tot proſectores ingenii acie deſtituti, quibus nuſquam ferè licet corporis morboſi adyta ſedulò perluſtrare.

Quot inepti, ſuis viribus minimè diffidentes, etſi in rebus anatomicis planè cæcutiebant, & vix è medicinæ fontibus ora proluerant, qui hoc opus temerario auſu contaminârunt ; qui ſcilicet rudem & inexercitatam manum inter ſecanda corpora præbebant ; & obſervationes ſuum captum ſuperantes, invitâ quaſi Minervâ, ſcribebant ; atque quidquid ſomniabant illicò pro certo & comperto habebant. Tanta eſt ingenii proclivitas à moleſto explorandi labore ad credendi libidinem. Plures inſuper, quorum nomini parco, ſuæ famæ magis quam publicæ utilitati conſulentes, & inventi gloriam aucupantes, de vero parùm curârunt ; nec erubuerunt commentitias hiſtorias vel meras fabulas ſuis ſcriptis interſuere, ut prævium de morbo judicium confirmaretur ; imò quoſdam haud puduit fallacias machinari, ut mira de ſe narrarentur. Quamobrem varias id genus obſervationes conſulto prætermiſi : equidem neminem fore arbitror qui fidem adhibeat anguibus, lacertis, bufonibus vivis in ventriculo repertis ; immani bilis vomitui à diſruptâ veſiculâ felleâ, &c. Nec minùs deſpiciendæ obſervationes in quibus hiſtoria morbi planè deſideratur, vel manca, vix adumbrata, aùt perfunctiorè enarrata occurrit.

In contrarium verò vitium ruerunt qui in exarandis hiſce hiſtoriis diutiùs quàm par fuiſſet immorabantur ; vel illas verborum ambagibus implicitas, aut fuſiſſimis & nauſeoſis ſcholiis, ut ferebat ætas, intertextas tradebant ; quæ ſanè præconceptam hypotheſim ſapiebant. Nec ſpectabiliores cenſentur obſervationes, in quibus morbus pro alio deſcribitur ; hoc errore haud immunis fuit celeber *Morgagnus*, qui plerumque cadavera ſecanda curavit eorum quos ægrotantes haud inviſerat. Ut ſileam de

hiſtoriis cadaverum ſemiputridorum, raptim & feſtinanter à trepidantibus apertorum; circà quæ notare juvat haud ritè diſtingui læſiones morboſas ab hâcce labe, pro producto mortis habendâ, quæ crebrò animadvertitur in cadaveribus diutiùs quàm par eſt ſervatis; partes enim vitali aurâ orbatæ in ſeſe concidunt; nonnunquam ſolvuntur & diffluunt, vel putredine defœdantur: quod ſanè latet tot ineptos intempeſtivo hærentes miniſterio, qui cadaverum conſpectum moleſtè ferentes, primo læſionis intuitu decepti, in errorem præcipites delabuntur.

Quibus ritè perſpectis, atque animo mecum ante peractis, ad omnes quaſcumque obſervationes ſtylo, doctrinâ, ſolertiâ & fide diſpares colligendas, contrahendas & emendandas animum appuli. Brevitati ſtudens, notatu duntaxat digna è prolixioribus hiſtoriis tradidi, ut nitidè legentibus occurrerent; haud poſthabitâ tamen cautelâ, ne vitatâ Charybdi in Scyllam delaberer. Ideò ſingulas hiſtorias hujuſce argumenti, magis veritati conſonas ex illis exhauſtis fontibus, quos poſthabere nefas, excerpſi; ſtudioſorumque labori & ſumptibus parcens in unicum volumen congeſſi quæ ſparſim latitabant in immenſis bibliothecis; quod ſanè quidem haud parvi refert. Plures inſuper tenebris quaſi damnatas in lucem protuli, & ab oblivione vindicavi; obſcuras & intricatas elucidavi; incultas nonnihil expolivi; corruptas & obſoletas priſtino nitori, quantùm ſivit inſtituti ratio, reſtitui. Ad ſummam in recidendis vel coërcendis ſcriptis nauſeoſâ eruditione luxuriantibus, inanibus phaleris amovendis, manifeſtè vitioſis, vel à re prorsùs alienis reſecandis, vel fusè ad meram oſtentationem conſcriptis contrahendis, ſedulus incubui. Innumeras verò plus æquo contractas, ſalvâ fide, amplificare haud licuit; ideò illas qualeſcumque, nonnullis tamen futilibus rejectis, in naturalem ordinem annectere ſatius duxi.

Haud majori ſtudio jamdudùm tenebar, quàm ut certa & eximia duntaxat traderem, & ideò ſilentio prætermitterem varias hiſtorias infidas, mutilas, plus æquo contractas, vel a noſtro propoſito alienas; quæ ſcilicet ſeorſim ſumptæ

ſumptæ nihil ſcitu dignum præ ſe ferre videntur. Meliùs tamen conſultus illis, cum grano tamen ſalis, parcere haud incongruum judicavi; cum ex illarum collectitiarum ſerie lux fortè quædam affulgebit; veluti micæ nonnunquam rutilant aureæ è ſordido acervo. Simili ratione ductus nonnullas dubias & parum acccuratas admittendas judicavi; licet haud me fugiat quantùm diſtent æra lupinis; quid benè notandum venit, ne incuriâ vel imperitiâ inſimuler, aut præfixos limites exceſſiſſe increper; omnem prætereà curam adhibui ut caliginem cui nonnullæ immerguntur obſervationes diſcuterem, & à mendis quibus deturbantur liberarem; atque arduo labore digeſtas, deterſo ſqualore, medicinæ philiatris, quibus ſuppetias ferre ſummè exoptavi, traderem. Etiamſi omnes hiſtorias latinâ barbarie deturpatas comptiori calamo exarare noſtræ eſſet curæ; ſæpiùs tamen nequivi quin ipſamet authorum verba, etiam planè deſueta, ſervarem; minùs de inani dicendi copiâ quàm de reſerandâ ſcriptorum mente ſollicitus, de quo lectorem benè monitum velim.

Ordinem anatomicum, quatenùs opportuniorem ſectamur, non verò à morbis depromptum, qui pro medentium arbitrio varia ſortiuntur nomina: præterquàm quod plures morbi cognomines multùm ab invicem diſcrepant, tùm ratione cauſæ, tùm ratione eventûs; cur minimè mirum ſi in conſcribendis obſervationum titulis ſæpiùs in errore verſantur authores; ubi præcipuè, uti haud raro contigit, morborum ob diverſam quam induit faciem, pro alio deſcribunt. Inſtar omnium ſint hiſtoriæ cordis polypum reſpicientes: quidquid enim de hoc morbi genere effutierunt authores pro mero commento apud omnes, ni fallor, re anatomicâ inſtructos hodiè habetur. Nonnullas tamen de hâc re intactas obſervationes recenſui, & legentibus ab hoc errore immunibus exhibui, immutato, uti par erat, titulo. Nemo inſuper neſcit innumeros eſſe morbos chronicos complicatos, vel à proprio ingenio deſciſcentes, quorum nomenclatura dubia & incerta pro cujuſvis mente ſiſtitur. Hinc à tritâ viâ recedere, ordinemque omnis erroris expertem amplecti, miſſâ quâvis

vanâ & umbratili ſubtilitate, conſultius nobis viſum fuit. Hâc methodo fortè concinniori digeſtæ affatu dignæ hiſtoriæ nitidiùs ſub oculis verſantur, & ab omni, quantùm licuit, nebulonum mendacio vindicantur.

Notare expedit quòd innumeræ obſervationes multiplicem ſtragem exhibeant; hinc ad varias claſſes pro ſcribentis arbitrio pertineant; inter hæcce dubia in opportuniori & magis congruâ ſerie locum ipſis, cum aliis concidentibus, conceſſi; indicatis tantummodo affiniorum numeris, ne recoctam crambem apponerem. Quibus ità diſpoſitis, nullus dubito quin plura obſcura & intricata primo intuitu videantur; ſed non ſecùs ac aqua maris, quam dulciorem in imo eſſe fertur, quàm in ſummo, ſic dilucidiora quibus animo intentis penetrare haud pigebit. Non omnia ſanè veritati ſunt conſona, cùm verum, ut inquiunt, in Democriti puteo ſæpiùs lateat; ideò penes laudatos authores ſit fides; quod obiter notandum. Quem laborem inſumpſerim in hoc condendo opere, etſi fortè ruderato, ſat intelligentibus patet; nec ſilentio premam plures innumeris, vix ſuperandis difficultatibus pertæſus; vel aliis curis diſtractus, parùm abfuerit quin ab incepto, licèt nequaquam tardus ad laborem, deſtiterim; & promiſſis haud ſteterim.

Hoc tandem, haud citrà majorem quàm animo præceperam, laborem prodit opus ſummâ curâ reciſum, ab omni fuco alienum, rerum ubertati conſpicuum, & multiplici nomine novum, etſi analectorum inſtar, variis ſegmentis conſarcinatum; ab omnibus commentis, quibus genuina defœdatur medicina, & tument ſcripta medica, repurgatum; ſoliſque obſervationibus innixum; ac demùm ſingulis re anatomicâ nonnihil inſtructis, ni fallor, profuturum; nec ſolertioribus & expertis inutile. Subeſt notandum quòd huic condendo noſtrum ſymbolum etiam contulerimus; trecentas ad minimum novas & inauditas obſervationes cæteris connectendo, vel è veteribus ſchedis quas ſors nobis obtulit excerptas, vel ab amicis communicatas, oblivionique ereptas; vel demùm à propriis noſtris adverſariis poſt multos exantlatos labores deſump-

tas, quæ nunc primò publici juris fiunt & litteris conſignantur; quas nonniſi adhibitâ diligenti & accuratâ inſpectione & ſoluto animo, à Dardaniis artibus planè alieno, conſcripſimus; plus æquo fortè ſtyli elegantiâ & nitore; ſed rebus memoratu dignis ad rationis ſemitam revocatis; num ſat dilucidè viderint quibus jus & norma loquendi.

Hæc eſt uberrima & fœcundiſſima cadaverum hiſtoria, diurnâ ſanè quidem manu verſanda; quâ benè perſpectâ ad naturæ morboſæ adyta expeditior ſternitur via; cujus præſidio ceſpitantes firmari queunt. Exhinc depromere licet medicinæ quædam theoremata; quibus ad praxim illuſtrandam & elucidandam nil accommodatius; hancque repurgandam à tot inanibus ſyſtematibus, eruditiſque ineptiis, quibus allicitur inconſulta juventus, nihil aptius; quorum ſcilicet beneficio vires partium evolvuntur; læſionum organicarum ſigna è naturæ gremio eruuntur; futurus eventus prænoſcitur; & poſtremò patet genuina graviorum morborum indoles; ſi excipias primariam hanc morborum acutorum cauſam, quæ in latice nervoſo, vel humoribus deliteſcens cuivis indagini ſubſtrahitur. Sed illud inextricabile deleterium, varios, uti ſuprà innuimus, effectus ſenſibus obvios exerit; vel labem viſceribus autopſiâ anatomicâ detegendam imprimit; quod nemo niſi in rebus medicis planè hoſpes non intelligitur. E quibus pronum eſſe arbitror concludere hanc doctrinam medicam ſuprà alias eminere, cliniciſque cujuſcumque ſubſellii ſummam opem conferre quæ è cadaverum ſectionibus, vel ex ipſâmet naturâ morboſâ, fallere neſciâ, eruitur; cujus demùm ope complanatur ſalebroſa & prærupta tùm diagnoſeos, tùm prognoſeos via; atque patet ad veram medicinam aditus.

Hæc eſt poſtremò præſtantiſſima obſervationum anatomico-medicarum ſylloge, quæ, etſi in anguſtum locum congeſta, latiſſimum tamen audit ſcientiæ medicæ promptuarium; cujus ope breviori & dilucidiori methodo enarrantur morbo denatorum extiſpicia; & altiora reſerantur naturæ morboſæ penetralia. Opus ſanè quidem

aureum, ſedulâque meditatione dignum, ſi peritior huic manum impoſuiſſet. Equidem tenuitatis conſcii, nulli dubitamus, quin plures irrepſerint nævi, quos detergere arduum ſanè & difficile, vel noſtris humeris impar. Nec mirum inſuper, ſi nobis fortè rerum copiâ obrutis contigerit in ampliſſimâ ſegete, vel feraciſſimo labore, jam actum quandoque agere; aut ſi quædam repetitæ obſervationes ſub diverſis obrepſerint titulis; quod candidè fateri haud incongruum judicamus, ut virulentos individuorum morſus aufugiamus. An minùs præſtiterimus quàm fuerit perſpicaciorum expectatio? Viderint æqui & callidi rerum æſtimatores. Faxit *ſupremus rerum humanarum Moderator, & omniſcius* ut hic luctuoſus mortis proſpectus in vitæ diuturnitatem vertat.

# PROSPECTUS

## *Librorum, Sectionum, & Claſſium Tomi primi necnon ſecundi totius Operis.*

## LIBER PRIMUS

*Siſtens Læſiones internas Abdominis.*

### SECTIO PRIMA.

De Peritoneo.


| | | |
|---|---|---|
| ARTICULUS I. | *PERITONEUM craſſiſſimum & ſcirrhoſum.* | Pag. 1 |
| II. | *Peritonei inflammatio.* | 2 |
| III. | *purulentia,* | ibid. |
| IV. | *Peritoneum gangrænoſum.* | 4 |
| V. | *Peritonei exulceratio,* | ibid. |
| VI. | *Peritoneum putre,* | ibid. |
| VII. | *abſumptum,* | ibid. |
| VIII. | *diſruptum,* | ibid. |

## SECTIO SECUNDA.

### De Ventriculo.


| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Ventriculus flatulentus.* | Pag. 7 |
| II. | *Ventriculi hydrops.* | 8 |
| III. | *Ventriculus ingens.* | 9 |
| IV. | *contractus.* | 10 |
| V. | *exiliſſimus.* | 12 |
| VI. | *duplex,* | ibid. |
| VII. | *bile turgens,* | ibid. |
| VIII. | *vas choledocum recipiens.* | 13 |
| IX. | *atram colluviem recondens.* | 14 |
| X. | *Sanguis effuſus in ventriculum.* | 15 |
| XI. | *Ventriculus vermibus & pediculis ſcatens.* | 16 |
| XII. | *Lapides in ventriculo.* | 17 |
| XIII. | *Corpora extranea in ventriculo.* | 19 |
| XIV. | *Ventriculi inflammatio.* | 20 |
| XV. | *Ventriculus puſtuloſus.* | 23 |
| XVI. | *Abſceſſus ventriculi.* | 24 |
| XVII. | *Scirrhus ventriculi.* | 25 |
| XVIII. | *Tumor ventriculi.* | 27 |
| XIX. | *Ventriculus ſteatomatoſus.* | 28 |

ART. XX. *Ventriculus verrucoſus.* Pag. 29
XXI. *Cruſta ventriculum inveſtiens*, ibid.
XXII. *Uulcus ventriculi*, ibid.
XXIII. *Ventriculus diſruptus & perforatus.* 25
XXIV. *putris & gangrænoſus.* 39
XXV. *Pylorus ſcirrhoſus & calloſus.* 44
XXVI. *nummo obturatus.* 51
XXVII. *Pylori laxitas*, ibid.
XXVIII. *Ventriculus è ſede depulſus*, ibid.

---

## SECTIO TERTIA.

### De Omento.

ART. I. *Omentum extrà ſedem.* Pag. 55
II. *hydatidibus refertum*, ibid.
III. *Omenti hydrops*, ibid.
IV. *Omentum adipe obrutum.* 56
V. *inflammatum.* 57
VI. *ſcirrhoſum & ſteatomatoſum*, ibid.
VII. *putridum.* 61
VIII. *abſumptum & gangrænoſum.* 65

## SECTIO QUARTA.

De Inteſtinis.


| | | Pag. |
|---|---|---|
| Art. I. | *Inteſtina flatu mirè diſtenta.* | 67 |
| II. | *flatu diſrupta.* | 71 |
| III. | *ſanguine turgentia,* | ib. |
| IV. | *fæcibus infarcta.* | 72 |
| V. | *pituitâ repleta.* | 74 |
| VI. | *lumbricis ſcatentia,* | ib. |
| VII. | *Tænia in inteſtinis.* | 77 |
| VIII. | *Lapides in inteſtinis,* | ibid. |
| XIX. | *Corpora extranea in inteſtinis.* | 79 |
| X. | *Inteſtina inflammata.* | 80 |
| XI. | *Inteſtinorum abſceſſus.* | 86 |
| XII. | *Inteſtina puſtuloſa.* | 87 |
| XIII. | *calloſa.* | 88 |
| XIV. | *ſcirrhoſa.* | 89 |
| XV. | *Tumores inteſtinorum.* | 90 |
| XVI. | *Rectum ſcirrhoſum.* | 92 |
| XVII. | *Inteſtina eroſa & exulcerata.* | 93 |
| XVIII. | *perforata & diſrupta.* | 96 |
| XXIX. | *gangrænoſa.* | 98 |
| XX. | *putrida & ſyderata.* | 104 |
| XXI. | *invicem implicata & accreta.* | 109 |
| XXII. | *Inteſtinorum invaginationes.* | 110 |


Art.

Art. XXIII. *Inteſtinorum mira dilatatio.* Pag. 114
XXIV. *Inteſtinum unicum.* 115
XXV. *Inteſtinorum conſtricto,* ibid.
XXVI. *Inteſtina coalitu obturata.* 117
XXVII. *è ſede depulſa.* 119
XXVIII. *pituitâ vitreâ extùs obducta.* 120
XXIX. *Rectum veſicæ implantatum,* ibid.
XXX. *deficiens.* ibid.

## SECTIO QUINTA.

### De Meſenterio.

Pag.
Art. I. *Meſenterii inflammatio.* 121
II. *Meſenterium obſtructum,* ibid.
III. *ſcirrhoſum.* 122
IV. *ſteatomatoſum.* 126
V. *ſtrumoſum.* 128
VI. *Hydatides in meſenterio.* 129
VII. *Meſenterii purulentia,* ibid.
VIII. *Meſenterium putridum & gangrænoſum.* 132
IX. *Meſenterium aridum.* 133

## SECTIO SEXTA.

### De Hepate.


| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Hepar exiguum & contractum.* | Pag. 134 |
| II. | *ingens.* | 135 |
| III. | *Hepatis inflammatio.* | 139 |
| IV. | *Hepar obſtructum.* | 142 |
| V. | *ſcirrhoſum.* | 144 |
| VI. | *tuberoſum.* | 154 |
| VII. | *tuberculoſum.* | 158 |
| VIII. | *Hydatides in hepate.* | 161 |
| IX. | *Purulentia & abſceſſus hepatis.* | 163 |
| X. | *Exulceratio hepatis.* | 179 |
| XI. | *Hepar putridum.* | 181 |
| XII. | *gangrænoſum.* | 186 |
| XIII. | *Hepar ſteatomatoſum.* | 188 |
| XIV. | *abſumptum,* | ibid. |
| XV. | *deficiens.* | 190 |
| XVI. | *aridum & exſuccum,* | ibid. |
| XVII. | *fiſſum.* | 192 |
| XVIII. | *calculoſum,* | ibid. |
| XIX. | *Vermes in hepate.* | 193 |
| XX. | *Hepatis adhæſio morboſa.* | 194 |
| XXI. | *Hepar cruſtâ obductum.* | 195 |

ART. XXII. *Cyſtis fellea bilem atram continens.* Pag. 195
XXIII. *porraceâ & æruginosâ bile turgens.* 196
XXIV. *Humor degener in cyſti felleâ,* ibid.
XXV. *Pus in cyſti felleâ.* 197
XXVI. *Cyſtis fellea mirè tumens.* 198
XXVII. *Lapides biliares.* 199
XXVIII. *Ductus biliaris obſtructus.* 208
XXIX. *Vaſa biliaria lumbricis obturata.* 210
XXX. *Cyſtis fellea perforata & diſrupta.* 211
*exhauſta, vel inanis.* 212

---

## SECTIO SEPTIMA.

### De Liene.

ART. I. *Lien ingens.* Pag. 213
II. *exiguus & marcidus.* 218
III. *Inflammatus.* ibid.
IV. *obſtructus & ſcirrhoſus.* 219
V. *tuberculoſus.* 220
VI. *Tumores & appendices lienis.* 221
VII. *Lienis purulentia.* 222
VIII. *Lien putris & gangrænoſus.* 223

Art. IX. *Lien abſumptus.* Pag. 227
X. *fiſſus & diſruptus,* ibid.
XI. *calloſus & cartilaginoſus.* 229
XII. *oſſeus.* 230
XIII. *lapideus & calculoſus.* 231
XIV. *extrà ſitum.* 232
XV. *Lienis defectus.* 234
XVI. *Lien inculpatus in melancholicis,* ibid.

---

## SECTIO OCTAVA.

### De Pancreate.

Art. I. *Pancreas ſcirrhoſum.* Pag. 235
II. *Tumor è pancreate.* 243
III. *Pancreas calculoſum.* 244
IV. *purulentum,* ibid.
V. *Pancreatis exulceratio.* 245
VI. *Pancreas putridum.* 246
VII. *ſyderatum.* 247
VIII. *abſumptum,* ibid.
IX. *Ductus pancreaticus duplex.* 248
X. *lumbrico obturatus,* ib.

## SECTIO NONA.

### De Renibus & Capſulis.


| | | | |
|---|---|---|---|
| ART. | I. | *Renes in gentes.* | Pag. 248 |
| | II. | *flaccidi.* | 250 |
| | III. | *Renum inflammatio,* | ibid. |
| | IV. | *Renes ſcirrhoſi.* | 251 |
| | V. | *cartilaginoſi.* | 252 |
| | VI. | *tuberculoſi,* | ibid. |
| | VII. | *Renum tumores & hydatides.* | 253 |
| | VIII. | *hydrops.* | 254 |
| | IX. | *ulcus & purulentia,* | ibid. |
| | X. | *Renes gangrænoſi.* | 260 |
| | XI. | *putridi.* | ibid. |
| | XII. | *abſumpti.* | 263 |
| | XIII. | *Renum lithiaſis.* | 271 |
| | XIV. | *Renes fiſſi.* | 281 |
| | XV. | *Renes infarcti,* | ibid. |
| | XVI. | *lapidei.* | 282 |
| | XVII. | *Vermes in renibus,* | ibid. |
| | XVIII. | *Cochlea in renibus.* | 283 |
| | XIX. | *Renes extrà ſedem.* | 284 |
| | XX. | *Ren unicus,* | ibid. |
| | XXI. | *Renum defectus,* | ibid. |
| | XXII. | *Capſulæ abrabilariæ morboſæ.* | 285 |

## SECTIO DECIMA.

### De Ureteribus.


| | | | |
|---|---|---|---|
| ART. | I. | *Ureteres obſtructi.* | Pag. 286 |
| | II. | *mirè dilatati.* | 291 |
| | III. | *Ureterum purulentia.* | 292 |
| | IV. | *Ureter utrinque duplex.* | 293 |


## SECTIO UNDECIMA.

### De Veſicâ.


| | | | |
|---|---|---|---|
| ART. | I. | *Veſica ingens.* | Pag. 293 |
| | II. | *Veſicæ anguſtia nativa.* | 295 |
| | III. | *Veſica contracta & calloſa,* | ibid. |
| | IV. | *Veſicæ purulentia.* | 296 |
| | V. | *Ulcus veſicæ.* | 297 |
| | VI. | *Veſica diſrupta & perforata.* | 300 |
| | VII. | *Tumores veſicæ adnati.* | 302 |
| | VIII. | *Veſica ſcirrhoſa.* | 304 |
| | IX. | *Veſicæ excreſcentiæ fungoſæ.* | 306 |
| | X. | *Veſica cum appendicibus,* | ibid. |
| | XI. | *Veſicæ calculus.* | 307 |
| | XII. | *Lapides corpus extraneum recondentes.* | 312 |

Art. XIII. *Lapides tunicati,* Pag. 312
XIV. *lithontriptico eroſi.* 316
XV. *innoxii.* 317
XVI. *Veſicæ defectus nativus.* 318

---

## SECTIO DUODECIMA.

### De Utero.

Art. I. *Uteri inflammatio.* Pag. 318
II. *Uterus ingens & infarctus,* ibid.
III. *Uterus ſcirrhoſus & cartilaginoſus.* 320
IV. *lapideſcens.* 323
V. *Ulcus uteri.* 324
VI. *Uterus putris & gangrænoſus.* 327
VII. *perforatus.* 328
VIII. *abſumptus.* 329
IX. *inter partum diſruptus.* ibid.
X. *Uteri hydrops.* 332
XI. *Uterus effuſo ſanguine turgens.* 334
XII. *Mola veſicularis.* 335
XIII. *carnea.* 336
XIV. *oſſea.* 339
XV. *Lapides in utero,* ibid.
XVI. *Fœtus petrefactus.* 341

Art. XVII. *Os uteri occluſum & obturatum.* Pag. 341
XVIII. *Uterus duplex.* 342
XIX. *Uteri defectus.* 343

## SECTIO TERTIA DECIMA.

De Tubis & Ovariis.

Art. I. *Hydrops tubarum.* Pag. 343
II. *Tubarum purulentia.* 344
III. *Fœtus in tubâ,* ibid.
IV. *Ovaria tumentia.* 345
V. *ingentia.* 347
VI. *Ovariorum purulentia.* 351
VII. *Ovaria ſcirrhoſa.* 352
VIII. *Tumores ex ovariis.* 354
IX. *Hydrops ovariorum.* 355
X. *Fœtus extrà uterum.* 363

## SECTIO QUARTA DECIMA.

De Læſionibus generalibus Abdominis.

Art. I. *Ariditas viſcerum.* Pag. 369
II. *Viſcera adipe obruta.* 370
III. *puſtuloſa & tuberculoſa.* 371

Art. IV.

| | | |
|---|---|---|
| ART. IV. | *Viſcera inflammata.* | Pag. 372 |
| V. | *Viſcerum purulentia.* | 373 |
| VI. | *Viſcera ſcirrhoſa & ſtrumoſa.* | 374 |
| VII. | *putrida.* | 379 |
| VIII. | *ſyderata.* | 385 |
| IX. | *tranſpoſita.* | 387 |

## SECTIO QUINTA DECIMA.

### De Tumoribus in Abdomine.

| | | |
|---|---|---|
| ART. I. | *Anevriſma abdominis.* | Pag. 388 |
| II. | *Tumores ſcirrhoſi.* | 390 |
| III. | *cyſtici.* | 395 |
| IV. | *veſiculares.* | 404 |
| V. | *cancroſi.* | 405 |
| VI. | *Anthraces in abdomine.* | 406 |
| VII. | *Abſceſſus in abdomine.* | 407 |
| VIII. | *Tumor ab adunatis inteſtinis.* | 408 |

## SECTIO SEXTA DECIMA.

### De Colluvie Abdominis.

| | | |
|---|---|---|
| ART. I. | *Aſcites nullâ obviâ cauſâ.* | P. 409 |
| II. | *Hydrops cyſticus,* | ibid. |

| | | |
|---|---|---|
| Art. III. | *Hydrops veſicularis.* | Pag. 415 |
| IV. | *peritonei.* | 418 |
| V. | *Colluvies ſanguinea.* | 425 |
| VI. | *Bilis effuſa in abdomen.* | 427 |
| VII. | *Hydrops lacteus.* | 428 |
| VIII. | *Colluvies ſordida.* | 429 |
| IX. | *Flatus extrà viſcera.* | 432 |

## LIBER SECUNDUS,
*Colligens læſiones externas pectoris.*

### SECTIO PRIMA.
De Pulmonibus.

| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Bronchia ſanguine obruta.* | P. 434 |
| II. | *Materia ſordida & purulenta in bronchiis.* | 435 |
| III. | *Puſtulæ, & tubercula in bronchiis.* | 438 |
| IV. | *Bronchiorum obſtructio à corporibus extraneis,* | ibid. |
| V. | *Pulmones vicinis annexi.* | 439 |
| VI. | *Pulmonum emphyſema.* | 444 |
| VII. | *Pulmones infarcti.* | 445 |

ART. VIII. *Pulmones cruſtâ obducti.* Pag. 449
IX. *Pulmonum inflammatio.* 452
X. *Pulmones varioloſi & puſtuloſi.* 469
XI. *Sanguis effuſus intrà pulmones.* 470
XII. *Pulmones purulenti,* ibid.
XIII. *Pulmonum abſceſſus.* 482
XIV. *Ulcus pulmonum.* 487
XV. *Pulmones præduri & ſcirrhoſi.* 430
XVI. *Pulmonum tubercula.* 495
XVII. *Pulmones calculoſi & grandinoſi.* 501
XVIII. *Oſſificatio in pulmonibus.* 505
XIX. *Pulmones tabidi & aridi.* 506
XX. *gangrænoſi.* 509
XXI. *Pulmonum putredo.* 518
XXII. *Pulmones abſumpti.* 526
XXIII. *falsò incuſati.* 531

## *TOMUS SECUNDUS.*

### SECTIO SECUNDA.
### De Corde.


| | | |
|---|---|---|
| ART. I. | *Cor ingens & mirè dilatatum.* | P. 1 |
| II. | *Cor marcidum & exiguum.* | 14 |
| III. | *inane.* | 16 |
| IV. | *adipe obrutum.* | 18 |
| V. | *cruſtâ obductum.* | 19 |
| VI. | *Concreta ſanguineo-lymphatica.* | 20 |
| VII. | *Cordis inflammatio.* | 25 |
| VIII. | *abſceſſus.* | 27 |
| IX. | *purulentia.* | 28 |
| X. | *eroſio & exulceratio.* | 29 |
| XI. | *Cor gangrænoſum.* | 33 |
| XII. | *putridum,* | ibid. |
| XIII. | *Cordis tumores.* | 34 |
| XIV. | *Oſſa & cartilagines in corde.* | 36 |
| XV. | *Cordis lithiaſis.* | 38 |
| XVI. | *Vermes in corde.* | 40 |
| XVII. | *Valvulæ cordis oſſeæ, vel lapideæ,* | ibid. |
| XVIII. | *invicem annexæ.* | 46 |

| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. | XIX. | *Valvulæ abſumptæ.* | Pag. 48 |
| | XX. | *Auricularum inſolita dilatatio.* | ib. |
| | XXI. | *Cor ſaucium.* | 50 |
| | XXII. | *Cor extrà ſitum.* | ibid. |
| | XXIII. | *falsò incuſatum.* | 51 |


## SECTIO TERTIA.

### De Pericardio.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. | I. | *Hydrops pericardii.* | Pag. 51 |
| | II. | *Pericardium ſanguine turgens.* | 63 |
| | III. | *Pericardii inflammatio.* | 66 |
| | IV. | *Pericardium purulentum.* | 67 |
| | V. | *Pericardii flatulentia.* | 71 |
| | VI. | *Pericardium craſſiſſimum.* | 72 |
| | VII. | *cordi accretum,* | ib. |
| | VIII. | *tumores & puſtulæ.* | 79 |
| | IX. | *Lapides in pericardio,* | ibid. |
| | X. | *Vermes pericardii,* | ibid. |
| | XI. | *Cor pericardio deſtitutum.* | 80 |


## SECTIO QUARTA.

### De Plevrâ.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. | I. | *Plevræ inflammatio.* | Pag. 81 |

Art. II. *Plevræ purulentia & putredo.* P. 83
III. *gangræna.* 84
IV. *Plevra cartilaginea vel oſſea.* 86
V. *Plevræ tumores & tubercula*, ibid.
VI. *Plevræ hydrops.* 87

---

## SECTIO QUINTA.

### De Mediaſtino, Thymo, &c.

Art. I. *Mediaſtinum adipe obrutum.* Pag. 87
II. *Mediaſtini hydrops.* 88
III. *Mediaſtinum inflammatum & purulentum*, ibid.
IV. *putridum & gangrænoſum.* 90
V. *Thymus tumens & ſcirrhoſus*, ib.
VI. *putris.* 92
VII. *Thymus calculoſus*, ibid.
VIII. *Ductus thoracici.* 93
IX. *Aortæ vitia*, ibid.

---

## SECTIO SEXTA.

### De Diaphragmate.

Art. I. *Diaphragma inflammatum.* P. 95

ART. II. *Diaphragma exulceratum & purulentum*, ibid.
III. *perforatum.* 97
IV. *Tumores diaphragmatis.* 98
V. *Nodus in nervo diaphragmatico.* 99
VI. *Cruſta herens diaphragmati*, ib.
VII. *Diaphragma oſſeum*, ibid.
VIII. *extrà ſedem.* 100
IX. *Defectus diaphragmatis*, ibid.


## SECTIO SEPTIMA.

### De Tumoribus in Pectore.


ART. I. *Anevriſma internum.* Pag. 101
II. *Tumores anomali.* 114
III. *lymphatici.* 115
IV. *Lapides extrà pulmones*, ibid.


## SECTIO OCTAVA.

### De Colluvie pectoris.


ART. I. *Hydrops pectoris.* Pag. 117
II. *Latex cruentus.* 135
III. *Colluvies ſordida.* 137
IV. *Humor lacteus.* 140
V. *Pectus falsò inſimulatum.* 141

## LIBER TERTIUS,
*Tradens Læſiones internas Capitis.*

### SECTIO PRIMA.
De Meningibus.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. I. | *Meningum craſſities.* | Pag. | 145 |
| II. | *Meninges aridæ.* | | 145 |
| III. | *hydatidibus obſeſſæ.* | | ibid. |
| IV. | *Meningum coalitus.* | | 146 |
| V. | *Meninges inflammatæ;* | | ibid. |
| VI. | *puſtuloſæ.* | | 148 |
| VII. | *Meningum purulentia.* | | 149 |
| VIII. | *Meninges eroſæ.* | | 150 |
| IX. | *putres & ſyderatæ.* | | 151 |
| X. | *Oſſificatio in meningibus.* | | 153 |
| XI. | *Anevriſma & varices.* | | 157 |


### SECTIO PRIMA.
De Cerebro.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. I. | *Vaſa cerebri flatulenta.* | Pag. | 138 |
| II. | *ſanguine turgida & varicoſa,* | | ib. |


Art. III.

| | | |
|---|---|---|
| Art. III. | *Carotides oſſeæ.* | Pag. 160 |
| IV. | *Cerebrum tumidum.* | 161 |
| V. | *parvum.* | 162 |
| VI. | *exangue.* | 163 |
| VII. | *aridum,* | ibid. |
| VIII. | *Cerebri durities.* | 165 |
| IX. | *color morboſus.* | 169 |
| X. | *inflammatio,* | ibid. |
| XI. | *abſceſſus & purulentia.* | 170 |
| XII. | *Ulcus & eroſio cerebri.* | 178 |
| XIII. | *Cerebrum gangrænoſum.* | 179 |
| XIV. | *putre.* | 180 |
| XV. | *Plexus choroïdes varicoſus.* | 184 |
| XVI. | *Hydatides in plexu choroïde.* | 185 |
| XVII. | *Plexus choroïdes ſcirrhoſus.* | 186 |
| XVIII. | *putris.* | 187 |
| XIX. | *Glandula pinealis ingens.* | 188 |
| XX. | *lapidea.* | 189 |
| XXI. | *Cerebellum laxiſſimum,* | ibid. |
| XXII. | *ſcirrhoſum.* | 190 |
| XXIII. | *Abſceſſus cerebelli.* | 191 |
| XXIV. | *Cerebellum putre.* | 192 |
| XXV. | *Marcor nervorum,* | ibid. |
| XXVI. | *Nervi abſumpti.* | 193 |

## SECTIO TERTIA.

De Tumoribus internis.


| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Tumores cyſtici.* | Pag. 194 |
| II. | *fungoſi.* | 196 |
| III. | *ſcirrhoſi.* | 197 |


## SECTIO QUARTA.

De Colluvie ſanguineâ.


| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Sanguis effuſus extrà cerebrum.* | P. 201 |
| II. | *intùs & extùs effuſus.* | 206 |
| III. | *effuſus in ventriculos.* | 209 |
| IV. | *intrà ſubſtantiam cerebri.* | 217 |
| V. | *in cerebellum.* | 221 |


## SECTIO QUINTA.

De Colluvie ſeroſâ.


| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Hydrocephalos.* | Pag. 122 |
| II. | *Aqua extrà cerebrum.* | 240 |
| III. | *in ventriculis cerebri.* | 232 |
| IV. | *intùs & extrà cerebrum.* | 227 |

## SECTIO SEXTA.

De Materiâ viſcidâ & gelatinoſâ.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. I. | *Humor mucoſus in ambitu cerebri.* | Pag. | 254 |
| II. | *Materia mucoſa in cerebro.* | | 258 |


## SECTIO SEPTIMA.

De Colluvie ſordidâ.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. I. | *Colluvies purulenta.* | Pag. | 262 |
| II. | *Colluvies ſanioſa.* | | 270 |
| III. | *nigra & putris.* | | 271 |


## SECTIO OCTAVA.

De Corporibus Extraneis.


| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. I. | *Vermes.* | Pag. | 272 |
| II. | *Scorpiones.* | | 274 |
| III. | *Lapides.* | | 275 |
| IV. | *Hydrargirus.* | | 277 |
| V. | *Globulus plumbeus.* | | 278 |

# LIBER QUARTUS,
*Exhibens Læſiones externas.*

## SECTIO PRIMA.
De Capite externo.


| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Pediculi ſub pericranio.* | P. 280 |
| II. | *Cerebri hernia,* | ibid. |
| III. | *Fuligo in cranio.* | 281 |
| IV. | *Cranii prava conformatio,* | ibid. |
| V. | *craſſities,* | ibid. |
| VI. | *Suturæ oblitteratæ.* | 282 |
| VII. | *Suturarum laxitas.* | 283 |
| VIII. | *Oſſa capitis mollia,* | ibid. |
| IX. | *Cranii exoſtoſes.* | 284 |
| X. | *caries.* | 285 |
| XI. | *fractura.* | 289 |
| XII. | *Auris læſiones.* | 291 |
| XIII. | *Narium læſiones.* | 292 |
| XIV. | *Oculorum læſiones.* | 293 |
| XV. | *Oris læſiones.* | ibid. |

# SECTIO SECUNDA.

## De Cervice.



| | | |
|---|---|---|
| Art. I. | *Cervicis muſculi corrupti.* Pag. | 294 |
| II. | *muſculi ſecti,* | ibid. |
| III. | *tumores,* | ibid. |
| IV. | *anevriſma.* | 294 |
| V. | *Tophus circà vertebras.* | 295 |
| VI. | *Laryngis inflammatio,* | ibid. |
| VII. | *obſtructio,* | ibid. |
| VIII. | *ulcus.* | 298 |
| IX. | *Tracheæ infarctus pituitoſus.* | 299 |
| X. | *Trachea pure ſcatens.* | 300 |
| XI. | *Sanguis effuſus in tracheam,* | ibid. |
| XII. | *Trachea diverſimodè obſtructa.* | 301 |
| XIII. | *carie læſa.* | 302 |
| XIV. | *Laryngis & tracheæ tumores.* | 303 |
| XV. | *Œſophagus inflammatus.* | 305 |
| XVI. | *ſcirrhoſus,* | ibid. |
| XVII. | *cartilagineus.* | 306 |
| XVIII. | *tumore compreſſus.* | 307 |
| XIX. | *tumore obturatus.* | 308 |
| XX. | *Ulcus pharyngis & œſophagi.* | 310 |
| XXI. | *Œſophagus perforatus.* | 312 |
| XXII. | *putris & ſphacelatus.* | 312 |

ART. XXIII. *Œſophagus ſummè dilatatus.* P. 312
—— XXIV. —— *diviſus.* 313
XXV. *inſtar muſculi carnoſus,* ibid.

## SECTIO TERTIA.

De Thorace externo.

ART. I. *Cutis aduſta à fulmine.* Pag. 314
II. *Mammæ cancroſæ,* ibid.
III. *oſſeæ.* 315
IV. *Tumores externi pectoris,* ibid.
V. *Anevriſma externum.* 316
VI. *Fractura oſſis ſterni.* 317
VII. *Oſſificatio cartilaginum,* ibid.
VIII. *Coſtæ luxatæ & fractæ.* 318
IX. *Caries coſtarum & ſterni.* 319

## SECTIO QUARTA.

De Abdomine externo.

ART. I. *Umbilicus urinis pervius.* Pag. 321
II. *Hernia ventriculi.* ibid.
III. *umbilicalis.* ibid.
IV. *inguinalis.* 322
V. *femoralis.* 323
VI. *veſicæ.* Pag. 324

Art. VII. *Hernia uteri,* 325
VIII. *Uteri prolapſus,* ibid.
IX. *Vagina obſtructa.* 326
X. *Fiſtula ad ventriculum pertingens.* 327
XI. *Sanguis effuſus intrà muſculos.* 328
XII. *Abſceſſus muſculorum abdominis,* ibid.
XIII. *Muſculi abdominales abſumpti.* 329
XIV. *recti tranſverſim ſecti.* ibid.
XV. *Tumor cyſticus inguinalis.* 330
XVI. *Proſtata tumens,* ibid.
XVII. *Ulcus proſtatæ.* 332
XVIII. *Cicatrices in urethrâ.* 333
XIX. *Infracta ſeminis receptacula.* 334
XX. *Teſtes ſcirrhoſi,* ibid.
XXI. *putridi,* ibid.
XXII. *Teſtium defectus,* ibid.
XXIII. *Podex impervius.* 335
XXIV. *Oſſa pelvis fracta,* ibid.
XXV. *carioſa.* 336

---

## SECTIO QUINTA.

De Dorſo.

Art. I. *Fiſtula dorſi.* Pag. 334
II. *Hernia dorſalis,* ibid.
III. *Abſceſſus dorſi & lumborum.* 335

| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. | IV. | *Tumores dorſi & lumborum.* | P. 336 |
| | V. | *Medullæ ſpinalis læſiones.* | 337 |
| | VI. | *Spina bifida.* | 338 |
| | VII. | *Medulla ſpinalis hydrops.* | 339 |
| | VIII. | *Vertebrarum caries.* | 340 |
| | IX. | *luxatio.* | 345 |
| | X. | *Vertebræ invicem ferruminatæ,* | ibid. |

## SECTIO SEXTA.

### De Artubus.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Art. | I. | *Muſculi exſiccati.* | Pag. 346 |
| | II. | *Oſſificatio arteriarum brachii,* | ibid. |
| | III. | *Tumores brachii.* | 347 |
| | IV. | *femoris,* | ibid. |
| | V. | *Oſſa mollia.* | 348 |
| | VI. | *à convulſionibus fracta.* | 350 |
| | VII. | *carioſa.* | 351 |
| | VIII. | *Femoris fractura.* | 352 |
| | IX. | *luxatio.* | 353 |
| | X. | *Coxæ purulentia.* | 354 |
| | XI. | *caries.* | 359 |
| | XII. | *Artus cretacei.* | 357 |
| | XIII. | *Ankiloſes,* | ibid. |
| | XIV. | *Hydrargirus in capſulis articularibus.* | 158 |

HISTORIA

# HISTORIA
## *ANATOMICO-MEDICA*
### SISTENS

*NUMEROSISSIMA Cadaverum extiſpicia , quibus in apricum venit genuina morborum ſedes ; horumque obviæ fiunt cauſæ ; vel reſerantur effectus.*

## LIBER PRIMUS,

### *SPECTANS Læſiones internas Abdominis.*

UBERRIMAM obſervationum anatomico-medicarum ſupellectilem exhibet hic primus quadripartiti operis liber, reſpiciens morboſam conſtitutionem diverſarum partium, in imi ventris cavo reconditarum; in quarum cenſum veniunt peritoneum, ventriculus, omentum, tubus inteſtinalis & meſenterium; hepar, lien & pancreas; renes, cum vicinioribus capſulis, ureteres & veſica; ac demùm uterus, cum ſuis tubis & ovariis. De virorum verò genitalibus,

extrà abdomen præcipuè ſitis, mentio ſubjicitur in libro quarto, vitiis partium externarum dicato. Obſervationes circà ſingula viſcera, ſeorſim conſpecta, excipiunt læſiones generales, quibus ſcilicet plures abdominis partes ſimul & conjunctim afficiuntur, & defædantur: id genus ſunt ariditas viſcerum, quâ organa velut exſucca videntur; ſtupenda adipis moles quâ obruuntur viſcera; affectus puſtuloſi & tuberculoſi pluribus partibus communes; phlogoſis & purulentia; viſcerum ſcirrhoſa & ſtrumoſa diſpoſitio; putredo, ſyderatio, &c. Hùc etiam pertinent tumores diverſæ ſortis, & incertæ ſedis, qui è proceſſibus membranoſis, vaſculoſis & celluloſis proſapiam ducunt; extrà ſcilicet viſcera, quibus tamen nonnunquam partim incumbunt, & hærent. Colophonem huicce libro imponunt ſtagnationes cujuſvis laticis, ſeroſi nempè, ſanguinei, bilioſi, lactei, purulenti, &c; nunc per totum abdomen diffuſi, quo ſcilicet omnia viſcera madent; nunc in peculiarem cyſtim diverſæ molis collecti. Quod ſpectat ad diaphragmatis læſiones, reſpirationi præſertim officientes; in ſecundo libro pectori interno adſcripto locum magis congruum obtinent. Muſculorum verò abdominalium vitia ad quartum librum, vel ultimum, morbos externos reſpicientem, ablegare conſultiùs viſum fuit.

# *SECTIO PRIMA.*

## DE PERITONEO.

### *Peritoneum craſſiſſimum & ſcirrhoſum.*

OBSERVATIO I. Virgo triginta annos nata, poſt inconſultam virium periclitationem, *dolore* in ſiniſtro *abdominis* latere corripitur. Nonnullis elapſis diebus, tumet pars affecta; ac dein totum prominet abdomen. Intereà doloribus atrociſſimis ſolo opio compeſcendis torquetur: lotium parcè fluit & alvus manet adſtricta. Duobus ſuperatis annis inter haſce anguſtias, ultimum fatum ſubiit.

Secto cadavere: occurrit peritoneum ſtupendæ craſſitiei, ad quinque pollices, circà umbilicum accedentis: innumeris tumoribus ſteatomatoſis ſcatebat hæc membrana, quorum plerique ovum columbinum æquabant, & laticem varii coloris diverſæque conſiſtentiæ recondebant. Præterea latus ſiniſtrum, prima morbi

ſedes, ingentem aquæ fuſcæ copiam, intrà laminas peritonei coacervatam, exhibebat. Ex ACTIS LONDINENSIBUS.

PERITONEUM.

OBS. 2. In cadavere cujuſdam *aſcitici*, exenterationi tradito, præter vulgatiſſimam colluviem abdominalem, reperiebantur omentum ſcirrhoſum, & nonnihil putridum; hepar infarctum & tuberculis exaſperatum; lien extùs calloſus, & intus putridus. Peritoneum inſuper occurrebat craſſiſſimum, denſiſſimum, & quaſi cartilagineum, variiſque prominentiis exaſperatum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Ad hancce claſſem revocari queunt obſervationes Libr. I. 119, 232, 523, 1225, 1383, 1475, 1576, 1715.

---

## *Peritonei inflammatio.*

OBS. 3. Juvenis, quinque & viginti annos numerans, prævio horrore, *febre acutâ* corripitur, *dolore* acerbiſſimo *in imo ventre* ſtipatâ. Accedunt anxietates, nauſeæ, ſpirandi difficultas; & interdùm ſingultus. Dein venter tumet cum renitentiâ, urgentque dolores: delira loquitur æger; & quarto accedente die ad mortem properat.

Reſerato abdomine; patet peritoneum phlogoſi & gangrenâ tactum: limbus diaphragmatis ſimili labe afficitur. Inteſtina flatu ultrà modum diſtenta varias inflammationis notas exhibent. Epiploon peritoneo adglutinatum ſemi-putridum conſpicitur; cum ſtagnante ſero ſanioſo, & gravè olente, in abdomine. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Huic hiſtoriæ ſubnectere licet obſervationem Libr. I. 341.

---

## *Peritonei purulentia.*

OBS. 4. Quidam ſeptuagenarius poſt peculiarem febrem, inordinato frigore ſtipatam, de *doloribus in abdomine* circa alterum os innominatum conqueritur. Contumaciſſimi fiunt prædicti dolores; & poſt duos, treſve annos ingraveſcunt. Tum erumpit *tumor circà inguen*, in quo fluctuans materia percipitur; ſub quo rerum ſtatu ad plures migravit.

Inciſo abdomine; ingens puris copia invenitur inter peritoneum & os innominatum. CLARISS. MORGAGNUS.

Vix abſimiles caſus præbent obſervationes Libr. I. 779; II. 511.

## *Peritoneum gangrænoſum.*

PERITONEUM.

OBS. 5. Puer novennis inter herniotomiam dextri lateris *caſtratus ;* ac ſeptimo die ad iram fortè concitatus, difficulter deglutire cœpit. Poſtridiè non ampliùs planè deglutire, nec os aperire valuit. Circà decimum diem *tetano* corripitur. Poſt graves exantlatos cruciatus vivere deſiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, reperiuntur peritonei reliquiæ lividæ & quaſi ſyderatæ ; accedente corruptelâ vicinarum partium. WEPFERUS.

Circa peritonei gangrænam confer obſervationem Libr. I. 1479.

## *Peritonei exulceratio.*

OBS. 6. Quidam adoleſcens operibus arduis addictus ; undè victum compararet, cui *teſtis* cum vehementi dolore *intumuerat*, nullis adjutus remediis ; tandem occubuit.

Secto cadavere, inventum eſt ulcus exiguum circà peritoneum, è quo perennis ſaniei defluxio in teſtes cauſa tumoris, & mortis fuit. JACOTIUS.

OBS. 7. Puella ſeptennis, tabe jamdudùm confecta, *dolore* corripitur *circà umbilicum*, quæ brevi ingraveſcente, intrà triduum extinguitur.

Luſtrato cadavere ; invenitur peritoneum eroſum, in loco, quo vivens dolorem indicabat. BYLERUS.

## *Peritoneum putre.*

OBS. 8. Vir quinquagenarius, poſt febrem continuam, incidit in *quartanam*, nunc ſimplicem, nunc duplicem, triplicemve. Sex circiter elapſis menſibus, accedit totius corporis intumeſcentia œdematoſa, cum duritie in regione hepatis. In immenſum ſenſim ampliatur abdomen, cum omnibus ſtagnantis colluviei indiciis: hinc celebratur paracenteſis, quâ educuntur aquæ libræ octodecim. Protelatâ per vices hac evacuatione, effluxit demùm, loco feri, pus fœtidiſſimum. Intereà detumeſcunt femora ; ſubſidet abdomen ; imò & durities hepatis planè evaneſcit. Poſt vigenti dies

dejiciuntur purulenta per alvum; vires deficiunt; & accedit mors.

Occurrit peritoneum craſſiſſimum & corruptum. Pus ſtagnat in abdominis cavo ad decem circiter libras. Omentum tuberculis purulentis refertum conſpicitur, quorum nonnullæ nucis juglandis magnitudinem aſſequebantur. Hepar inſuper purulentum, & putridum obſervatur. BONETUS. PERITONEUM.

OBS. 9. Puer ſeptennis, ventris doloribus obnoxius, *febre* corripitur cum vomitu porraceo, & alvi fluxu putrido & æruginoſo. Noctu ſæviebant exacerbationes, cum anxietate, *morſu ventris*, dentium ſtridore, extremorum frigore & ſiti inexplebili. Conſpiciebantur *aphthæ* albicantes in faucibus. Die morbi undecimo, delirus in lecto contineri noluit. Decimo quarto vomitus & diarrhœa aliquantulùm ſedantur. Dein mitiores evadunt exacerbationes, remanente *dentium ſtridore*, cum narium pruritu. Die quadrageſimo primo accedunt animi deliquia, tremor manuum cum motûs impotentiâ. Tandem die morbi ſexageſimo, frigidum & exangue ſimulacrum, tanquàm exuvias depoſuit.

Aperto cadavere, reperiuntur peritoneum nigricans & putridum; hepar lividum; veſicula fellis quintuplo quàm par eſt tumidior; pulmones demùm exuſti, aridi, & albâ mucagine obducti. BIDGOOD.

OBS. 10. Vir ſeptuagenarius doloribus vagis in abdomine obnoxius; tandem de horum exacerbatione conqueritur, & lecto ſe committere cogitur. *Ventris tormina* in dies fiunt atrociora; vires collabuntur; erumpunt ſudores frigidi; atque ingruente vomitu materiarum nigerrimarum, de medio tollitur.

Peritoneum & omentum adeò erant corrupta, ut ad leviſſimum attactum rumperentur. Inteſtina nigro colore infeſta apparebant: in conſpectum veniebat pancreas totum ulceroſum. Hepar denique, partim nigricans, ſteatoma ſeſqui-pugni magnitudinem excedens continebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 11. Puellus ſeptennis *doloribus in imo ventre* jamdudùm torquebatur; atque lumbricis laborare credebatur. Morbo tandem ingraveſcente, viribuſque exolutis, ad æthereas ſedes convolavit.

Secto cadavere, inveniebatur peritoneum nigricans & putridum. Omentum & meſenterium macilenta conſpiciebantur; cum inteſtinis flatu ultrà modum diſtentis. BONETUS.

Pro affinibus haberi queunt obſervationes Libr. I. 3, 261, 685, 707, 1419, 1572, 1660; & Libr. II. 344. Præterea vide *Viſcera putrida; Colluvies ſordida.*

## *Peritoneum abſumptum.*

PERITONEUM.

OBS. 12. Puer octennis ab exſiccatâ fiſtulâ in dorſo, alteram geſtans in femore dextro, multo pure conſpurcatam; de *dolore hypchondrii* dextri queritur; tumentibus abdomine & ſcroto. Intereà erumpit *tumor* phlegmonoſus *è femore*; incrementum ſumente abdominis intumeſcentiâ. Urinæ turbidæ pus deponunt; & fæces alvinæ purulentæ evadunt. Dein accedunt lypothymiæ; pulſus fit intermittens; & æger, exhauſtis viribus, è vivis diſceſſit.

Omenti & peritonei nulla deprehenduntur veſtigia. Jecur conſpicitur ſcirrhoſum, maximum & decolor. Cyſtis fellea atro ſanguine turget. Lien obvius fit ſcirrhoſus. Annotatur demùm pancreas ſemiputre; cum multâ aquâ tum in abdomine, tum in pectore, ſtagnante. BONETUS.

OBS. 13. In cadavere cujuſdam fœminæ octogenariæ & *hydropicæ*, præter ingentem aquæ copiam, tam in capite, quàm in thorace & abdomine nidulantem, in conſpectum veniunt peritoneum & omentum putrida & prorsùs abſumpta; cum omnibus inteſtinis invicem accretis, & in unum quaſi conglobatis. PAWIUS.

## *Peritoneum diſruptum.*

OBS. 14. Quædam mulier *hydropica*, ſimul & gravida, paucos dies poſt partum naturalem ventre æquè permanente diſtento, rebus humanis vale ſupremum dixit:

Inſtitutâ cadaveris ſectione, inteſtina reperiebantur livida & corrupta; peritoneum verò ex ingenti aquæ mole undique diſruptum cernebatur. Præterea omentum erat planè conſumptum; hepar ſcirrhoſum oculis ſubjicitur; & lien quaſi lapideus occurrit. FORESTUS.

Huic ſubnectere licet obſervationes Lib. I. 404, 541, 1429, 1589.

De peritoneo tuberculoſo, *vide* Libr. I. Obſerv. 266, 1693.

De peritonei hydrope, *vide* Libr. I. Obſerv. 1713, 1724.

# SECTIO SECUNDA.

## DE VENTRICULO.

### *Ventriculus flatulentus.*

OBSERVATIO 15. Vir quadrageſimum quintum ætatis annum agens, intemperantiùs vivens, pluribus abhinc annis *aſthmaticus*, incidit in leucophlegmatiam, quæ notiſſimis præſidiis intrà quindecim dies fugatur. Tribus elapſis ſeptimanis revireſcit morbus, & ingraveſcunt inſultus aſthmatici. Præter totius corporis habitum œdematoſum, *regio epigaſtrica*, doloris acerbi ſedes, ultrà modum *tumebat*. Dein protuberante toto abdomine, cum manifeſtâ fluctuatione, gravior evadit ſpirandi difficultas; & urget tuſſis cum ſputo cruento. Intereà artus inferiores mirum in modum diſtentos obſident phlyctenæ, è quibus maximus ſeri proventus, cum nonnullo levamine, educitur. Ingruunt tandem maculæ gangrænoſæ, quæ in latum brevi propagantur, & fatum accerſunt.

Mirari profectò ſubit nullam repertam fuiſſe ſtagnationem, nec in abdomine, nec in pectore & pericardio. Viſcera abdominalia ſana videbantur, ſi excipias ventriculum enormi flatuum copiâ diſtentum. Cor duplo majus reperitur; aliàs inculpatum. Pulmones infarcti & quaſi ſcirrhoſi deprehenduntur; cum nonnullâ adhæſione in latere ſiniſtro. Notare expedit nullum repertum fuiſſe obicem in utroque ventriculi oſtio. Præterea alimenta inter vitam facillimè ad ventriculum appellabant, & ductum inteſtinalem ingrediebantur; atque nullus fuerat vomitus. Hinc latet ratio, quâ denegatus fuit exitus flatuum per ſuperiora, vel inferiora. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 16. Fœmina triginta annorum, poſt diuturnos artuum dolores, *ſcabie* humidâ corripitur; quâ intempeſtivè cujuſdam unguenti uſu *exſiccatâ*, *febris* ſuboritur *acuta* ingenti calore & ſiti, ac ſæviſſimis doloribus ſtipata. His poſtmodum acceſſerunt delirium, & ſpirandi difficultas, cum ventre tumido; ac ſexto die mors.

Ventriculus & inteſtina flatibus mirè diſtendebantur; adeò ut ventriculus pluſquàm dimidium ventris impleret; in quo ſtagnabat una duntaxat, aut altera aquæ libra. Pulmones plevræ annectebantur, mediante corpore quodam gelatinoſo. CLARISS. MORGAGNUS.

VENTRICULUS.

OBS. 17. Vir litteratus, ad quinquageſimum ætatis annum proximè accedens, jam dudùm flatulentiæ, & ventris adſtrictioni obnoxius; in genuinam demùm *tympanitidem* incidit, moleſtiſſimis anxietatibus, & animi abjectione ſtipatam. Fruſtrà omnibus tentatis præſidiis; accedentibus animi deliquiis, cum extremorum refrigeratione, duodecimo circiter morbi die, mortali vinculo exſolvitur.

Aperto cadavere, in conſpectum veniunt ſtomachus & inteſtina enormem in modum flatibus diſtenta, cum variis, paſſim occurrentibus, phlogoſeos & gangrænæ notis. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 17. (*a*) Quidam poſt *colicam flatulentam* per novem menſes crebrò recurrentem, incidit in *tympanitidem* acerbiſſimis doloribus ſtipatam, quâ tandem è medio tollitur.

Sectum cadaver exhibet epiploon levi phlogoſi tactum, ſtomachum & inteſtina flatibus mirum in modum diſtenta. Cyſtis fellea bile atrâ ſcatebat quaſi ad crepaturam. Pancreas erat durum & obſtructum, non ſecùs ac meſenterium. E DIARIO MEDICO.

OBS. 18. In cadavere cujuſdam muliérculæ, quæ ob *ventrem tumidum* progravida habebatur, animadvertitur ventriculus inſigni flatuum copiâ diſtentus, ipſa inteſtina cooperiens, & totam ferè abdominis regionem occupans; quo ſecto fœtidus erupit flatus, cum atro humore ſatis copioſo; præter quæ nil aliud continebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 19. Secto corpuſculo pueri vix ſecundum ætatis annum attingentis; ac diris *ventris torminibus* extincti, deprehendebatur ventriculus mirum in modum flatibus diſtentus. In conſpectum etiam veniebant inteſtina inflata, & pellucida. E MISCELLAN. CURIOSIS.

Locum in hac ſerie aſſequi valent obſervationes Libr. I. 622, 1573. Libr. II. 458.

## *Ventriculi hydrops.*

OBS. 20. Mulieris, ſe gravidam putantis, *abdomen* ſenſim *intumuit.* Elapſo geſtationis tempore, hydrope laborare judicatur. Interea venter per triennium ita increvit, ut oneri ferendo vix ſufficeret ægra. Tandem accedente febre, cum ſiti immani, inquietudine, & dyſpnæâ, ad plures abiit.

Continebat

Continebat ventriculus aquæ nonaginta libras : per medium diſſectus ulnam vulgarem ſuperabat. Duo orificia ſe invicem quaſi tangebant, & interior facies hydatidibus erat referta. BLANCARDUS. VENTRICULUS.

---

*Ventriculus ingens.*

OBS. 21. Vir ſexaginta annos excedens cachecticus, cujus abdomen & artus inferiores erant œdematoſa; cum pulſu debili & alvo ſiccâ, querebatur de *dolore* quodam obſcuro & gravativo in regione *ſtomachi*; altiùs cæteris abdominis partibus protuberantibus. Alimenta, & præſertim potum, reſpuebat, ac irrito vomendi conatu torquebatur. Intereà morbus per duos menſes increſcens in leucophlegmatiam faceſſit, ſpirandi difficultate & manifeſtâ fluctuatione in abdomine ſtipatam; perſiſtente prædicto dolore obſcuro & gravativo ſtomachi; omnique denegato vomitu : quibus demùm ingraveſcentibus, ad noviſſimum diem feſtinavit.

Luſtrato abdomine, reperiebatur ſtomachus in immenſum diſtentus, ab exhibitis fortè per duodecim dies potulentis. Tubus inteſtinalis ità erat contractus ut aggeries omnium inteſtinorum vix æquaret molem ſtomachi; qui atoniâ jamdiu laboraſſe videbatur; libero manente pylori aditu. Ex hâc rarâ obſervatione varia colligere licet erga vomitum, ſolâ, uti videtur, vi contractili ſtomachi movendum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 21. (*a*) Fœmina ſexagenariâ major, ſuperatâ hemiplegiâ, inſultu nephritico corripitur & calculum phaſeoli magnitudine excrevit. Dein ingruunt *dolores in regione epigaſtricâ.* Vires collabuntur cum pedibus œdematoſis. Tandem decimo quarto ante mortem die, erumpit *vomitus*, primò bilioſus & pituitoſus, poſtea *chyloſus*, alvo clausâ. Intereà dolores ſæviunt in abdomine; & præſertim in inguine; urget ſitis cum pulſu febrili & debili pergit vomitus, nulla arte compeſcendus; donec tandem cruciatibus confecta animam exhalavit.

Ventriculus invenitur adeo diſtentus, ut ſex menſuras ad minimum caperet. Inteſtina flatibus mirè turgebant. Occurit hernia inguinalis, cujus protuberentia vix ad avellanæ magnitudinem accedebat. Cyſtis fellea novem pſeudo-calculos recondebat. Ovaria erant tuberculoſa. CLAR. BAADERUS.

OBS. 22. Mulier quadraginta circiter annorum, cùm cæpam aceto & ſale conditam, ſimulque panem è caſtanearum farinâ confectum comediſſet, illicò de *ſtomachi dolore* queritur : quo magis

VENTRICULUS.

magiſque ſæviente, tribus à paſtu horis, ſudore frigido & lethali ſyncope corripitur.

Luſtrato cadavere, reperitur ventriculus majorem in modum diſtentus, ac nonnihil inflammatus; cæteris partibus ſecundùm naturam ſe habentibus. VALSALVA.

OBS. 23. Quidam juvenis floridæ ætatis, ſed vitreæ valetudinis ſummâ *pectoris anguſtiâ*, cum ventris inflatione, poſt cœnam corripitur; ac ſubitò extinguitur.

Cadavere examini ſubjecto; occurrit ventriculus tantæ magnitudinis, ut non ſolùm totum abdomen, ſed etiam majorem thoracis partem occuparet; diaphragmate in immenſum dilatato & repulſo. Pulmones reperiuntur putres & partim abſumpti. Cor erat contractum; hepar corruptum & depreſſum; lien minimus & omentum nullum. PLATERUS.

OBS. 24. Quidam cogebatur ab aſſumpto cibo circiter horam, in os cibum attrahere, & haud ſine oblectatione rursùm mandere: *ruminabat* enim inſtar boum.

Mortui aperto cadavere inventus eſt ventriculus inſignis magnitudinis, & internâ ſuperficie valdè aſper. FABRIT. AB AQUAPEND.

OBS. 25. Quædam mulier, ad hypochondriaſim proclivis, perpetuò querebatur de volæ manuum ſiccitate & ſqualore; *difficili reſpiratione*; inapetentiæ, ac ructuum & flatuum perennitate. Rebus calidis delectabatur.

In mortuæ cadavere reperitur ſanguis nigricans, ac ventriculus ampliſſimus. BALLONIUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 180, 230, 632, Libr. II. 326, 946, Libr. IV. 135.

---

## *Ventriculus contractus.*

OBS. 26. Quædam phthiſica, trigeſimum ætatis annum agens, noctu febre & ſudore copioſo ac fœtido laborare ſolebat. Venter erat tumidus & aquâ plenus. In regione epigaſtricâ & umbilicali tangebantur tumores duri & elaſtici. Appetitus languebat & urgebat *vomitus*; alvo remanente ſiccâ. Totum corpus maculis lividis, & ſcorbuticis, erat variegatum. Tandem ſuccubuit.

Pulmo totus corruptus deprehenditur, & fœtidiſſimis ulceribus deturpatus. Inteſtina ſubputrida in unum globum coaleſcebant.

Ventriculus mole parvus, extùs cartilagineus, intùs ſubſtantiam lardo ſimilem exhibebat: duos pollices craſſus vix, ovum columbinum recipiebat. Sanguis ultimò intrà vaſa contentus acer erat, & diſſolutus. CLAR. STORCK.

VENTRICULUS.

OBS. 26. (*a*) Fœmina, per octo menſes, variis *ventris torminibus* laborabat; cùm pulſus debilis vix exploratur, & dolores exacerbantur. Intereà perennis urget *vomitus* & ultrà modum diſtenditur abdomen. Inter hæc infortunia fatis ceſſit.

Stomachus mirè contractus inteſtini craſſitiem vix ſuperabat. Inteſtina tenuia phlogoſeos & gangrænæ notas præ ſe ferebant. Coli pars ſuperior & epiploon, invicem accreta, purulentiâ defœdabantur. Cyſtis fellea lapillis diuriſſimis ſcatebat. Duplex erat lien. Meſenterium contractum, ſcirrhoſum & quaſi lapideum annotabatur, cum colulvie ſubflavâ, ſordidâ & fœtidâ. CLAR. FOURNIER.

OBS. 27. Virgo quintum luſtrum agens ad varias ægritudines proclivis, & *chlorotica*, poſt innumera & futilia cujuſvis ſortis remedia; præpoſteræ curationis pœnas luebat. Jamdudùm *cibi faſtidio* laborans, tandem obiit.

Exenterato cadavere, nulla reperiebatur ſtagnatio in pectore, nec in abdomine; ſed pericardium aquæ copiam continebat. Ventriculus à propriâ formâ degener, & ſummè contractus, inteſtini faciem præ ſe ferebat. Lien ingens & ſanus conſpiciebatur. Cyſtis fellea plures concretiones biliares recondebat. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 28. Puella quinquennis, poſt exhibitum crocum metallorum, graviſſimis ſymptomatibus correpta fuit; *vomitu* nimirum *vehementiſſimo*, cum alvi dejectione moleſtiſſimâ, & concutionibus fortiſſimis totius corporis: mors quoquè ſequuta eſt.

Ventriculus adeò anguſtus, & in ſe contractus fuit, ut magnitudinem ovi vix excedere repertus fuerit. Hepar induratum & quaſi elixum deprehendebatur. FABR. HILDANUS.

OBS. 29. In cadavere cujuſdam *hydropicæ*, ſeptuagenariæ, præter ingentem aquæ copiam, tam in pectore quàm in abdomine, & vulgatiſſimam viſcerum labem; ventriculus reperitur ità contractus, & coarctatus, ut magnitudinem renis vix ſuperaret, & ejus cavum ferè oblitteraretur: diù enim nihil comederat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 30. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam *inædiâ* diuturnâ

VENTRICULUS.

& prodigioſâ enecati, ventriculus ità contractus occurrit, ut in inteſtinum degeneraſſe dixiſſes. Simili ratione exiliora & anguſtiora erant inteſtina. RUYSCHIUS.

OBS. 31. In cadavere cujuſdam *voracis*, & ſtrenui helluonis, reperiebatur ventriculus parvus; ſed triplam craſſitiem exhibebant ejus latera. DIEMERBROEK.

In hâc claſſe recipi queunt obſervationes Libr. I. 190, 191, 1017; Libr. II. 212, 898. Libr. III. 149.

## *Ventriculus exiliſſimus.*

OBS. 32. Quædam matrona, annis matura, *anxietatibus* indeſinenter conflictabatur. Variis fruſtrà tentatis præſidiis; tandem convulſionibus epilepticis corripitur, & mortali vinculo exſolvitur.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum, exhibebat ſtomachum ſimplici, uti videbatur, membranâ tenuiſſimâ & exiliſſimâ conflatum. Cætera inſuper viſcera inculpata deprehendebantur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

## *Ventriculus duplex.*

OBS. 33. In diſſectione cadaveris cujuſdam viri, trigeſimum quintum ætatis annum agentis, creberrimis *vomitionibus* jampridem vexati, inveniebatur ventriculus duplex, ità ut prior œſophago continuus, ab altero vel inferiori manifeſtè diſtingueretur. Ille minor altero erat craſſioris ſubſtantiæ, infinitis & inſignibus plicis intùs exaſperatus; hic vero iis omninò deſtituebatur, tenuioris valdè conditionis; qui forte nil aliud erat quàm duodenum ſummè dilatatum. BLASIUS.

Inter affines memorari debent obſervationes Libr. II. 923; Libr. IV. 108.

## *Ventriculus bile turgens.*

OBS. 34. Graſſabantur in Italia *febres* quædam *mali moris*, quæ

primò tertianæ ſimplicis typum referebant; cum capitis gravitate, oris amarore, & dolore ventriculi. Circà ſeptimum diem febris erat continua, & brevi malignæ faciem præ ſe ferebat: donec decimo quarto morbi die, ut plurimùm, moriebantur decumbentes; ni alvi fluor accederet. VENTRICULUS.

Exenteratis cadaveribus, nulla læſio in pulmonibus præter ariditatem conſpiciebatur. Cyſtis fellea inſigniter tumebat; ventriculus verò humoris bilioſi ſtupendam copiam retinebat. BORELLUS.

OBS. 34. (*a*) Quidam juvenis de *doloribus univerſalibus*, præſertim artuum, querebatur. Ægrè reſpirabat cum oris amarore & nauſeâ: *Febre* vehemente, erumpit *phlogoſis eryſipelacea* totum brachium ferè occupans. Dein livet facies: pulſus exilis exploratur, cum ſudore frigido. Tum brachium læſum gangrænâ corripitur; & paulò poſt obiit.

Pulmones coſtis hærebant: ventriculus & duodenum bile porraceâ ſcatebant: veſica plus æquo contracta, & quaſi calloſa deprehendebatur. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 35. Vir quidam, poſt febrem malignam, *maniacus* evadit: in quo poſt obitum diſſecto, reperiebatur ſtomachus, materiâ viſcidâ, gelatinoſâ, & ſaturatè viridi repletus; nullis obviis alimentorum reliquiis. Cyſtis fellea bile acerrimâ, & luteâ ſcatebat. Vaſa cerebri, & ipſummet cor, atro ſanguine, picis inſtar, turgebant. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 36. In cadavere cujuſdam mulieris, quæ de perpetuo & moleſto *ventriculi ardore* querebatur, reperiebatur bilis redundans in ventriculo & duodeno, quorum facies interior colore luteo inficiebatur; veſicula fellea erat etiam ultràmodum repleta. PLATERUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 38, 232 (*a*), 302, 350, 366, 390, 672, 717, 1582. Libr. II. 126, 159, 318, 449. Libr. III. 407.

## *Ventriculus vas choledocum recipiens.*

OBS. 37. Vir triginta annos natus, & melancholicus inexplebili ciborum *voracitate*, & *vomitu* ſæpiùs recurrente multis abhinc annis laborabat; cum accedente febre quâdam epidemicâ malis moris, nono morbi die ad plures migravit.

Reſerato abdomine, in conſpectum veniunt ſtomachus & inteſtina

VENTRICULUS.

flatu diſtenta, & variis phlogoſeos & ſyderationis notis ſignata. Inſuper deprehenditur ductus choledocus, vel communis, in ipſummet ventriculi cavum hians. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 38. Quidam arthriticus, artubus contractis, incidit in *vomitum* contumaciſſimum, cum flatulentiâ, quâ crebri ructus erumpebant. Accedentibus gravioribus curis exaruit fiſtula annoſa. Dein ſomnolentus evadit; & de *ardore ventriculi*, ſolo vomitu bilioſo compeſcendo, conqueritur. Viribus tandem deficientibus, febris, & doloris expers, placidè ad æthereas ſedes convolavit.

Reperitur in ventriculo fæx bilioſi & melancholici humoris ad libras duas. Pancreas occurrit nigerrimum & quaſi induratum; hepar partim ſcirrhoſum; cyſtis fellea planè inanis; ac demùm ductus choledocus ventriculo inſertus. BONETUS.

OBS. 39. Vir conſiſtentis ætatis *vomitu contumaciſſimo*, cum alvo duriore, angebatur; ac demùm ſuperveniente genuinâ cholerâ, brevi occubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, animadvertitur porus choledocus propè pylorum eggreſſum habens; ità ut non minùs ventriculo, quàm inteſtinis bilem tranſmitteret. CABROLLIUS.

OBS. 40. Faber lignarius *ventriculi dolore* diù immaniter premebatur, cum vomitu humoris bilioſi, quo levamen experiebatur. Tandem inflammatione ventriculi oppreſſus, triduo extinctus eſt.

Luſtrato abdomine deprehenditur vas choledocum ad ventriculi fundum implantatum. ZACUTUS.

OBS. 41. In cadavere cujuſdam viri *voraciſſimi* reperiebatur vas choledocum ventriculo proſpicientem, cujus ope bilis ad ventriculum deſerebatur. MŒBIUS.

In hoc tractu collocari debent obſervationes Libr. I. 37, 41.

---

## *Ventriculus atram colluviem recondens.*

OBS. 42. Quidam ſenex *febre quartanâ* laborans, humorem atrum, acidum & ferventem ſub frigore frebrili evomebat.

Triplex dein febris facta eſt cum acceſſionibus longiſſimis ; adeò ut nil fermè à continuâ diſcreparet ; quâ perſiſtente, tandem fatis ceſſit. VENTRICULUS.

Extincti corpus diſſectum habuit ventriculum atro ſucco plenum : jecur firmum, & plus æquo ſolidum, deprehendebatur ; ſplen verò exiguus. GUARINONIUS.

OBS. 43. Exenterato cadavere cujuſdam viri crapulæ indulgentis, & *vertigini* obnoxii, reperiebatur ventriculus in parte inferiori quaſi contuſus, atque nigro ſucco ex dimidio plenus. BONETUS.

OBS. 44. Inſtitutâ ſectione corporis cujuſdam *voraciſſimi* ; occurrit in ventriculo magna aquæ copia, inſtar atramenti ſcriptorii nigræ. LIBAVIUS.

Haud abſimiles caſus præbent obſervationes Libr. I. 250, 251, 578, 790, 844, 845, 975, 1573. Libr. II. 306.

---

## *Sanguis effuſus in ventriculum.*

OBS. 45. Vir ſexagenarius, nullâ præviâ causâ manifeſtâ, inexpectatâ & *ſubitaneâ nece* extinguitur.

Luſtrato cadavere : tota ventriculi cavitas uno prægrandi, & formam ejus referente, ſanguinis grumo eum in modum obſeſſa & oppleta erat, ut ſpatium nullum vacuum inter pylorum & ſiniſtrum orificium relinqueretur. Nonnullæ inſuper in liene occurrebant putriditatis notæ. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 46. Quidam, quinquagenario major, nephreſi & *doloribus ventriculi* diù, multùmque conflictatus, viribus jam deficientibus, nigra dejiciebat per complures dies ; ac tandem *ſyncope* obortâ, intrà dimidiæ horæ ſpatium expiravit.

Exenteratum cadaver exhibuit ventriculum concreto ſanguine ſemiplenum. MERMANNUS.

OBS. 47. Luſtrato cadavere cujuſdam ſenatoris qui poſt *rejectionem ſanguinis*, tam per ſuperiora, quàm per inferiora, ad ineluctabile fatum properavit ; vas breve, minimi digiti magnitudine latum, in ventriculum adapertum deprehenditur. RIOLANUS.

VENTRICULUS.

OBS. 48. Quidam majorem *ſanguinis* copiam rejiciebat per *vomitum*, & dejiciebat per ſeceſſum; donec viribus exhauſtis ad plures migraverit.

Inciſo cadavere, occurrit vena quæ a liene ad os ventriculi tendit, inſignis magnitudinis, & diſrupta. COLUMBUS.

OBS. 49. In cadaveribus variorum qui *vomitum ſanguinis* patiebantur, vaſa brevia ad digiti medii magnitudinem perventa, & in ſtomachum hiantia vidit. RONDELETIUS.

Locum in hâc ſerie obtinent obſervationes Libr. I. 113, 115, 1052; Libr. II. 2.

## *Ventriculus vermibus & pediculis ſcatens.*

OBS. 50. Puer ſexennis *cardialgiâ* prehenditur, cum pituitæ & quinque lumbricorum viventium vomitu. Pulſus erat inæqualis, modò elatus & magnus, modò parvus & interciſus. Poſt triduum, ingraveſcente dolore ſtomachi, fatis ceſſit.

Duo vermes reperiuntur in ventriculo; cum inuſtâ maculâ è rubro liveſcente in ſuperiori orificio, à punctione ſcilicet majoris lumbrici orta. Annotantur inſuper inteſtina bile undique ſuffuſa. Circà medium pulmonem ſanguinis concreti maſſa, ovum magnitudine æquans continebatur. SAXONIA.

OBS. 51. Puer decem annos natus, jamdudum geſtabat ventrem tumidum, à *tympanitide* vix diſcrepantem; cum ingruente inſultu verminoſo, nullâ arte compeſcendo, extinguitur.

Secto cadavere inveniuntur in ventriculo tres & triginta lumbrici, quoad potiorem partem ſeſquipedales, omnes vivi, ventriculo adeò tenaciter ore hærentes, ut vix avelli poſſent. Inteſtina, nullis ferè excrementis, flatu diſtenta occurrebant. SAXONIA.

OBS. 52. Virgo nobilis trigeſimum ſextum ætatis annum agens, morbo medicis ignoto per ſex menſes laboravit. Febriculâ tenebatur: ſæviebat *cardialgia*: inſignis erat corporis languor cum ventris torminibus. Tandem corpore nequaquam extenuato, ſubitò occubuit.

Deprehenditur vermium agmen conglomeratorum circà orificium ſuperius ventriculi. Inteſtina etiam paſſim, perforata, vermes confeſtim collectos recondebant. BONETUS.

OBS. 53,

VENTRICULUS.

OBS. 53. Puer ictero laborans, incaſſùm tentatis variis præſidiis, mulierculæ cujuſdam conſilio, ſeptem aut novem voravit ſordidiſſimos pediculos. Senſim fugatur icterus, qui brevi recurrit contumacior cum *appetitu canino*, cui acceſſit atrophia inſignis; unde mors.

Aperto de mortui ventriculo ſe obtulit inexpectata pediculorum monſtroſæ magnitudinis, & in unum conglobatorum, colonia. BONETUS.

OBS. 54. Inſtitutâ ſectione cadaveris, cujuſdam viri, qui dum viveret de *dolore ſtomachi* perpetuò conquerebatur, reperiebantur veſiculæ, ventriculo affixæ, pediculis turgidæ. HEURNIUS.

Ad hanc claſſem revocari debet obſervatio Libr. I. 308.

## *Lapides in ventriculo.*

OBS. 55. Vir quinquagenarius, vino deditus & arthritidi obnoxius, diuturnam *cardialgiam* domare conabatur inconſulto oculorum cancrorum fluviatilium, aliorum terreorum uſu. Poſt triennium dolor ſtomachi fit gravativus; cum *vomitu pertinaci*, & inſultibus nephriticis atrociſſimis; quibus tandem è medio tollitur.

Luſtrato cadavere; occurrit in ſtomacho ſtupendus lapidum albicantium numerus, quorum major, formâ irregulari, uncias duas & ſemi pendebat. Materiâ quâdam glutinosâ obvolvebantur prædicti lapides. Præterea alter ren calculum minorem recondebat. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 56. Mulier quadraginta annorum continuo *ventriculi dolore*, nauſeâ & innappetentiâ conflictabatur. *Venter tumebat;* adeò ut non nulli de tympanitide cogitarent; alii ipſam gravidam eſſe exiſtimarent: omni poſthabitâ curâ, tandem occubuit.

In fundo ventriculi reperiebantur lapilli; nullo cohærentes vinculo; ſed granorum pomi granati inſtar, ſeſe mutuò amplectentes, tam copioſi ut ad manipulum unum accederent. Facile erat colligere ex bile concretâ, tartareum quid æmulante, ortos fuiſſe prædictos calculos. HÆFERUS.

OBS. 57. Vir quinquagenarius, olim miles, incidit in crudeliſſimum *ventriculi dolorem*, qui à quovis cibo exacerbabatur; adeò

VENTRICULUS.

ut ſolo vini potu per biennium fuerit ſuſtentatus. Tandem fatis ceſſit.

Diſſectum cadaver exhibebat ventriculum mole minorem & variis rugis exaſperatum; in quo reperitur lapis, inſtar ovi, non rotundus, duriſſimus, & aliquo modo aſper; cinerei coloris, unciaſque quatuor pendens. GARNERIUS.

OBS. 58. Quædam mulier febre hecticâ, cum aſcite, laborabat; præviis lienis & uteri, uti videbatur, obſtructionibus, cum continuis *doloribus in regione epigaſtricâ*. Urgebant ſitis & vigiliæ; tandem lypothymiâ correpta obiit.

Pulmones inveniuntur purulenti, & undique coſtis adnati. Secto ventriculo, occurrit lapis durus & griſeus, pollicis craſſitiei, huic accretus. Hepar inſuper deprehenditur ſcirrhoſum cum ſtagnante aquâ in abdomine. LANGELOT.

OBS. 59. Nonagenarius per totum vitæ curriculum, ſingulis diebus, manè, hauſtum aquæ frigidæ ſcaturientis ebibebat. Paucis ante mortem menſibus acerbum *ventriculi dolorem*, nullis præſidiis cicurandum patiebatur.

Repertus fuit in ventriculi fundo calculus, nucis avellanæ magnitudine; reliquis viſceribus optimè conſtitutis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 60. Vir religioſus, ſeptuagenarius, variis morbis obnoxius præter cæteros, ſæpiùs de *dolore* tam vehementi, ac ſi telum ipſi inflectum fuerat, circa regionem *cartilaginis enſiformis* conquerebatur. Tandem naturæ debitum ſolvit.

Pulmones variis maculis nigris & lividis erant ſignati. Ventriculus pluſquàm triginta calculos diverſæ molis continebat, ejus fundo arctè hærentes. Hepar denique variis hydatidibus erat refertum. BILGERUS.

OBS. 61. Muliercula *dolore* acerbo *ventriculi* jampridem torquebatur. Tandem accedentibus aliis ſymptomatibus; viribuſque deficientibus, obiit.

Novem inventi ſunt lapides in ventriculo, craſſiſſimæ pituitæ immerſos, quatuor unciarum pondus æquantes. Maximus figuram habebat trigonam; reliqui erant rotundi, vel ad figuram ovalem accedentes. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 62. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viri, qui dum

viveret intolerabilibus *ventriculi doloribus* torquebatur, in conſpectum venit lapis in ventriculi cavo nidulans, ad ovi gallinacei magnitudinem accedens. BORELLUS.

VENTRICULUS.

OBS. 63. In cadavere fœminæ de *dolore ſtomachi*, perpetuò querulæ, reperiebantur in ſtomacho decem lapides, quorum major unciam unam pendebat. EX ACTIS PHYSICO-MED. GERMAN.

## *Corpora extranea in ventriculo.*

OBS. 64. Puella decennis *abſurdorum comeſtione* ab infantiâ delectabatur. Circà annum ætatis quintum balbutiebat; atque de doloribus tum ventris, tum capitis querebatur. Intereà atrociores fiunt dolores: dein ingruunt *inſultus convulſivi*, quibus prorsùs emaciata è medio tollitur.

Tetrum odorem ſpirabat abdomen apertum. Omentum conſumptum ferè erat; cum meſenterii glandulis induratis, ventriculus continebat materiam quamdam liquidam & cineream; plumas compactas, & fila. Hepar exangue & chraceum conſpiciebatur. Cerebri anfractus undique gelatinâ referti erant. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 65. Quidam ob diuturniorem uſum cujuſdam aquæ ſcaturientis, *imbecillitatem ventriculi* contraxit; ad quam emendandam zinziber conditum ſæpè & affatim comedebat. Ingruente demùm *dolore ſtomachi*, nullis præſidiis compeſcendo, è vita deceſſit.

Luſtrato cadavere, reperiebatur in ventriculo libram circiter unam prædicti zinziberis. PLATERUS.

OBS. 66. Cuidam equiti exhibebantur pilulæ ex aloë ante paſtum, ad roborandum ventriculum. Tandem ingruit *dolor ſtomachi*, à cujus ſævitie accedit interitus.

Aperto abdomine reperta fuit, *in ſtomachi latebris*, integra maſſa pilularum. BALLONIUS.

OBS. 67. In cadavere cujuſdam uſum inter diuturnum pilularum extincti, inventa fuit maſſa pilularum concreta in ventriculo. ALBERTUS.

Hunc ordinem ingreditur obſervatio Libr. I. 205.

## *Ventriculi inflammatio.*

VENTRICULUS.

OBS. 68. Quidam miles, poſt laborem arduum, domi reverſus exæſtuans, & ſudore perfuſus ingentem aquæ gelidæ copiam, exutis veſtibus, ingurgitavit. Nocte ſequenti, *febre acutâ*, prævio horrore, corripitur, cum immani *dolore in epigaſtrio*. Simili fermè ratione pergit morbus; donec circà nonum diem delirare incipit æger, qui die quindecimo obiit.

Reperitur in ventriculo liquamen fuſcum, è potulentis & ichore fœtido, fluctuans. Ventriculi fundus inflammatus maculas nigricantes, & exulcerationes internas exhibebat, phlogoſeos communicatæ veſtigia conſpiciebantur in duodeno, non secùs ac in proximioribus hepatis & duodeni partibus. CLAR. HELLER.

OBS. 68. (*a*) Vir quinquagenarius, ſuperatâ pleuritide, ad morbos pectoris proclivis, poſt longiorem moram in horto humido & frigido recidit in *febrem* acutam cum *dolore* & oppreſſione *pectoris*. Accedit *ſingultus* penè perpetuus, cum pulſu intermittente & exacerbationibus ſerotinis. Die octavo nonnihil delirat: dein impeditur deglutitio; omnia exacerbantur & die duodecimo obiit.

Pulmo dexter paſſim adhærebat. Siniſtri pars ſuprema induruerat & ſcirrhum purulentum referebat. Diaphragma inculpatum reperitur; ſed ventriculus undique inflammatus occurrit; ut ſanguis in celluloſitatem ſecundam effuſus ramos majores vaſorum ſequeretur, præſertim propè ingreſſum œſophagi. CLAR. HALLERUS.

OBS. 69. Vir nobilis quadraginta annorum, in febrem tertianam duplicem, graviſſimis ſtipatam ſymptomatibus incidit; cum anxietate & plenitudinis ſenſu in ventriculo. Accedit vomitus materiæ fuſcæ & copioſiſſimæ, in quâ innatabant quædam ramenta quaſi membranacea. Pluries recurrit *vomitus*, cœteris ſævientibus ſymptomatibus. Dein accedit delirium cum tremore brachii dextri; illud excipiunt *convulſiones*, ſuccedentes paralyſi ejuſdem lateris. Perſiſtentibus & ingraveſcentibus convulſionibus, ingruit *ſingultus*, fatiſcunt vires; & moritur.

Secto cadavere, ventriculus deprehenditur inflammatus. Veſicula bilis inanis occurrit, acrem tamen continens. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 70. Juvenis quinque & viginti annos natus, *diarrhœam* moleſtiſſimam per duodecim dies patiebatur; quâ intempeſtivè cohibitâ emergunt *ardores* per totum abdomen, *anxietates* & *ſin-*

*gultus.* Intereà venter in molem inæqualem & elaſticam elevatur, cum ſiti ingenti & delirio. Brevi poſt obiit.

VENTRICULUS.

Ventriculus craſſus & contractus, hinc inde inflammatus conſpicitur. Inteſtina ſuperiora tenuem chordam referebant: colon in ſeptem locis arctiſſimè conſtrictum conſpiciebatur; inter haſce contractiones, flatu turgidum, ad molem capitis infantis protuberabat. CLAR. STORCK.

OBS. 71. Quidam ad ſexageſimum annum accedens, ebrioſus, & hebes, *febre acutâ* corripitur, cum pulſu parvo, duro & intermittente; ac die decimo tertio moritur.

Reperiuntur in ventriculo & inteſtinis plures inflammationis notæ. Tenuis meninx leve etiam præbebat inflammationis indicium. Parca demùm ſeri copia paſſim obſervatur in variis cerebri receſſibus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 72. Vir quadragenarius gravioribus cogitationibus diſtentus, de dolore capitis & ſtranguriâ querebatur. Poſt cœnam immani *cardialgiâ* corripitur, in dies ingraveſcente. Intereà colluvies viridis per os & alvum ejicitur, ac tertio die inter ferociores ventriculi dolores extinguitur.

Luſtrato cadavere, reperitur fundus ventriculi maculis ſanguineis diſtinctus, inflammatus & ad gangrænam vergens. Nil prætereà adnotatione dignum fuit in cæteris partibus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 73. Quidam juvenis poſt inconſultum, & immodicum, *hydrargyri uſum*, illuc abiit unde negant redire quemquam.

Primâ abdominis ſectione, intactis inteſtinis, erumpit maxima flatuum copia. Ventriculus inanis faciem internam inflammatam exhibebat. Paſſim obſervabatur in tubo inteſtinali mercurius crudus, non ſecùs ac pulvis nigricans, æthiopis inſtar mineralis. Colon prætereà ſummè diſtentum, paſſim inflammatum & ſcirrhoſum occurrit. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 74. Vir quinque & triginta annorum, cholericus & vorax, rigore corripitur, quam excipit *febris* intenſa, *dolore ſtomachi* acerbiſſimo, & vomitu enormi ſtipata. Tumet epigaſtrium, & ingruit ſpirandi difficultas. Mens obnubilatur; erumpunt ſudores frigidi, cum extremorum refrigeratione; brevi denique luſtricâ opus fuit.

Aperto cadavere in conſpectum venit ventriculus phlogoſi tactus, & paſſim ſyderatus; qui inſuper ultrà modum tumebat, & æruginosâ colluvie ſcatebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

VENTRICULUS.

OBS. 75. Quidam juvenis, vigeſimum quartum ætatis annum agens, de ſummo *dolore* circà ſcrobiculum cordis, *vomituque* moleſtiſſimo, per plures ſeptimanas conquerebatur; quo demùm exacerbato fatis ceſſit.

Exenterato cadavere, invenitur pericardium aquâ ultràmodum diſtentum. Lien ferè totus conſumptus occurrit; cum omento gangrænoſo. Præterea ventriculi fundus inflammatus materiam quamdam mucoſam continebat. BLASIUS.

OBS. 76. Pictor conſtitentis ætatis immani *colicâ*, quam *Saturninam* vocant, corripitur. Accedit ſanguinis ſputum; & ingraveſcente morbo obiit.

Pulmones & plevra varias, inflammationis notas exhibebant cum ſtagnante ſero in dextro pectoris latere. Somachi facies interior inflammata deprehenditur. Duodenum jejunum & ileum varias etiam phlogoſeos notas præ ſe ferebant. Hepar occurrit ingens & obſtructum; ac demùm pancreas ſimili modo afficitur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 77. In cadavere cujuſdam pictoris eâdem *colicâ* ſublati, inveniebantur inteſtina variis in locis contracta, & quaſi ſtrangulata, cum numeroſiſſimis maculis rubra lividis & gangrænoſis; præſertim in tractu jejuni & ilei, quorum vaſa ultràmodum tumebant. Stomachus denique variis inflammationis notis ſignatus, latiores maculas livido nigricantes præ ſe ferebat. E DIARIO MEDICO.

OBS. 78. Quidam juvenis quatuor & viignti annos numerans, uſus fuerat, dum maximè caleret, frigido potu. Altero die *delirio* vehementi corripiebatur, adeò ut ab adſtantibus detineri vix potuerit; inter quod obiit.

Inciſo abdomine reperiebatur totus ventriculus inflammatus, & repletus materiâ quadam mucosâ qualem aliquot diebus ante obitum accreverat. BONETUS.

OBS. 79. Quidam poſt aſſumptum extractum ellebori nigri, incidit in alvi fluxum, *vomitu* enormi & atrocioribus *ventris torminibus* ſtipatum, qui ægrum ad libitinæ rationem brevi ducit.

Secto cadavere ventriculus deprehenditur inflammatus. Hac labe tacta etiam ſe præbent tenuia inteſtina. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 80. In cadavere cujuſdam è capitis gravi vulnere ſublati; qui *ardorem* maximum *circà ſcrobiculum cordis* perpeſſus fuerat invenitur ſuperficies exterior oris ventriculi, maculis rubris, morsûs formicarum inſtar, ſignata. SOLENANDER.

OBS. 80. (*a*) Inter ſectionem cadaveris cujuſdam *febre malignâ* extincti, vaſa cerebri ſanguine turgida occurrunt. Pulmones erant tuberculoſi & non nihil gangrænoſi. Ventriculus verò phlogoſi tactus, non ſecùs ac epiploon conſpiciebatur; inteſtinis paſſim gangrænoſis. CLAR. FOURNIER.

VENTRICULUS.

OBS. 81. Exenterato cadavere cujuſdam *doloribus colicis*, uti ferebatur; extincti, inveniebatur fundus ventriculi phlegmone correptus, & ad mediam uſque tunicam eroſus. HENR. AB HEERS.

His ſubnectere licet obſervationes Libr. I. 229, 231, 353, 377, 439, 604, 1266, 1563 & 1683. Libr. II. 304, 779. Libr. III. 478.

---

## *Ventriculus puſtuloſus.*

OBS. 82. In cadavere fœminæ quatuor & ſexaginta annorum; quæ *pectore laboraverat*, dein *vermibus* & *hæmorrhagiæ narium* fuerat obnoxia; ac tandem, mente læsâ, in *hydropem* lethalem inciderat; pulmones mediaſtino, pericardio & diaphragmati arctè hærebant. Inteſtina lumbricis ſcatebant. In ventriculi parte pyloro proximâ decem aut duodecim fuerunt papillæ hæmiſphericæ, à tunicâ villoſâ prognatæ. Harum apex aut niger aut pure conſpurcatus animadvertebatur. Varia erat moles, ut diameter in nonnullis eſſet trium linearum, in aliis verò ad pollicem accederet. *Ibidem.* HALLERUS.

OBS. 82. (*a*) Mulier quinquagenaria acerbiſſimis *in abdomine doloribus* corripitur, cum ſtupendâ *virium debilitate*, ad leipothymiam proximè accedente. Frigebant extrema & vix explorabatur pulſus. Intrà quindecim horas è medio rapitur.

Stomachus nonnihil inflammatus exhibebat in facie internâ & præſertim circà oſtium inferiùs puſtulas gangrænoſas, formâ ad papulas varioloſas accedentes. Similes puſtulæ paſſim occurrebant in tubo inteſtinali. Plexus meſentericus ſuperior gangrænoſus conſpiciebatur. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 82. (*b*) Quidam jampridem *vomitum* patiebatur poſt prandium & cœnam; in atrophiam tandem tranſiens; poſt ſex menſes vitam cum morte commutavit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, inveniebatur affectus, herpetis inſtar, puſtuloſus; ſedem habens in facie internâ ventriculi, circa pylorum. PANAROLUS.

VENTRICULUS.

OBS. 83. Exenterato cadavere cujuſdam viri *febre ardente*, & mali moris, ſublati, conſpiciebantur in ſuperficie externâ ventriculi quamplurimæ puſtulæ, inculpatis cæteris viſceribus. TH. BARTHOLIN.

Huc etiam pertinent obſervationes Libr. I. 334, 1015.

## *Abſceſſus ventriculi.*

OBS. 84. Aurifaber, cujus vox erat rauca, de *dolore* circà *ſtomachi* regionem conquerebatur. Sæviebat febris lenta, tuſſi frequenti ſtipata; ac demùm anno ſuæ ætatis quinquageſimo, obiit.

Ventriculus recondebat materiam nigram, lutulentam, ſanguinis nigri corrupti colorem æmulantem, & copiosè cumulatum: erat enim abſceſſus in ventriculo qui hanc materiam ſuppeditabat. BORELLUS.

OBS. 84. (*a*) Quidam poſt *crapulam*, ventriculo largâ vini & aquæ vitæ copiâ ſaburrato, in *vomitum* pertinaciſſimum, *æſtu moleſtiſſimo* interaneorum ſtipatum: quibus perſiſtentibus & ingraveſcentibus, quinto morbi die migravit ad ſuperos.

Stomachus in arcu minori ſcirrhoſus & craſſiſſimus nigreſcebat, & gangrænæ notas præ ſe ferebat. Pars oppoſita recondebat inter tunicas ingentem abſceſſum. Pulmones flatu tumidi & gangrænoſi annotabantur. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 85. Muliercula *dolore* ingenti, circà *ventriculi* regionem, per multos jam menſes torquebatur; febre ſæpiùs recurrente; quibus demùm confecta occubuit.

Secto cadavere, occurrit apoſthema in orificio inferiori vintriculi, non ſecùs ac in duodeno. Partes ambientes induratæ cernebantur. Ventriculus multum ſanguinis effuſi recondebat. Folliculus demùm fellis pugno major annotabatur. JOH. BAUHINUS.

OBS. 86. Quidam nobilis ictero laborabat cum *dolore* in regione *hepatis*; & *tumore* qui è cartilagine enſiformi ad tertiam uſque coſtam ſpuriam extendebatur. Quatuor ſuperatis menſibus, atque ingraveſcente morbo, tandem migravit ad Superos.

Inveniebatur abſceſſus pyloro ſcirrhoſo & exulcerato adnatus; hepati tantummodò hærens. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 87.

VENTRICULUS.

OBS. 87. In variis denatis, qui, dum viverent, *vomitu* perplures menſes laboraverant, prægrandis abſceſſus in inferiore parte ventriculi, uſque ad pylorum, reperiebatur; qui induratus & quaſi cartilagineus pugni molem æquabat. RIOLANUS.

OBS. 88. Exenterato cadavere cujuſdam mulieris quæ jamdudum *ſpirandi difficultate* & *cardialgiâ* laborabat; reperiebatur pus collectum, abſceſſûs inſtar, inter ventriculi tunicas. CAR. PISO.

OBS. 89. De quodam, qui *vomitu continuo* occubuit; in cujus cadavere deprehendebatur abſceſſus exulceratus, circà pylorum, mentionem ſubjecit. G. PATINUS.

In hâc ſerie recipi poteſt obſervatio Libr. II. 156.

## *Scirrhus ventriculi.*

OBS. 90. Mulier nobilis melancholica, hyſterica & ſcorbutica, de quodam *dolore*, ſtatis horis à prandio, *epigaſtricam* & hypochondriacam *regionem* obſidente queritur. Succedunt macies & tuſſis moleſta cum materiæ viſcidæ ſcreatu; ac demùm ructus acidi & *vomitus*. Nil proficientibus remediis, omnia exacerbantur ſymptomata: ingruunt deglutiendi difficultas; manſorum & deglutitorum eructatio, anhelatio, cum pulſu debili & intermittente. Intereà abdomen in magnam extenditur amplitudinem; ac ultimò, ægra ſquallida, & atrophiâ abſumpta, fatis ceſſit.

Secto abdomine proſilit aqua putida & fœtidiſſima ad libras circiter quinquaginta. Omentum craſſiſſimum & ſchirroſum, tumoribuſque quaſi ſtrumoſis refertum, ductum inteſtinalem comprimebat, & arctabat. Pylorum etiam obſidebant intùs & extùs hæc corpora ſtrumoſa; quæ etiam conſpiciebantur circà oſtium ſuperius ventriculi. RONCALLUS.

OBS. 91. Vir quinquagenarius, ad melancholiam proclivis, atriſque curis ſollicitus, de *cardialgiâ*, *deglutiendi difficultate* & vigiliis pertinaciſſimis perpetuò querebatur. Non nihil protuberabat regio epigaſtrica, etiam inani ventriculo; vel inibi percipiebatur, explorantibus digitis, *tumor* quidam durus & circumſcriptus, duos pollices latus, ad cartilaginem enſiformem protenſus. Ingruit ſpirandi difficultas & planè impeditur deglutitio. Hinc macies & virium exolutio; ac tandem haud inviſum lethum.

VENTRICULUS.

Eviſcerato cadavere in conſpectum venit tumor ſcirrhoſus, ovum gallinaceum magnitudine ſuperans, juxtà oſtium ſuperius ventriculi ſitus; quo hic aditus ad ventriculum omninò præcludebatur. Alia inſuper annotatur protuberantia ejuſdem indolis, ad caſtaneæ molem accedens, in fundo ventriculi haud procul à pyloro. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 92. Ruſticus quidam melancholicus, cæteroquin prudens, ranam vivam in ventriculo ſe geſtare obnixè credebat; dicens ſe ſperma ranarum cum aquâ hauſiſſe; & ſe inaudire ſæpiùs coaxationem, ſtridoremque ranæ, in ventriculo exiſtentis; in vomitionibus ranam ad gulam uſque aſcendere; ſed ob magnitudinem ejici non poſſe, ac ſuâ relatione medicos detinebat perplexos. Poſt ærumnas plurium annorum macie tandem confectus, obiit.

Reſerato abdomine, inveniebatur tumor ſcirrhoſus, ad ovum gallinaceum mole accedens, venis varicoſis diſtinctus, qui pyloro proximè adhærebat & cancroſum ulcus minabatur. THIERMAIR.

OBS. 93. In cadavere mulieris quadraginta annorum, hydropicæ atque *vomitu* pertinaciſſimo conflictatæ; præter aquam ſubfuſcam in abdomine ſtagnantem, reperitur ventriculus extrà ſitum & ad umbilicum deſcendens. In ejus membranis, quadruplo craſſioribus, firmioribus, & nonnihil cartilaginoſis, adnaſcebatur tumor ſcirrhoſus, denſus & quaſi glanduloſus; duos tranſverſos digitos altus, & pondere duarum librarum. Inteſtina ſcirrhoſa & putrida conſpiciebantur; non ſecùs ac hepar. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 94. Vir quadragenarius inappetentiam, *vomitum* & languorem, per aliquot menſes, patiebatur, ſine febre. In abdomine ex carne percipiebatur *tumor* indolens, durus & circumſcriptus in parte dextrâ ſub ventriculo. Urget vomitus; vires deficiunt, & accedit lethum.

Reperitur in pyloro & parte ſuperiore duodeni tumor ſcirrhoſus. Craſſities prædictarum partium ſexies circiter naturali major erat. Totam circumferentiam pylori & principii duodeni occupans; hic tumor denſus erat & cartilagineus. FANTONUS.

OBS. 94 (*a*) Quidam obeſus, cujuſdam ſcioli conſilio ductus per annum & ultrà immodico *acidorum uſui* indulgebat: *contabuit* miſer, & cui innoxia obeſitas oneri fuerat, is in ultimam maciem incidit: unà ciborum deſiderium ſenſim periit; ſucceſſit ad aſſumpta quæcumque *vomitus;* ac tandem miſera mors.

Reperitur ventriculus ſolidus, craſſus & ſcirrhoſus, ac utero

humano ferè ſimilis. Craſſities circà œſophagum ad duos pollices accedebat. CLAR. HALLERUS.

VENTRICULUS.

OBS. 95. Vir quidam in flore ætatis, diù de *ventriculi* læſione & *dolore* conqueſtus; demùm tale hujuſce morbi ſenſit incrementum, ut præ dolore aſſiduo diutiùs aurâ veſci non potuerit. Præterea *vomitus* continui, & animi deliquia urgebant; donec ultimum obiret diem.

Obſeſſus invenitur fundus ventriculi tumore ſcirrhoſo ad pugni magnitudinem accedente, ac materiâ atrâ & tenaci ſcatente, qualem paucis ante obitum horis rejecerat. RUYSCHIUS.

OBS. 96. Quidam per plures menſes inſigni & moleſtâ *deglutiendi difficultate* laborabat; quæ tandem adeò adaucta eſt, ut nil in ventriculum cibi, potuſve deſcenderit; hinc tabes & mors.

Reſerato abdomine, conſpicitur tumor durus & ſcirrhoſus orificio ſuperiori ventriculi adnatus, adeò ut meatus omninò præcluderetur. BONETUS.

OBS. 97. In cadavere mulieris quæ *vomitu* continuo, & egerendi difficultate vexabatur, cum tumore hypochondrii dextri; inventum eſt hepar omninò putridum. Præterea occurrit ſcirrhus ingens, qui fundo ventriculi & inteſtino colo tenaciſſimè adhærebat. FABR. HILDANUS.

OBS. 98. In cadaveribus nonnullorum qui inſigni *ventriculi dolore* per multos annos patiebantur, deprehendebatur ſcirrhus inter utramque ventriculi tunicam, circà fundum. BOSCHUS.

OBS. 99. In exenterato cadavere mulieris, quæ dum in vivis ageret, de *ventriculi dolore*, perpetuò querebatur, ſcirrhoſum tumorem in ventriculi vidit. JACCHINUS.

Haud abſimiles caſus præbent obſervationes Libr. I. 84. (*a*), 187, 238. Libr. II. 259. Libr. IV. 87, 88.

---

## *Tumor ventriculi.*

OBS. 100. Nobilis quinquagenarius, opipare vivens, febre intermittente vomitu ſtipatâ corripitur: dein de *æſtu ſtomachi* queri-

VENTRICULUS.

tur; & melancholicus evadit. Urgent inquietudines, & arcetur ſomnus. Intereà erumpit quædam purpura miliaris, cum pruritu abſque febre: paulò poſt à ſuſcepto frigore, in horrorem incidit, quem excipit *febris* cum dolore capitis & *vomitu*, evaneſcente purpurâ. Febris poſt ſe trahit *cardialgiam*, difficilem decubitum in latus ſiniſtrum, & *ſanguinis vomitum.* Morbo procedente, pulſus fit debilis; ingruit delirium; erumpit ſudor frigidus; ac ſexto morbi die obiit.

Secto cadavere occurrit cor molle & corrugatum, foramine ovali pervio. Diaphragma quaſdam inflammationis & gangrænæ notas exhibebat. Lien erat ſemiputridus. Stomachus tumidus & inflammatus exhibebat propè pylorum tumorem malum aurantium æquantem, & quinque uncias pendentem; qui carcinomatis naturam redolebat. Præterea inteſtina, non ſecùs ac ſtomachus, ſanguinem atrum recondebant. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 100. (*a*) Presbyter quinquagenarius, fortis admodùm & obeſus, parcè vivens, de *ingurgitationis ſenſu* à pluribus annis querebatur. Accedente inappetentiâ, erumpit *vomitus* nullâ arte domandus. Senſim macie confectus in hydropem lethalem incidit. Notandum quòd triginta abhinc annis ſuperaverat *veneni* effectus quod ei in brodio ſumendum præbuerat mulier nefaria.

Ventriculus conſpicitur contractus & durus; ejus facies interna exhibebat fungoſas excreſcentias; quibus fermè replebatur & obturabatur pylorus. CLAR. DULAC.

OBS. 101. Anicula ſeptuagenaria, meri avida, laborabat *tuſſi* ſiccâ, *ſpirandi difficultate*, capitis dolore, vigiliis & *cibi faſtidio.* Tandem peripneumoniâ lethali corripitur.

Ventre adaperto nil obſervatione dignius occurrit quàm tuber ſubrotundum, pondo libræ, quod poſteriori ventriculi faciei annexum erat. Minoribus aſſurgebat tuberculis albis prædictus tumor, quorum nonnulla ad oſſis duritiem accedebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 102. In cadavere cujuſdam *tabidi*, corpus glandiforme, minoris avellanæ magnitudine, juxtà pylorum, internæ ventriculi parti adnatum vidit. PREVOTIUS.

---

## *Ventriculus ſteatomatoſus.*

OBS. 103. Secto cadavere cujuſdam, qui dum viveret continuo *vomitu* vexabatur; reperitur ſteatoma, ovi magnitudine, orificio

ſuperiori ventriculi adnatum. Alterum conſpiciebatur digiti longitudine ad ſiniſtrum orificium. RHODIUS.

VENTRICULUS.

OBS. 104. Vir quadragenarius inter varias ægritudines, *obſtructione alvi* pertinaciſſimâ angebatur. Poſt mortem repertum fuit ingens ſteatoma circà fundum ventriculi, ad magnitudinem ovi anſeſerini. CAMERARIUS.

OBS. 105. Cadaver cujuſdam *cardialgiâ* & *vomitu* jam diù laborantis, exhibuit tumorem anomalum ad pugni magnitudinem accedentem, in parte anteriori ventriculi ſitum. E MISCELLAN. CURIOS.

## *Stomachus verrucoſus.*

OBS. 106. Miles quidam diù queſtus de inſigni *ventriculi gravitate*, & apetitu collapſo, febre lentâ & tabe laborabat. Sub hoc rerum ſtatu, corpus quoddam, glandis magnitudine, per os rejecit, cum multo ſanguine; atque ab illâ horâ perpetuò fit hæmoptoicus; donec ad plures abierit.

Secto cadavere, ventriculus circà orificium ſiniſtrum, utrimque exhibuit verrucam; alteram magnitudine minoris pomi, alteram mole majoris avellanæ. PAULINUS.

## *Cruſta ſtomachum inveſtiens.*

OBS. 107. Vir quidam de concoctione læsâ, atque *ventriculi dolore*, ut inquiunt, gravativo, pluribus menſibus ante obitum conqueſtus erat.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, & inciſo ventriculo, oculis ſe exhibuit cruſta quædam pinguis & denſa, ſemidigiti craſſitie, intùs undequaque ventriculum inveſtiens. BONETUS.

## *Ulcus ventriculi.*

OBS. 108. Quidam ſexagenarius dolores circà hypochondrium dextrum ſentiebat *vomitum*, *ſingultum*, & ructus patiebatur. Non poterat ſolidos cibos aſſumere; ſed tantum juſcula. De verme vivo in ventriculo hoſpitante, & nonnunquam per œſophagum rep-

VENTRICULUS.

tante, haud ſinè ſummâ cordis anxietate, conquerebatur: ac tandem ultimum diem obiit.

Luſtrato cadavere; hepar circà pylorum arctè connectebatur ventriculo, qui liquamen ſubcruentum & ſummè fœtidum continebat. Pylorus totus erat exulceratus, & variis obſeſſus ſarcomatibus, quæ viam è ventriculo ad inteſtina obturabant. E MISCELL. CUSIOSIS.

OBS. 109. Mulier provectæ ætatis, jam pranſa, paſtillos cum arſenico, ad mures interficiendos, paratos voravit. Poſt horam de *moleſto ventriculi ſenſu* conqueritur; quo ſenſim ingraveſcente, plura vomuit & dejecit cum levamine. Mox redit gravior moleſtia cum animi deliquiis. Horâ demum duodecimâ, accedunt dolores acriores, cum *convulſionibus;* ac anus puerilis gulæ pœnas luit.

Interior ventriculi facies hic illic eroſa conſpicitur, præſertim ad antrum pylori: nec duodenum eroſionibus carebat. Pulmones demum nigricabant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 110. Quædam anicula geſtabat tumorem dextrorsùm, infrà umbilicum, ſatis mobilem ſinè doloris ſenſu: ſed de *ventriculi dolore* perpetuò querebatur, & interdùm de nauſeâ. Tandem accedente febre continuâ obiit.

Tumor erat in ovario dextro, quod materiâ quâdam pultaceâ, & colore excinereo flaveſcente ſcatebat. Adnata tuba multò amplior & craſſior erat. Ventriculus contractus, hic illic inflammatus intùs circà jugum exhibuit ulcus, cujus diameter ad tres tranſverſos digitos accedebat, cum labris craſſioribus & quaſi calloſis. Inſuper inteſtina nonnihil inflammata cernebantur. CLARIS. MORGAGNUS.

OBS. 111. Vir quinquagenario major nonnihil emaciari cœperat, cum moleſtus acceſſit *vomitus* materiæ quæ aquam fuligine infectam referebat: ſimilemque materiam nonnunquam per alvum dejiciebat. Levis erat *dolor ventriculi.* Tandem ulteriùs ſæviente vomitu, viribuſque deficientibus conſecuta eſt mors.

Luſtrato abdomine patet tumor cancroſus & exulceratus in ventriculo versùs pylorum. Occurrunt in ejus cavo tres circiter libræ colluviei ejuſdem naturæ, ac quæ vomitu ejiciebatur. VALSALVA.

OBS. 112. Quidam juvenis & robuſtus, poſt lautum convivium,

ſequente nocte *dolore ſtomachi* correptus fuit, qui primò mitis, dein gravis & vagus evadit. Accedit cephalalgia acerbiſſima cum maximo cruciatu oris ventriculi ; ac totius ventris & artuum : hunc excipit vomitus omnium ingeſtorum. Alia in poſterum ſe proferunt ſymptomata, donec poſt octodecim menſes occubuerit æger.

VENTRICULUS.

Secto cadavere, reperitur in orificio ſuperiori ventriculi ulcus magnum, fœtidum & penetrans in vacuum uſquè hujuſce viſceris, quod humoribus corruptis, gravedentibus & atrabilariis ſcatebat. Inſuper ſtagnabat ſerum limpidum ad duas libras in ventriculis cerebri. FABR. HILDANUS.

OBS. 113. Vir quinque & quadraginta annorum, macilentus per annum integrum & ultrà ægrotaverat. Sputa erant modò cruenta, modò purulenta. Vigebat appetitus inexplebilis ; ac nonnunquam recurrebat *vomitus cruentus ;* donec tandem fatis ceſſit.

In conſpectum veniebat pulmo ſiniſter undique plevræ adnatus, hinc inde purulentus & grandinoſus. Ventriculus erat ingentis magnitudinis, flatu diſtentus, cruore ad medium repletus ; & variis in locis eroſus. BLASIUS.

OBS. 114. Juvenis inter ſorbendum juſculum *ventriculi dolore* ſubitò corripitur, quem comitatus eſt *vomitus.* Perſiſtente dolore contabeſcit & moritur. Creditum id à veneno ; ſed perperam : eſt enim verſimile oſſiculum aliquod acutiſſimum rugæ alicui oris ventriculi inhæſiſſe ; quod apparuit poſt obitum.

Aperto enim cadavere, ulcus in ore ventriculi repertum fuit ; cæteris partibus planè inculpatis. FABR. HILDANUS.

OBS. 115. Fœmina vigeſimum quintum ætatis annum agens de maximâ *præcordiorum anguſtiâ* querebatur ; & paulo poſt cruorem ex ore fundens vitam quaſi ſuffocata finivit.

Ventriculus flatu tumens continebat amurcam nigram, cruentam & muroſam. Eroſa erat ventriculi tunica interna, præſertim circà pylorum. Nonnullæ occurrebant inflammationis & ſyderationis notæ in inteſtinis. Pulmones à ſanguine ſtagnante & quaſi corrupto nigricabant. PEYERUS.

OBS. 116. Quidam captivus duodecies per noctem *vomitu* tentatur ; atque decies per alvum excrevit. Poſtea ſtertit, & brevi moritur.

VENTRICULUS.

Reperiuntur in ventriculo arſenici albi varia fruſtula, quæ ipſis ventriculi tunicis tam arctè inhærebant ut vix avelli poſſent. Fundus ventriculi erat eroſus & craſſiſſimus. SALMUTHUS.

OBS. 117. Quidam febre, *vomitione*, *ventris dolore* & dejectionibus cruentis laborabat; quibus exacerbatis vigeſimo morbi die migravit ad Superos.

Secto corpore, invenitur latiſſimum ulcus in ventriculo, circà cujus ambitum tunicæ internæ exeſæ erant. HOLLERIUS.

OBS. 118. Juvenis ſex & viginti annorum immani dolore in regione epigaſtricâ cum nauſeis corripitur: poſt viginti dies, erumpit *ſanguinis vomitus*, cum dejectionibus nigris; & ſequitur mors.

Occurrit circà pylorum ulcus quinque lineas latum, cum copiâ ſanguinis effuſi in ventriculum, & inteſtina. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 119. Cadaver fœminæ crebro *vomitu* laborantis exhibet peritoneum innumeris tuberculis refertum; nullum omenti veſtigium; inteſtina invicem coalita pluribus tuberculis hinc inde obſeſſa; ileum inflammatum; hepar ſcirrhoſum; ac demùm fœdum ulcus circà orificium ventriculi inferius. JACOBÆUS.

OBS. 120. Cacheticus *doloribus colicis* acerbiſſimis, ſuccedente *vomitu*; per biennium vexatur. Alvus erat adſtricta. Senſim contabeſcit; & moritur

Invenitur epiploon putridum. Hepar intùs & extùs tuberculoſum, cum cyſti felleâ inani. Duodenum bile turgebat; atque ſtomachus ulcere eroſus & perforatus deprehendebatur. CAMERARIUS.

OBS. 121. Matrona quinquagenaria poſt eſum fungorum venenatorum, *vomitu* poſtridiè corripitur, è quo convaluit: ſed circà quintum diem, graviſſimis conflictata ſymptomatis, extincta eſt.

Reperitur in parte dextrâ ventriculi eroſio & nigredo, veneni erodentis ſigna. Præтереà livebant renes. BONETUS.

OBS. 122. Vetula de *dolore* obſcuro *in ſcrobiculo cordis* queritur; quo ſenſim invaleſcente ingruit febris lenta. Duobus elapſis menſibus perſentitur pulſatio in parte affectâ, abſque intumeſcentiâ. Dolore demùm acriùs ſæviente, occubuit.

Secto

Secto cadavere invenitur ventriculus pure ſanioſo conſpurcatus, & ulcere quaſi cancroſo partim abſumptus. E DIARIO MEDICO.

VENTRICULUS.

OBS. 123. Cuidam, errore pueri, loco medicamenti cathartici, aquâ ſublimati, ad ulcus cruris parata, propinatur. De moleſtiſſimo *eroſionis ſenſu in œſophago* ſtatim queritur; & tertio die, omnibus incaſſùm tentatis, inter cruciatus moritur.

Occurrit ventriculus circà pylorum eroſus; cum inflammatione infimæ & vicinioris partis hepatis. SALMUTHUS.

OBS. 124. Quidam per aliquot annos de cibi faſtidio, & *vomitu* querebatur; adeò ut ferè ſolo potu ſe ſuſtentare cogeretur. Hinc viribus ſenſim deficientibus extinguitur.

Abdomen aquâ turbidâ repletum occurrit; cum omento putrido. Ventriculus verò corrugatus & exiguus deprehenidtur, cum ulcere fiſtuloſo tunicas perforante. SALMUTHUS.

OBS. 125. Vir ſexagenarius, poſt febrem tertianam, cum lienis tumore & hepatis obſtructione remanſit. Recurrit febris *vomitu* pituitoſo & pertinaciſſimo ſtipata; quâ tandem confectus vitam cum morte commutavit.

In imâ ventriculi regione, juxtà pylorum, tunica interior exeſa animadvertitur. MARC. DONATUS.

OBS. 126. Quidam *vomebat* bilem flavam, cum tantis *ructibus* ut de ſuffocatione metus eſſet. In mortui cadavere reperiuntur duo ulcera in ſtomacho; cum ſtagnante liquore atramenti inſtar nigro. Hepar erat magnum & durum, quaſi coctum; ac paſſim ſyderatum; cum liene putri. BONETUS.

OBS. 127. Juvenis, cùm convivio interfuiſſet, eâdem nocte *dolore ſtomachi* correptus fuit, quem preſſa pede ſequitur *vomitus*, cum anorexiâ; quibus brevi ingraveſcentibus, è medio tollitur.

Occurrit ulcus magnum juxtà orificium ſuperius ventriculi, qui humoribus corruptis, fœtidis & atrabilariis defœdabatur. BONETUS.

OBS. 128. Muliercula à propinato infuſo hellebori albi, creberrimè *vomebat*. Ac tandem horrendis agitata *convulſionibus* occubuit.

VENTRICULUS.

Ventriculus aquâ plurimâ turgebat; & ejus facies interior corroſa deprehendebatur. Inteſtina erant flatibus diſtenta; omentum corruptum & laniatum; thoraxque aquâ repletus. PEYERUS.

OBS. 129. Mulier *vomitu* pertinaciſſimo conflictata; atrocioribuſque ſymptomatibus nephriticis divexata, cum dolore circà pubem; tandem ad plures abiit.

Ventriculus paſſim erat exeſus, & puſtulis obſitus. Pancreas putridum & ferè abſumptum; atque uterus ſummè labefactatus. Cor demùm occurrit flaccidum & inane; cum pulmonibus corrugatis & plevræ accretis. E DIARIO MEDICO.

OBS. 130. Quidam in arte chymicâ verſatiſſimus, ut ſtomachum halecibus ſalſis, ac cereviſiâ tenui ſaburratum depleret, gillam à ſe præparatam ſumpſit. Eodem die animam cum *vomitu* ingenti expuit.

Secto cadavere, totum deprehenditur ventriculi corpus aduſtum; atque tribus in locis eroſum. HENR. AB HEERS.

OBS. 131. Matrona ſexagenaria, cui à pluribus annis os fœtebat, *dolore* aſſiduo circà *ventriculi* regionem laborabat. Tandem longo morbo confecta è vitâ diſceſſit.

Aperto cadavere, occurrit ventriculus extùs ab omni parte, ſuperficie tenùs, exulceratus. DODONEUS.

OBS. 132. In cadavere cujuſdam qui ab hauſtu pharmaci corroſivi, atrociſſimis *doloribus* oppreſſus, poſt aliquot horas, *phreniticus* obiit; deprehenditur univerſa ventriculi membrana interna eroſa, exeſa & putrida. PAWIUS.

OBS. 133. Inter ſectionem cadaveris puellæ, quæ apud mulierculas, faſcino laboraſſe dicebatur; reperitur ventriculus, circà orificium ſuperius in duobus locis eroſus; ità ut venenum ei exhibitum potiùs videretur. PAWIUS.

OBS. 134. Puer decennis perpetuo *capitis dolore* torquebatur; quo demùm confectus ad cœleſtem aulam properavit.

Aperto cadavere ſalvum reperitur cerebrum; ulcus autem in ventriculo deprehenſum eſt. BONETUS.

VENTRICULUS.

OBS. 135. Quædam mulier diuturno & moleſtiſſimo *alvi fluxu* iter tenebatur; quem morte repentinâ rapitur.

Luſtratis interaneis deprehenditur ventriculus in ſuo fundo ulcere eroſus. RIOLANUS.

OBS. 136. In cadavere fœminæ poſt diuturnum & inopportunum *ſpiritûs vitrioli uſum* ſublatæ, inveniebatur tunica interior ventriculi eroſa & fermè conſumpta. DORINGIUS.

OBS. 137. Inter ſectionem juvenis viginti annorum *cardialgiâ* ſævíſſimâ extincti, conſpiciebatur facies interior ventriculi muco planè orbata, & ſicut ab igne corroſa. PANAROLUS.

OBS. 138. Cadaver cujuſdam mulieris *aſciticæ*, præter ingentem aquæ ſtagnantis copiam exhibebat ulcus in fundo ventriculi, & pyloro. RHODIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 182, 232 (*a*), 977, 1205, 1592, 1594.

---

## *Ventriculus diſruptus & perforatus.*

OBS. 139. Mulier ſeptuagenaria jam dudùm de *dolore umbilici*, ubi quædam percipiebatur durities, ſinè prominentiâ conquerebatur; cùm accedit *vomitus* pertinaciſſimus, nunc ingeſtorum, nunc colluviei cujuſdam nigræ & fœtidæ, cum alvo adſtrictâ. Incaſſùm adhibitis cujuſvis ſortis præſidiis, in eodem ſtatu perſtatmorbus; imò exaſperatur. Dein ingruit febris lenta, vigiliis pertinaciſſimis ſtipata; quibus tandem macie confecta ad plures migravit.

Culter anatomicus ſequentia detexit; in omento ſcilicet tumorem albicantem & ſcirrhoſum, caſtaneæ molem ſuperantem, & umbilico hærentem: hepatis minorem lobum putridum & excavatum, ſtomacho ſimili labe inquinato, & foramine pervio hærentem. Hæc erat ſcaturigo materierum nigrarum quæ vomitu rejiciebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 240. Vir quinquagenarius, edaciſſimus *dolore* quodam *pulſante* corripitur in regione epigaſtricâ; quem ſequitur *vomitus*;

VENTRICULUS.

Paucis poſt diebus exſurgit febris cum dolore capitis, anxietatibus, & delirio obſcuro. Poſt nonnullas remiſſiones exacerbantur ſymptomata; accedit ſomnolentia, quam excipiunt convulſiones: Dein ſedatus vomitus denuò recurrit vehementior & cruentus, inter quem non nullæ ejiciuntur concretiones carneæ. Intereà dejectiones fiunt nigræ & fœtidiſſimæ: ac demùm ſævientibus doloribus extinguitur.

Invenitur cavum abdominis juſculis, aliâve materiâ potulentâ, repletum. Occurrit ſtomachus ulcere interno & calloſo exeſus, & perforatus propè pylorum, exulceratione etiam defœdatum. EX ACTIS PARIS. EXTERN.

OBS. 141. Quidam trigeſimum ætatis annum agens tumore in hypochondrio ſiniſtro afficitur, qui ſenſim in ſuppuratum abit; ac inſtitutâ ſectione majorem puris copiam præbet. Ulcus ſucceſſu temporis *fiſtulæ* characterem induit; quæ non ſolùm materiam purulentam eructat; ſed etiam materiebus in ventriculo contentis exitum largitur. Huic incommodo occurrit miſellus æger decumbendo in latus dextrum; & fiſtulam accuratè obturando turundâ ad hoc opus comparatâ. Sub hâc rerum conditione vitam traxit per plures annos; donec ſuperveniente diarrhœâ pertinaciſſimâ ad æthereas ſedes convolavit.

Inter cadaveris ſectionem in apricum venit ſtomachus in parte ſiniſtrâ calloſus & perforatus; atque ſuprà memoratæ fiſtulæ agglutinatus. E NOSTRIS ADVERSAR.

OBS. 141. (*a*) Quædam mulier per octo annos *à puerperio varias ægritudines* patiebatur. Clarâ voce loqui haud poterat; *nec cibum* quemvis ſolidum *ſumere*; ſed cereviſiâ tenui vitam ſuſtentabat, ut poſſet per urbem reptitare, ſtipemque petere.

Poſt obitum ſectâ; occurrunt peritoneum, ventriculus, duodenum, colon, hepar & veſicula fellea undique fibris albis effloreſcentia, & quaſi glutine in unum corpus degenerata. Adeò accuratus nexus fuit ut colon à ventriculo ſeparari non poſſet; & ab inteſtino in ventriculum via aperta pateret ulceroſa. Ventriculus ſcirrhis & abſceſſibus parte quâ colon reſpiciebat erat deformiſſimus; ſanus verò propè œſophagum. CLAR. HALLERUS.

OBS. 142. Mulier quinquaginta annos ſuperans, poſt diuturnos & ferociſſimos *ſtomachi dolores*, *vomituſque* pertinaciſſimos; tandem inter irritos vomendi conatus ſubitaneâ ſpirandi difficultate opprimitur.

Luſtratis interaneis reperitur coalitus inter ventriculum & muſculoſam diaphragmatis partem, ob utriuſque partis corruptelam.

Cujus ratione inter vomendi conatus dilaceratæ prædictæ partes materiei ingeſtorum ingreſſum concedebant ad ſiniſtram pectoris cameram ; hinc minimè mirum ſi pulmo ejuſdem lateris ſubitò obrueretur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 143. Quidam, aliàs ſanus, inani poſt cœnam *vomendi deſiderio* angebatur, cum *doloribus* atrociſſimis ſuprà umbilicum. Inter hæcce luctamina brevi fatis ceſſit ; & totum corpus poſt mortem mirè intumuit.

Cùm culter anatomicus intromitteretur, flatus cum ſtrepitu exſiliit ex abdomine ; ut à colico dolore ſuffocatum ſuſpicarentur adſtantes. Cæterùm conſpiciebatur ventriculus eroſus, maximiſque foraminibus pertuſus ; unà cum adjacente colo, reliquiſque inteſtinis paſſim perforatis. Cur fit ut ſordibus omnia viſcera conſpurcarentur. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 144. Mulier octodecim annorum, cui nuſquam menſtrua effluxerant, *quartanâ* laborabat, cum ſplene magno, & *ventris intumeſcentiâ ;* nonnullâ ſubſequente prægnationis ſpe. Dein incidit in dolorem ingentem ſcapulæ ſiniſtræ. Febrem concomitabantur *hypochondriorum dolor*, *vomitus* & *ructus*. Intereà ulteriùs protuberabat venter, cum ſpiritu difficili. Dentes interdùm ſtridebant : urgebat ſitis : dolore afficiebantur lumbi : tandem proſtratis viribus obiit.

Secto abdomine ingens erupit flatuum copia, cum multo humore cui innatabat materia pinguis. Ventriculi fundus putris erat, & perforatus. Viciniores partes eamdem labem contraxerant. JOH. BAUHINUS.

OBS. 145. Vir quinquagenario major, athletico temperamento, multis abhinc annis ad varios morbos ſtomachum præſertim reſpicientes erat proclivis ; cùm *dolore* immani *in hypochondrio ſiniſtro* corripitur, ad quem fugandum, ſuadente quodam circumforaneo, ipſi propinatur emeticum validiſſimum, inter cujus actionem, prævià paralyſi artuum ſuperiorum & inferiorum, è medio rapitur.

Luſtratis interaneis, in conſpectum venit circà pylorum, ulcus calloſum in cujus centro foramen annotatur ingeſtis exitum concedens. WINCKERUS.

OBS. 146. Quidam monachus *doloribus* ingentibus *circà umbilicum*, poſt cœnam, torquebatur, cum continuo & *inani vomendi deſiderio*. Intrà viginti horas, pergente morbo, haud ſinè veneni ſuſpicione, migravit ad Superos.

VENTRICULUS.

Immiſſo in abdomen cultello, erumpit flatus cum impetu. Ventriculus repertus fuit eroſus, variiſque foraminibus pertuſus; undè irrumpebant potulenta in abdominis cavum. BONETUS.

OBS. 147. Mulier juvenis poſt duos treſve menſes à partu, febre corripitur cum acerbiſſimo *dolore in epigaſtrio*. Abdomen protuberabat cum duritie. Tandem, malo in dies acerbiori, extinguitur.

Reperitur ventriculus cum inflammationis & gangrænæ notis, circà orificium inferius dilaceratus. Hinc abdominis cavitas materiâ alimentorum putridâ replebatur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 148. Quædam matrona diros *ſtomachi dolores*, ab ipsâ infantiâ, perpeſſa; tandem febre continuâ occubuit.

Secto cadavere, deprehenditur in ventriculo foramen ovale, pollicem unum cum dimidio longum, cujus circumferentia callo cingebatur. Foramen illud adglutinatum conſpiciebatur parvo hepatis lobo, & hinc accuratè obturatum. COURTIAL.

OBS. 149. Puer novennis *è diarrhœâ* decumbebat; cui malo primùm mingendi difficultas mox omnimoda *urinæ ſuppreſſio* ſuccedit. Convulſionibus denique correptus è vivis diſceſſit.

Ventriculus conſpicitur perforatus circa pylorum, cum colluvie ſtagnante in abdomine. Renes erant inculpati. SALMUTHUS.

OBS. 150. Fœmina triginta annorum *cardialgiæ* & doloribus in hypogaſtrio erat obnoxia. Sub quâ rerum conditione, exaſperantur dolores; ſufflaminatur lotium; & adventat mors.

Epiploon, erat ſemi-putridum cum aquâ ſtagnante in abdomine. Veſica inanis reperitur. Stomachus propè pylorum ulcere *perfoſſus & perforatus* occurrit. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 151 In cadavere cujuſdam, qui diuturno *ventriculi dolore* laboraverat, reperiuntur viſcera abdominalia liquidiori quâdam amurcâ deſœdata. Occurrit ventriculus, ſub ſterno ipſo perforatus, magnitudine nucis avellanæ. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 152. Quidam hæmophthiſicus, inter alia ſymptomata, continuo *vomitu* premebatur; quibus tandem exacerbatis extinguitur.

Præter aquam in abdomine ſtagnantem, deprehenditur ventri-

culus circà orificium perforatus. Pulmo inſuper corruptus erat. SALMUTHUS.

VENTRICULUS.

OBS. 153. In cadavere puellis ab immodico uvarum eſu, trium horarum ſpatio extincti, in conſpectum venit ventriculus perforatus, & ichorem viridem continens, qui procul dubio erat bilis æruginoſa. RHODIUS.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 780, Libr. II. 779. Libr. IV. 145.

## *Ventriculus putris & gangrænoſus.*

OBS. 154. Quidam de dolore lumborum conqueritur, & claudicat. Accedunt horrores febriles, & dein *diarrhœa torminoſa*, & cruenta; cujus remiſſiones excipiebant inſignes *cordis anguſtiæ;* adeò ut tum neceſſum erat alvum enemate ſtimulare. Sequitur febris lenta, cum *anorexiâ* & virium dejectione. Sputa erant purulenta; fæces præter voluntatem prodibant; urina cum difficultatè excernebatur & ſedimentum cretaceum deponebat. Poſtremò generatur *apoſtema in lumbis*, è quo prodit materia fœtidiſſima. Sub hoc rerum ſtatu tumet abdomen & æger brevi ad ſuperos migrat.

Secto cadavere occurrit fundus ventriculi gangrænoſus, cum tribus foraminibus exiguis. Colon circà finem erat ſyderatus. Pulmones inſuper muco tenaci & albo erant obducti; atque in ſiniſtro latere planè purulenti. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 154. (*a*) Quidam ſartor arſenici albi drachmam unam, loco cremoris tartari, in potu cathartico hauſit. Statim de intolerabili *faucium & ventriculi ardore* queritur. Erumpit *vomitus;* extrema frigent cum ſudore frigido; exſurgit brevi *ſingultus*. Dein pulſus tardus & intermittens exploratur. Urgent *ſitis* inexhauſta; *anxietates* moleſtiſſimæ, & *conſtrictio pectoris*. Die quarto eſcharram nigram ex ore & faucibus rejecit. Sexto aliam evomuit, pulſu ferè oblitterato. Septimo accedit priapiſmus. Octavo demùm excandeſcit febris; ingruunt convulſiones, cum delirio obſcuro; & obiit.

Luſtrato cadavere, totum patet os membranâ ſuâ ſpoliatum. Nulla erat tunica villoſa in ventriculo, qui latice quodam atro

VENTRICULUS.

quaſi à tritis carbonibus ſcatebat. Pylorus erat etiam gangrænoſus ; & inteſtina atro rudebant. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 155. Vir quinquagenario major melancholicus & ad flatulentiàm proclivis, de *dolore in hypochondrio ſiniſtro* querebatur : cûm incidit in *vomitum ſanguinis*, *dolore* æſtuante & gravante ſtomachi, cum anxietatibus ſtipatum. Procedente morbo dejiciuntur fæces alvínæ nigerrimæ. Poſtremò accedunt *lypothimiæ ;* erumpunt ſudores frigidi ; ac viribus exolutis obiit.

Reperitur ventriculus variis gangrænæ notis ſignatus. Lien occurrit extùs cartilagineus & intùs putridus. Pancreas erat durum & ſcirrhoſum ; ut de atrâ colluvie interiora ventriculi & inteſtinorum deturpante ſileamus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 156. Fœminæ quadragenariæ jam diù *ventriculi doloribus* obnoxiæ, quos iteratæ *ſanguinis vomitiones*, cum febre, ſiti & vigiliis ſequebantur erumpunt tumores ſuprà claviculas ; in dies creſcentes & jam reſpirationem difficilem reddentes. Accedit febris aſſidua, cum capitis dolore, ſiti & oris amaritudine. Tandem ad plures obiit.

Ventriculus à ſede depulſus, cum annexo colo, craſſiores exhibet tunicas, ita fracidas ut tactu rumperentur : continebat materiam cineream gravè olentem, vel purulentam, quæ ortam duxerat à diſrupto abceſſu partem ventriculi poſticam occupante. CLARISS. MORGAGNUS.

OBS. 157. Juvenis ad trigeſimum annum accedens, bene conſtitutus, incidit in *abdominis cruciatus* vehementiſſimos, inſigni ardore & ſiti ſtipatos ; cum continuis & *moleſtiſſimis vomitionibus.* Nulla erat febris ; ſed ſæviebant cordis oppreſſio & ſumma corporis inquietudo ; cum alvo adſtrictâ. Dein tumente abdomine, ingruunt ſuffocationes, cordis deliquia, ſummæ corporis jactationes, ſudores frigidi, donec ex humanis diſceſſerit, haud ſinè veneni ſuſpicione.

Tota ventriculi ſubſtantia putris deprehenditur, cum rubore & manifeſtâ eroſione in variis partibus. Dorſum prætereà videbatur gangrænoſum. Toto corpore mirè tumido. BONETUS.

OBS. 158. Puer duodecennis, à biennio, febre intermittente laborabat. Sitis præſertim noctu erat intenſa ; adeò ut vix poculo ab ore remoto, protinùs clamaret potum. Ventriculus materia potulenta diſtentus *vomitu* ſæpiùs ſeſe exonerabat. De *dolore ventriculi* perpetuò

perpetuò querebatur. Tandem extremâ macie confectus obiit phreniticus.



Reperitur in ventriculi fundo gangræna tam gravis, ut ipſa hujuſce viſceris ſubſtantia in atrum & fœtidiſſimum ſuccum difflueret. Omentum prætereà erat ferè abſumptum. DORINGIUS.

OBS. 159. Paupercula quinquagenaria *dolore in epigaſtrio* vexabatur, cum nauſeâ & cibi faſtidio. Viribus intereà deficientibus erumpit *vomitus* materierum ſubnigrarum; atque dejectiones alvinæ eodem colore inficiuntur dein materies per vomitum rejectæ fiunt nigerrimæ & fœtidiſſimæ, cum animi deliquiis & ſudoribus frigidis. Pulſus erat exilis, frequens & inæqualis: ac tandem obiit.

Stomachus variis maculis violaceis ſignatus deprehenditur; cum parte inferiori putridâ & gangrænosâ. Pylorus conſtrictus & ſcirrhoſus conſpicitur. Inteſtina erant flatulenta, & pancreas ſcirrhoſum. E DIARIO MEDICO.

OBS. 160. Puella, vix annum egreſſa, enormi *diarrhœâ* laborabat, cum *vomitu* interdùm recurrente, & duritie in hypochondrio dextro. Fæces albicabant: aderant febricula, ſitis & dolor capitis. Noctes inſomnes ducebat; donec tandem ſuperveniens epilepſia vitæ finem impoſuit.

Obſervatur ventriculus in ſiniſtrâ parte nigricans, & quaſi putrefactus; atque viridi humore inquinatus. Hepar ſcirrhoſum deprehenditur. Cyſtis fellea atrâ bile turgebat; & cerebrum aquâ ſcatebat. BONETUS.

OBS. 161. Quidam de *dolore* & *æſtu ventriculi* conquerebatur: vigente febre leipyriâ, æſtuabant interna viſcera; cum extremorum frigore, & ſiti intensâ. Tandem accedit lethum; haud ſinè maximâ veneni aſſumpti ſuſpicione.

Diſſecto cadavere, ventriculi facies interna nigricabat, tanquam ab igne uſtulata; inane omninò deprehenditur prædictum viſcus, cum ſummâ tunicarum tenuitate. Lien quoque ob vicinium nigricabat; non ſecùs ac pars contigua inteſtini coli. BONETUS.

OBS. 162. Puer quindecim annorum *febre malignâ* epidemicâ laborabat, *cardialgiâ*, dolore lateris, tuſſi & ſpirandi difficultate ſtipatâ. His ſuccedunt vomitus & alvi fluxus, cum tumore in regione ventriculi. Tandem quinto morbi die inſultu convulſivo enecatur.

VENTRICULUS.

Ventriculus & inteſtina paſſim gangrænoſa deprehenduntur. Meſenterium varios abſceſſus ſanie repletos recondebat ; cum copioſâ colluvie, & putidiſſimâ, in abdomine ſtagnante. ROZE.

OBS. 163. Vir quinquagenarius melancholicus, *fiſtulâ ani* laborans, cujus fluxus ſolitus valdè imminuebatur, de *dolore umbilici* queritur, accedunt inappetentia, *vomitiones*, languor cum levi perfrigeratione partium extimarum. Perſeveravit vomitio ad quadrageſimum diem. Prætereà ponderis quemdam ſenſum habebat in ventriculo. Tandem planè emaciatus interiit.

Inter diſſectionem cadaveris, ventriculi facies interna corrupta & putris, vel planè ſyderata deprehenditur. BALLONIUS.

OBS. 164. Quidam poſt aſſumptum *venenum corrodens*, miris inquietudinibus vexabatur ; nec-non *vomitionibus*, reſpirandi & deglutiendi difficultate, *gutturis ardore* & *motibus convulſivis*. Quæ ſymptomata brevi miſellum ægrum ad ultimam rerum lineam ducunt.

Ventriculi tunica reperitur livida & ſyderata ; atque inſignibus maculis conſperſa ; cum inflammationis notis, non ſolùm in ventriculo, ſed etiam in inteſtinis. BONETUS.

OBS. 165. Faber lignarius, poſt *hæmorrhoïdes*, fluxum ſaniei olidæ & putris per annum patiebatur ; cujus ſuppreſſione incidit in *dolores imi ventris* & *vomitionibus* perpetuis, cum cibi faſtidio & vigiliis. Poſt paſtum *ponderis ſenſationem* habebat in ventriculo. Dein accedunt febris lenta, maraſmus ; extremorum refrigeratio & mors.

Cadaver ſectum exhibet ſyderationem in fundo ventriculi, & pyloro. Proximior hepatis pars erat quoque livida. BALLONIUS.

OBS. 166. Quidam juvenis *febre peſtilenti* prehenditur : lingua erat nigra, arida & ſcabra. Urgebat ſitis moleſtiſſima. Accedunt *vomitus*, *animi deliquia* & convulſiones ; quibus intrà triduum rapitur.

Occurrit in fundo ventriculi ſchara unguis magnitudine, qualis poſt impreſſum cauterium actuale. Reliqua ventriculi pars contracta & dura erat. PARÆUS.

OBS. 167. Paupercula quinquagenaria reſpirationis difficultati obnoxia per quadrennium ; tandem immani *ventriculi dolore* corripitur, quo intrà viginti quatuor horas è medio tollitur.

Reperiebatur ventriculi facies interior variis exulcerationibus gangrænoſis affecta ; quæ etiam in œſophago & duodeno conſpi-

ciebantur. Pulmones plevræ anneɛtebantur. Cordis latera à ſiniſtris craſſiora quàm par eſſet videbantur. CLARISS. MORGAGNUS.

VENTRICULUS.

OBS. 168. Quidam *febre peſtilenti* corripiebatur, cum ingenti capitis dolore & continuo *vomitu*. Accedit delirium; dein ſopor; ac multis ingruentibus animi deliquiis, ſexdecim horarum ſpatio obiit.

Occurrit ſtomachus triplici ſcharâ, jam perfectâ, pertuſus; qualis obſervatur poſt aſſumptum arſenicum. HELMONTIUS.

OBS. 169. Quidam litteratus jam pridem patiebatur dolores lancinantes circà umbilicum. Tandem continuo *cardiogmo*, *vomituque* inani per decem dies tortus, naturæ penſum ſolvit.

Inventa eſt ſubſtantia ventriculi circà medium eroſa & gangrænoſa, cum materiæ putris ſtagnantis in abdomine duodecim libris. HENR. AB HEERS.

OBS. 170. In cadavere puellæ immani *vomitu* intrà biduum extinctæ; abdomen erat tumidum & diſtentum. Bilis copia ſtagnabat in ventriculo: juxta orificium ſiniſtrum quinque erant ſtigmata inuſta. Veſicula fellis bile turgebat. PEYERUS.

OBS. 171. Secto cadavere cujuſdam *hydropici* præter ſerum in utramque pectoris cavitatem effuſum; pericardium eodem humore ſummè diſtentum conſpicitur. In abdomine verò ventriculus & duodenum ſyderata deprehenduntur. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 172. In cadavere cujuſdam, cui exhibitus fuerat *mercurius ſublimatus*, deprehenditur fundus ſtomachi niger & exſuccus; non ſecùs ac ſi candente ferro inuſtus fuiſſet. PARÆUS.

OBS. 173. Luſtrato cadavere cujuſdam *tabidi* poſt diuturnam magiſterii margaritarum & *corallorum uſum* extincti, tunicas ventriculi nigras & corruptas vidit HOFFMANNUS.

OBS. 174. Corpus cujuſdam poſt immodicum terreorum &

VENTRICULUS.

*abſorbentium uſum* extincti exhibet faciem internam ventriculi nigram & quaſi ſyderatam. LIBAVIUS.

OBS. 175. In cadavere cujuſdam qui à *vomitione* moleſtiſſimâ liberari non potuerat, in conſpectum veniebat ventriculus putredine corruptus, & ſemi-laceratus. BALLONIUS.

OBS. 176. Inter ſectionem viri triginta annorum *febre dyſentericâ* intrà paucos dies ſublati, reperiebantur hepar, lien & ſtomachus gangrænâ tacta. E DIARIO MEDICO.

OBS. 177. In cadavere cujuſdam *peſte*, cum *vomitu*, enecati, deprehendebatur in ventriculo, circà orificium ſuperius, pars nigricans, inſtar carbunculi. DIEMERBROEK.

Huc pertinent obſervationes Libr. I. 410, 421, 454, 785, 977, 1145, 1616. Libr. II. 297, 306, 312 (*a*), 548, 700, 783, 868. Inſuper vide *Viſcera putrida*.

---

## *Pylorus ſcirrhoſus & calloſus.*

OBS. 178. Vir quadragenarius & macilentus queritur de *dolore* obſcuro, & ſepulto *in epigaſtricâ regione*: vigebat febris lenta cum *vomitu* pertinaciſſimo. Ventre ultrà modum complanato, ob defectum alimoniæ, tactu percipiebatur minor hepatis lobus nonnihil prominens. Procedente morbo vires ſenſim exhauriuntur; ac tandem cogitatur de exequiis.

Epiploon & meſenterium marcida occurrunt; cum inteſtinis depreſſis & corrugatis. Hepar ſanum conſpicitur. Turgens ſtomachus exhibet pylorum tumefactum & ſcirrhoſum, albidum, & quaſi cartilagineum. Pancreas ſimili labe tactum arctè pyloro & duodeno hærebat. Notandum quòd in hoc cadavere, etſi frigidiſſimo, ſuam nativam flexibilitatem ſervabant artus; non ſecus ac in vitâ. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 179. Sexagenarius, temperamento bilioſo, multis abhinc annis *ventriculi dolorem* & debilitatem patiebatur. Quædam percipiebatur *durities* circà hanc regionem cum tenſione abdomi-

nis & nonnullâ fluctuatione. Urget flatulentia & interdùm *vomitus* aliquot horis poſt paſtum. Sitiebat cum pulſu debili. Intereà vomitus fit frequentior & fœtidus; labuntur vires & accedit mors. VENTRICULUS.

Abdomen libram unam vel alteram ſeri, inſtar loturæ carnium, continebat. Occurrit omentum contractum cum variis protuberantiis. Ventriculus circà pylorum durus erat & ſcirrhoſus; intùs putridam carnem, colore & fœtore, referebat. VALSALVA.

OBS. 180. Fœmina ad ſexageſimum annum accedens, potui ſpiritûs vini dedita ſæpiùs *vomebat*, cum *alvo ſiccâ* & adſtrictâ. Anno ſub hoc rerum ſtatu elapſo, frequentior fit vomitus, ſexies ſcilicet vel ampliùs, quotidie recurrens. Tandem exſucca & arida moriebatur.

Secto abdomine, in conſpectum venit ventriculus à nativâ formâ planè degener; & à diaphragmate ad crepidinem oſſis pubis extenſus. Pylorus annulo cartilagineo circumdatus, penitùs concreverat, ut & fluidis egreſſum denegaret. Hepar erat ſiccum & aridum. Lien mole parvus in pelvi deliteſcebat; inteſtina demùm ultrà modum contracta & inania conſpiciebantur. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 181. Quidam melancholicus triginta annorum, inter nimis aſſiduam negotiorum tractationem, incidit in anorexiam cum frequenti nauſeâ. Poſt tres menſes accedit *vomitus* ingeſtorum pertinaciſſimus quo ad ultimum vitæ languorem deducitur. Ac tandem obiit.

Deprehenditur univerſus pylori ambitus exterior materiâ durâ, gypſeâ, digti tranſverſi craſſitiem excedente, ad medium uſque ferè duodenum protenſa, corticis inſtar duriſſimi, incruſtatus. Facies interior ſimili materiâ obducta apparuit; adeò ut vix ſtylo tenui pervia eſſet. BLEGNI.

OBS. 182. Quidam ſexagenario major hemicraniæ, *vomitui* & *doloribus ventris* obnoxius erat, cùm vomitus moleſtior evadit, & alvus adſtringitur. Exploratur quædam *durities* in regione epigaſtricâ, ingruente febre lentâ, exacerbatur vomitus, & rejiciuntur materies fœtidæ; viribus denique exhauſtis fatis ceſſit.

Ventriculi facies interna paſſim exulceroſa annotatur. Pylorus ſcirrhoſus & craſſiſſimus ingeſtorum exitum præpediebat. Hepar verò & lien arida, & ſuprà modum contracta cernebantur. E DIARIO ERUDITORUM.

VENTRICULUS.

OBS. 183. Quidam macilentus *vomitu* pertinaciſſimo per ſeptem menſes laborabat, cum *alvo adſtrictâ*, pulſu parvo & debili. Explorato abdomine perſentitur *tumor* ad ovi gallinacei magnitudinem accedens, ſitus in latere dextro circà umbilicum. Morbo dein exacerbato; urgentibuſque anxietatibus obiit.

Reperitur tumor ſcirrhoſus duodeno adnatus, infrà orificium inferius ventriculi, duos pollices longus, qui pylorum quaſi obturabat. BARRERUS.

OBS. 183. (*a*) Miles in locis paludoſis diù, noctuque excubias agens *aſthmate* corripitur; quod ſequitur *tuſſis* frequens & valida, cum ſputo cocto & rotundo. Ingruunt anxietates & denegatur decubitus ob ſuffocationis metum. Intereà *tumet hypochondrium* dextrum, & pedes fiunt œdematoſi. Dein erumpit *vomitus pertinaciſſimus;* & ingraveſcunt cætera ſymptomata; donec macie confectus æger ad plures abierit.

Hepar durum & contractum occurrit, è cujus parte inferiori emergebat tumor ſaccatus, pomi majoris molam ſuperans; ſub membranâ denſâ & calloſâ materiam albam & pultiformem continens; à cujus compreſſione duodenum & colon gangrænam contraxerant. Ventriculus tenuioris inteſtini inſtar erat contractus. Pylorus verò craſſior & ſcirrhoſus ferè obturabatur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 183. (*b*) Mulier quadragenaria, paulò poſt infelicem partum, pleuritide corripitur, quam ſuperavit; permanens debilis & valetudinaria. Circà ſuæ ætatis annum quinquageſimum accedit *vomitus pertinaciſſimus:* ſenſim macie ità conficitur ægra, ut cutis oſſa nuda tegere videretur. Tum ſitis urget; ſævit *ardor ventriculi* ad ſuperiorem œſophagi partem aſcendens, præcipuè poſt paſtum. Poſt duos annos inter haſce ærumnas tumet venter, & innoteſcit hydrops. Superveniente poſtremò *vomitu materiæ nigræ;* occubuit.

Aquæ copia ſtagnabat in abdomine, & pericardio. Pylorus annulum craſſiſſimum & ſcirrhoſum exhibebat qui omnem ferè aditum præcludebat. CLAR. BAADERUS.

OBS. 183. (*c*) Fœmina ſeptem & quadraginta annorum, parcè vivens de dolore pungente & lancinante in regione lumborum queritur, cum urinæ difficultate, *tumore duro* & renitente *ſuprà umbilicum* ad lævam. Accedit *vomitus*, qui *icterum* poſt ſe trahit. Intereà os amaricat; exſurgit febris; nigreſcit urina cum ſedimento

lateritio; & interdùm urget teneſmus. Poſt triennium inter haſce moleſtias, fatis ceſſit.

VENTRICULUS.

Hepar ingens, ventriculum deorſùm pellebat. Pylorus tumens & ſcirrhoſus annotatur eo in loco ubi erat tumoris ſedes. Pancreas etiam ſcirrhoſum deprehenditur; non ſecùs ac meſenterium. Ren ſiniſter totus exulceratus conſpicitur, ſine calculo. CLAR. BAADERUS.

OBS. 184. Fœmina duodetriginta annorum, à multis annis, unâ vel alterâ horâ à prandio, alimentorum partem, cum multo glutine, quotidiè *evomebat*. Poſt nonnullas remiſſiones, omnia ingeſta rejiciebat; undè cœpit languere & emaciari. Demum tabe confecta ceſſit fato.

Luſtratis interaneis, pylorus occurrit craſſus & cartilagineus; ductuſque è ventriculo ad duodenum adeò fuit anguſtus, ut vix tenuiſſimum ſtylum admitteret. CLAR. STORCK.

OBS. 185. In cadavere mulieris quæ diuturno, moleſtiſſimoque cibi & potûs *vomitu* laboraverat, reperitur ventriculus ingens, ad regionem uſque pubis deſcendens; & hypogaſtrium ferè totum occupans. Pylorus erat ſcirrhoſus; variis protuberantiis duriſſimis, & partim oſſeis, exaſperatus; adeò ut omnis aditus ab ſtomacho in inteſtina intercluderetur. EX INSTITUTO BONONIENSI.

OBS. 186. Vir ſexagenarius inter varias & pertinaciſſimas ægritudines de *dolore ventris & vomitu* humoris acidi & viſcidi conquerebatur. Procedente morbo in coma ſomnolentum incidit; quod poſt nonnullas intermiſſiones, graviùs recurrens tandem mortem accerſit.

Deprehenditur pylorus ſummè tumidus, ſcirrhoſus & quaſi cartilagineus. Secto capite occurrit ſerum circà ambitum cerebri, & in ventriculus ſummè dilatatis. EX ACTIS GERMANICIS.

OBS. 187. In cadavere tabidæ triginta annorum, quæ à triennio ferè omnia aſſumpta *vomitu* rejiciebat, reperiebatur hepar mole ingens innumeris ſteatomatibus refertum, cum cyſti felleâ rugoſâ & compreſſâ. Præthereà occurrebat in fundo ventriculi ſcirrhus tuberoſus, durus & capite infantis major: pylorus verò ſimili modo læſus, craſſus & durus exiguam tantùm aperturam habebat. CLARISS. STORCK.

VENTRICULUS.

OBS. 188. Quædam mulier *vomitum* contumaciſſimum quotidie; aliquot horas poſt paſtum patiebatur; hinc rariſſimæ erant alvi dejectiones. Morbo perſiſtente, ad extremam maciem deducitur; donec deficientibus viribus vivere deſierit.

Secto cadavere inventus eſt pylorus cartilagineus; adeoque anguſtus ut majorem dumtaxat aciculam tranſmitteret. DIEMERBROEK.

OBS. 189. Quidam diuturno *vomitu*, tres quatuorve horas poſt paſtum ingruente, pluribus abhinc annis laborabat. Senſim labefactantur vires; corpuſque macie conficitur. Pulſus demùm debilis & intermittens imminentem mortem prænuntiat.

In conſpectum venit pylorus ſcirrhoſus & calloſus: hinc oſtium inferius ventriculi ſummè conſtrictum; & quaſi obturatum annotabatur. DIONIS.

OBS. 190. Mulier quadrageſimum quintum annum agens, jam diù vexabatur *dolore ſtomachi* & *vomitu* colluviei amaræ & ſubviridis. Menſes erant inordinati; cum pulſu parvo & debili. Poſt nonnullas remiſſiones recrudeſcit morbus; erumpit ſudor frigidus pulſus fit debilis; ac tandem obiit.

Luſtrato abdomine ſtomachus deprehenditur contractus; cum pyloro, tumido, cartilagineo, & partim oſſeo. E DIARIO MEDICO.

OBS. 191. Senex *vomitu* contumaciſſimo & *dolore ſtomachi*, non nunquam acerbiſſimo, multis abhinc annis conflictabatur. Morbo ſenſim invaleſcente tandem omnia cujuſvis ſortis aſſumpta rejicit; adeò ut macie demùm confectus, ad plures migraverit.

Inciſo abdomine conſpicitur ventriculus, mirum in modum contractus: pylorus verò craſſior & ſcirrhoſus, cartilaginis duritiem æquabat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 192. Vir quadragenarius poſt *mercurialium uſum*, incidit in *vomitum*, angore ventriculi ferè continuo ſtipatum. *ſingultu* etiam pertinaciſſimo torquebatur. Craſſam & pravi ſaporis expuebat ſalivam; alvo remanente adſtrictâ; ac demùm occubuit.

Inter cadaveris ſectionem, pylorus obſervatur anguſtus & prædurus; atque nonnihil exulceratus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 192. (a) In cadavere cujuſdam *hydropici*, præter ingentem aquæ copiam in abdomine & pectore ſtagnantem; ſtomachus reperiebatur phlogoſi tactus: pylorus annulo ſcirrhoſo & cancroſo

conſtringebatur;

conſtringebatur; ac hepati & veſiculæ felleæ morboſè hærebat. Pancreas etiam ſcirrhoſum præſertim verſùs baſim conſpiciebatur. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

VENTRICULUS.

OBS. 192. (*b*) Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam muliercul æ, quæ per octodecim menſes *vomitu contumaciſſimo* laboraverat; in conſpectum veniebat tumor enormis, quaſi cancroſus in pyloro; qui hinc contractus exitum materiebus ingeſtis præcludebat. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 193. Quidam poſt hauſtum vappæ ſenſit *pondus in fundo ſtomachi;* qui ſenſim inflatur, cum ructibus fœtidis.

Poſt obitum reperitur in ventriculo materia atramento ſimilis, fœtida & corrupta. Pylorus ſcirrhoſus arctiſſimè concludebatur. Meſenterium quoque deprehenditur ſcirrhoſum. BONETUS.

OBS. 194. Vir conſiſtentis ætatis *doloribus colicis*, nonnunquam ferociſſimis per tres menſes laboravit, quos excipiunt *vomitus* perpetui, qui tandem ægrum ad libitinæ rationem ducunt.

Secto cadavere, occurrit pylorus prædurus, & quadantenùs cartilagineus. Pancreas etiam hâc labe tactum invenitur. HARDERUS.

OBS. 195. In cadavere cujuſdam qui *vomitu* perenni ultrà menſem, detentus tandem occubuit, in conſpectum venit pylorus tumore ſcirrhoſo obſeſſus, & ferè in cartilaginis naturam induratus; atque molis ter amplioris quàm naturaliter eſſe ſolet; undè meatus ipſius adeò ſtrangulabatur ut nil illac pervadere poſſet. HARDERUS.

OBS. 196. Quidam juvenis cachecticus *vomitu* crebro ac ferè continuo laborabat; donec tandem viribus attritis mortem obierit.

Deprehendebatur pylorus tuberculis ſcirrhoſis circum circà obſitus, quæ hiatum ejus penè occludebant. WILLIS.

OBS. 197. In cadavere cujuſdam qui dum viveret vomitu pertinaciſſimo conflictabatur, cum cardialgiâ & anxietatibus

VENTRICULUS.

moleſtiſſimis; occurrebat pylorus tumidus ſcirrhoſus, ac planè obturatus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 198. Quidam continuis & moleſtiſſimis affligebatur *vomitionibus;* ut cibos aſſumptos rejicere ſtatim cogeretur.

Poſt obitum diſſecto; deprehenditur pylorus ſcirrhoſus cum meatu ita coarctato ut ingeſtis tranſitus planè intercluderetur. SALMUTHUS.

OBS. 199. Ruſticus *vomitu* poſt paſtum torquebatur: pergente morbo, atrophiâ tandem occubuit.

Cadaver exenteratum oſtendit pylorum ſcirrhoſum; exili dumtaxat reſtricto foramine in medio. SCHENCKIUS.

OBS. 200. *Febre hecticâ* quidam cùm periiſſet, in eviſcerato cadavere nihil obſervatum eſt quàm quod pylorus duritiem ſcirrhoſam contraxerat. C. BAUHINUS.

OBS. 201. Quidam *vomitu* pertinaciſſimo ita tabeſcit, ut vix pellis & oſſa ſupereſſent; adeò ut ad mortem ſenſim deductus ſit.

Invenitur pylorus ita occaleſcens ut nihil ad inferiora tranſmitti potuerit.

OBS. 202. Aperto corpore cujuſdam melancholici, qui ſemper cibum *revomebat* & ſimul aliquid nigri; occurrit pylorus ſcirrhoſus. BONETUS.

OBS. 203. Luſtratis interaneis cujuſdam aſſiduæ *vomitioni* obnoxii, cartilagineus videbatur pylorus. BONETUS.

OBS. 204. In cadavere cujuſdam qui dum viveret *vomitu* continuo vexabatur occurrit pylorus calloſus. TH. BARTHOLINUS.

Hujuſce læſionis alia exempla proſtant in obſervationibus Libr. I. 86, 90, &c. 108, 159, 210, 230, 331, 405, 620, 1011, 1015, 1573, 1577.

## *Pylorus nummo obturatus.*

OBS 205. Puella quinquennis, inter ludendum, nummulum argenteum deglutierat. Quarto ab hoc infortunio die, de *dolore* in abdomine queri cœpit, locumque affectum deſignabat in *epigaſtrio.* Intereà exacerbatur dolor, perit appetitus & quicquid ciborum ſumit rurſùs per *vomitum* ejicitur. Sub hâc rerum conditione vires ſenſim collabuntur; ac tandem miſerè extinguitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, deprehendebatur nummus pyloro affixus, & non ſecùs ac cooperculum ollæ incumbens, omnem alimentis ad inteſtina tranſitum prohibebat. KERCKRINGIUS.

## *Pylori laxitas.*

OBS. 206. Quædam mulier à longo tempore *appetitu canino* vexata, aſſiduâ aviditate cibos ingerebat. Poſt paſtum ferè ſemper de *ventris torminibus* conquerebatur; donec mors hiſce miſeriis finem imponeret.

Aperto cadavere; omnia abdominis viſcera ſatis benè conſtituta reperiebantur, ſolo excepto ſtomacho, cujus pylorus ità erat relaxatus ut omnes digitos junctim compoſitos admitteret. RUYSCHIUS.

OBS. 207. In corpore cujuſdam qui *oris fœtore*, ad ſtercoroſum odorem accedente, laborabat deprehendebatur pylori laxitas. PLATERUS.

## *Ventriculus è ſede depulſus.*

OBS. 208. Juvenis viginti quatuor annorum, miles athleticus, poſt immodicum cereviſiæ potum, anorexiâ, *cardialgiâ* & *ſingultu*, cum laſſitudine ſpontaneâ corripitur; quibus accedunt *vomitus* frequentiſſimi materiæ aduſtæ, piceæ & fœtentis, cum inſigni virium proſtratione, & ejuſdem, ſimiliſve, materiæ per alvum dejectione; ac tertio die fatis ceſſit.

VENTRICULUS.

Secto cadavere reperitur ventriculus in ſiniſtro pectoris latere ſitus, cum omenti portione: continebat adhuc tres libras prædictæ materiæ; & ſphincter erat ultrà modum dilatatus. Libera ſemper fuerat reſpiratio, etſi ſtomachus ferè claviculas attingebat, ut vix ſiniſtri pulmonis particulæ locus ſupereſſet. Cor de ſuâ ſede in dextrum latus depellebatur. Œſophagus ad altitudinem diaphragmatis ventriculo inſerebatur. E contrà pylorus duodeno annexus propè claviculam erat inſitus. Hepar demùm erat inſolitæ magnitudinis. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 209. Vir quadragenarius, cachecticus *doloribus in imo ventre* acerbiſſimis torquebatur præſertim in epigaſtrio, circa ſcrobiculum cordis. Præterea *ſingultui* chronico & moleſtiſſimo obnoxius erat. Sub hâc rerum conditione habitus corporis ſenſim fit œdematoſus; & tumet abdomen; in quo dein manifeſta obſervatur fluctuatio. Procedente morbo, omnia in pejus ruunt; donec inter ferociorem ſingultum mortali vinculo exſolvatur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, præter ſeroſam & copioſiſſimam colluviem in abdomine ſtagnantem; in conſpectum venit epiploon craſſiſſimum & ſcirrhoſum, ac ventriculum versùs inferiora detrahens; diaphragmate paululùm depreſſo. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 210. Bajulus quinquaginta annorum, bibaciſſimus diù querebatur de quâdam moleſtiâ in epigaſtrio, circà ſcrobiculum cordis. In crebras dein *vomitiones* incidit; quibus tandem diutiùs protractis, emaciatus enecatur.

Inter exenterationem cadaveris, deprehenditur cor præter expectationem exiguum; adeò ut cor pueri videretur. Ventriculus è diaphragmate per ſiniſtrum ventris latus rectò ad pubem ſe extendebat; inde ſe reflectens ſursùm ac dextrorsûm in duodenum deſinebat. Pylorus demùm ſolito firmior duas prominentias exhibebat duras & ſcirrhoſas. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 211. Mulier ſexagenaria, cui à biennio eductus fuerat e veſicâ calculus, ovi anſerini magnitudinem æquans; pectoris doloribus, cum reſpiratione difficili obnoxia, *bubonocelem* in dextro inguine geſtabat, quam manibus ipſa repellebat. Tandem nullâ vi reponi potuit, hinc vomitus materiæ chyloſæ & ſtercoroſæ, cum alvi inſigni obſtructione, uſque ad interitum.

Hepar intrà coſtas omninò latitabat; & ventriculus omnia inteſtina cooperiebat, ad pubem uſque devolutus, cum nonnullis

maculis gangrænoſis. Pancreas erat ſcirrhoſum & ſemi-corruptum. Ileum hærens & reduplicatum in bubonocele, & ſtercore duro infarctum, annotabatur; adeò ut nil elabi poſſet. Pulmones erant tuberoſi. BONETUS.

VENTRICULUS.

OBS. 212. Juvenis ſtudioſus de ſummâ ventriculi debilitate querebatur. Alvus erat ſicca; hinc *ſingultus* & *vomitus* enormes; quibus perſiſtentibus ſenſim vires deficiebant. Accedente poſtremò vomitu colluviei cruentæ brevi animam efflavit.

Luſtratis interaneis, reperiebatur in latere pectoris ſiniſtro ventriculus cum adnatâ parte omenti; adeò ut pulmo ultrà modum contractus videretur; & cor de ſuâ ſede in dextrum latus depulſum. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 213. Mulier quadragenaria gravioribus paroxyſmis hyſtericis obnoxia, conquerebatur de *tumore in regione hypogaſtricâ*; qui poſt paſtum duriſſimus & major explorabatur; poſt nonnullas horas humilior; quem ſæpiùs concomitabantur *dolores* acerbiſſimi, cum animi defectionibus. Tandem febre lentâ confecta obiit.

Secto cadavere occurrit ventriculus ad hypogaſtrium delapſus, propè ſcilicet pubem. VALSALVA.

OBS. 214. Mulier quinquageſimum ætatis annum agens, ad horrendos inſultus hyſtericos jampridem proclivis de *dolore ſtomachi*, poſt paſtum moleſtiore, perpetuò querula; tandem febre incertæ indolis corripitur, quâ tertio die è medio tollitur.

Cadaver eviſceratum exhibet ventriculum è ſede depulſum, & quaſi infrà umbilicum ſitum, ab herniâ epiploicâ; de quâ dum in vivis ageret altum ſilentium. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 215. Juvenis viginti & quatuor annorum, melancholicus, febre intermittente per plures annos laborabat. *Vomitorium* ſumpſit quo excitati ſunt vehementiſſimi *vomendi conatus*, abſque ullo effectu. Ab irrito illo conatu intrà ſeptem horas ad extrema redigitur; & obiit.

In conſpectum venit ventriculus, variis humoribus repletus, & in parte thoracis dextrâ ſitus; ubi nullus videbatur pulmo. RIVERIUS.

VENTRICULUS.

OBS. 216. Puer biennis *ſpirandi difficultate* conflictatur cum crebris *doloribus colicis*, tuſſi & dolore gravativo circà epigaſtrium, poſt paſtum. Morbo per triennium protelato, & exaſperato, tandem extinguitur.

Mediaſtinum deſideratur. Pulmones cum corde & hepate latus dextrum pectoris replebant. Stomachus & lien in latere ſiniſtro ſitum habebant. BECKERUS.

OBS. 217. In cadavere puellæ *cholera-morbo* extinctæ, hæc annotabantur in abdomine; fundus ſcilicet ventriculi tranſverſum palmum infrà coſtas ſpurias demerſus. Omentum infrà umbilicum ad iſchion protenſum; atque lien duplo major ſolito, & quaſi in globum mutatus. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 218 Puella ſexennis poſt diuturnam & lentam *tabem*, cum *dolore hypochodriorum* & inappetentiâ; tandem viribus fracta expiravit.

Hepar univerſum ferè occupabat abdomen; & ventriculum adeò ad inferiora depreſſerat, ut quaſi ab œſophago ſeparatus videretur. Pulmo ſiniſter erat conſumptus. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 219. Virgo ſeneſcens quindecim abhinc annis ſpirandi difficultate poſt paſtum premebatur vomitu ſæpiùs ſuccedente. Tandem febre inflammatoriâ occubuit.

Nullus erat ventriculus in abdomine. Hepar mole ampliſſimum totum epigaſtrium replebat. Aperto pectore deprehenditur ſtomachus ſuprà diaphragma ſitus; & formâ inſolitâ. E DIARIO MEDICO.

OBS. 220. In cadavere fœminæ quæ per plures annos ferociſſimis *ventris torminibus* & *vomitu* pertinaciſſimo ſtipatis, laboraverat, reperiebatur diaphragma foramine duos pollices lato diſruptum, cum maximâ ventriculi & omenti parte in cavo pectoris. EX ACTIS BEROLINENSIBUS.

Hoc hiſtoriarum agmen ſubire queunt obſervationes Libr. I. 93, 156, 185, 243, 581, 585, 669, 915. Libr II. 362, 366, 417. Libr. IV. 170.

# SECTIO TERTIA.
## DE OMENTO.

### *Omentum extrà ſedem.*

OBSERVATIO 221. In cadavere cujuſdam puerperæ, quæ *tumorem* durum & oblongum geſtabat *in abdomine;* reperiebatur omentum contractum, duos digitos craſſum & tres latum, vel farciminis inſtar in ſeipſum adactum; atque uteri fundo connatum. RUYSCHIUS.

OBS. 222. In cadavere cujuſdam *hydrope pectoris* ſublati, totum epiploon in hypochondrio dextro reperiebatur, inter ſcilicet diaphragma & hepar detruſum; præter modum pingue & trium librarum pondus excedens. CARONIUS.

His ſubnectere licet obſervationes Libr. I. 621, 622, 955.

### *Omentum hydatidibus refertum.*

OBS. 223. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam mulierculæ, jamdudum *aſciticæ* præter ingentem colluviei ſeroſæ copiam in abdomine ſtagnantem, notatu dignæ ſe obtulerunt innumeræ veſiculæ, intrà peculiarem pelliculam per ſe aquam continentes, quæ per ſubſtantiam omenti diſperſæ occurrebant. BOSCUS.

### *Omenti hydrops.*

OBS. 224. Quidam circà quinquageſimum ætatis annum, *aſcite & anaſarca* ope vini ſcillitici curatus eſt: ſed remanſit ad fundum ventriculi quædam durities immobilis. Poſt nonnullas ſeptimanas revertit morbus cum ſtranguriâ. Paracenteſi prodierunt libræ

OMENTUM.

octoginta aquæ craſſæ & rubræ. Poſtea *tumor* durus & major quàm anteà, *in epigaſtrio* tangebatur. Poſt menſem, ventris moles & anxia reſpiratio alteram paracenteſim expoſtulant; & eadem aquæ quantitas educitur. Poſt ſeptimam denique paracenteſim venter longè citiùs increvit; & accedebant horror, febris & ſudores nocturni. Appetitus & vires evanuerunt. Dein ob enormem ventris molem neceſſum fuit ut ad octavam operationem deveniretur, quâ prodierunt centum libræ aquæ turbidæ. Tandem viribus planè collapſis obiit.

Reperitur omentum ad pelvim uſque extenſum, craſſi inſtar ſacci tenacis & membranacei, cujus pars anterior undequaque peritoneo adhæſit, poſterior hinc inde cum inteſtinis concrevit. Diſciſſo ſacco effluxit aqua copioſa rubra & fœtida. Prætereà recondebat tumorem ſteatomatoſum duo & viginti libras ponderantem. In utroque pectoris cavo multum ſtagnabat ſerum. CLAR. STORCK.

Huc pertinent obſervationes Libri I. 1694; 1697. Libri III. 371.

---

## *Omentum adipe obrutum.*

OBS. 225 Quidam. aſthmaticus vehementiori *ſpirandi difficultate* corripitur paulò poſt cœnam. Ægrè ad cubile deductus ſe reclinat ad ſedem; & reſpirare deſiit.

Aperto abdomine, apparuit pinguedo totum corpus circum circà obſidens, ad trium digitorum tranſverſorum altitudinem. Omentum adipe obrutum libras triginta pependit. Hepar erat grandius. Lien triplo major; in gibbâ parte omnino oſſeus deprehenditur. BONETUS.

OBS. 226. Mulier macilenta & debilis *tumorem* geſtabat *in abdomine*, præcipuè circà umbilicum protuberans. *Vomitu* prætereà pertinaciſſimo tenebatur: ac demùm obiit.

Epiploon exhibebat, prope ſtomachum, tumorem merè adipoſum ad capitis infantis magnitudine accedentem. Pylorus etiam eâdem materiâ quaſi obruebatur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 227. Quidam conſiſtentis ætatis obeſus, & jam dudum *aſthmaticus*; tandem in *iſchuriam* lethalem incidit.

Secto cadavere, deprehenditur omentum ingens, ob majorem adipis copiam; & pondo triginta librarum. Hepar erat mole maximum; lienis involucrum durum, & paſſim oſſeum. Veſica pinguedine obruebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 228.

OBS. 228. In cadavere mulieris, quæ jamdudum *dyſpnœâ* laborabat, reperiebatur ſtupenda adipis copia in omento, ſeptum tranſverſum ſuâ mole comprimente. Rhodius. OMENTUM.

---

### *Omentum inſlammatum.*

OBS. 229. Quidam à gravi *dyſenteriâ* in febrem intermittentem mali moris incidit, quâ circà quadrageſimum diem, è medio tollitur.

Luſtrato cadavere & inciſo ventriculo, levis occurrit phlogoſis in facie internâ hujuſce viſceris. Venæ portæ rami nigro ſanguine turgebant. Omentum verò inflammatum & ſemiputridum reperitur. Spigelius.

Huic adde obſervationes Libr. I. 80 (*a*), 1563, 1564; Lib. II. 548.

---

### *Omentum ſcirrhoſum & ſtëatomatoſum.*

OBS. 230. Quidam trigeſimum ſextum ætatis annum agens, poſt laborem arduum, ardente ſyrio, gelidam aquam copioſè ingurgitat. Nocte inſequenti de *dolore colli & lumborum* queritur, & *venter intumeſcere cœpit.* Hoc ſuprà modum increſcente tumore, poſt octiduum paracenteſi educuntur octo & ſexaginta libræ colluviei ſeroſæ & ſubflavæ. Æquali temporis ſpatio iterùm depleto abdomine, manifeſtò deprehenduntur *tumores* in ejus cavo. Tandem urgentibus circà umbilicum doloribus, & collapſis viribus, obiit.

Adparuit ventriculus ingens, lieni arctè connatus. E fundo ventriculi durum, craſſumque ſcutum naſcebatur, univerſum explens abdomen; quod nil aliud erat quàm omentum conſtans tuberculis innumeris, diverſæ ſortis, partim duriſſimis & quaſi cartilaginoſis. Pondus totius omenti ad ſex libras accedebat. Meſenterium ſimilibus, fermè tuberculis ſcatebat, quorum ſeries ramos quaſi referebat. Cæteræ abdominis partes adipoſæ etiam duriores & quaſi ſcirrhoſæ cernebantur. Pylorus tumorem tres digitos latum extùs gerebat. Haud abſimiles, ſed minores prominentiæ annotabantur in facie concavâ abdominis. Clar. De Haen.

OBS. 231. Fœmina ſexagenaria doloribus nephriticis, cardialgiæ & iſchuriæ multis abhinc annis obnoxia, tandem in *hydropem*,

H,

OMENTUM.

& ſummam *ſpirandi difficultatem*, incidit. Urgent *ſtomachi dolores*; & erumpit tumor durus in ſcrobiculo cordis. Dein accedunt *vomitus* enormes, dolores colici, alvus adſtricta, ac poſtremò convulſiones lethales.

Secto cadavere, oculis ſubjicitur epiploon ingens & ſcirrhoſum, imò & cartilagineum; tuberculis purulentis ſcatens. Stomachus contractus varias inflammationis & gangrenæ notas exhibet. Hepar erat parvum deformè, & ſcirrhoſum, cum veſiculâ ſemiputridâ & inani. Ren dexter majorem lapidem recondebat, cum ureteribus lapidibus obſtructis. Stagnabat demùm colluvies ſeroſa in abdomine ad libras circiter duodecim. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 232. Virgo quadraginta annorum, *aſcite & orthopnœâ* jamdiù laborans, per aliquot menſes ſuffocari videbatur. Non ſolùm labia, verùm etiam tota facies fœdum contraxerat livorem. Tandem ſubortis variis lypothymiis, vitam cum morte commutavit.

Culter anatomicus ſequentia detexit; muſculos nimirùm abdominales laxè cohærentes; uti ſæpiùs obſervatur in hydrope. Præter aquam copioſam, obvia fiunt peritoneum incraſſatum; omentum ſcirrhoſum & induratum; inteſtina coarctata & contracta; membranæ hepar & renes ambientes duræ admodùm & ſolito craſſiores. Pulmo inſuper erat plevræ adnatus; cor ſolito grandius, cum aquâ copioſiori in pericardio. RUYSCHIUS.

OBS. 232. (*a*) Juvenem inter poculos amici ebrii *calce ad abdomen percuſſerant*; indè exſurgit *dolor* perpetuus anteriorem *ventris*, ſuperioremque partem occupans, cum inſigni coctionis alimentorum debilitate. Accedit tandem *febris lenta*, quæ ſenſim hominem ad libitinæ rationem ducit.

Reperiebatur in cadavere omentum convolutum arctis limitibus, ità craſſum ut ſeſquipollicem æquaret. Pertinaciter hærebat hepati & ventriculo, in cujus caveâ fœtidiſſimum pus viſum eſt; & ipſa natura ventriculi in grumoſam cancri cruenti ſpeciem abierat. Pancreas non nihil ſcirrhoſum deprehenditur. Renes, ureteres & veſica quid morboſi etiam præ ſe ferebant. CLAR. HALLERUS.

OBS. 232. (*b*) Homo tenuis fortunæ, mediæ ætatis & obeſus, prævifam mortem & optatam amplexus in ſtabulo abſque curâ cujuſquam, *inœdiâ* periit.

Inter ſectionem cadaveris, ventriculus & inteſtina inaniſſima, abſque ullo ſtercoris veſtigio occurrunt. Sola bilis nidulabat in

ventriculo & inteſtinis, atque omnia vicina viſcera tangebat. Omenti ſtupenda erat moles, cujus craſſities unciam unam æquans inteſtinorum veſtigia ſibi impreſſâ ſervabat. Obeſum conſpiciebatur meſenterium: mirum ſanè poſt ſummam inædiam adipem non abſumi. CLAR. HALLERUS.

OMENTUM.

OBS. 233. Vir trigeſimum annum agens, poſt *ſuppreſſas hæmorrhoides*, tuſſi ſiccâ & moleſta corripitur. Venter & crura tument; difficilis fit reſpiratio; & accedente macie, vires ſenſim deficiunt. Intereà *venter* magis *protuberat*, referens *tympanitidem*. Debitis præſidiis fugatur hydrops; ſed ulteriùs decreſcunt vires, & accedit lethum.

Nil tympanitici inventum eſt; ſed omentum craſſum, denſum & tuberoſum; vel in ſe revolutum quaſi cartilagineum, & ubique cum peritoneo connatum. Inteſtina, meſenterium & plevra ſuperficiem granuloſam exhibebant. Pulmones tuberculoſi pure ſcatebant. Pauca demùm ſtagnabat aqua; tùm in pectore, tum in abdomine. CLAR. DE HAEN.

OBS. 234. Mulier à quindecimo ætatis anno *hydropica*, poſt multos cruciatus, incidit in gangrænam ſuprà umbilicum, cujus ſcharâ ſeparatâ, erumpit magno cum impetu humor in abdomine contentus. Fluxu cohibito, ut partitis vicibus daretur exitus. Quinto poſt apertionem die miſera obiit patiens.

Omentum erat ſcirrhoſum; cum tumore ad pugni magnitudinem accedente, qui continebat materiam albam, pultaceam & inodoram; nec-non globum durum è capillis intricatis & criſpis conſtantem. RUYSCHIUS.

OBS. 235. Cachectica unde viginti annorum *diarrhœam* per tres menſes ante obitum patiebatur. Pulſus erat languidus; urina pauca & incenſa; atque *abdomen ſubtumidum* cum difficili decubitu in latus dextrum. Accedunt tuſſicula, *ſpirandi difficultas*, & febris lenta cum linguæ ariditate. Viribus tandem fractis, & macie confecta, obiit.

Invenitur jecur pallidum; cum veſiculâ atrâ bile turgidâ. Omentum incraſſatum & ferè coriaceum cernebatur; quod inteſtina arctè complectebatur. WARTHON.

OBS. 236. Virgo vetula triginta abhinc annis de quodam pondere & tumore infrà regionem ſtomachi querebatur. Tandem in-

OMENTUM.

graveſcente morbo, *hydropica* evadit; & ad ineluctabile fatum properat.

Præter aquæ copiam in abdomine ſtagnantem, oculis viſendum ſe præbet omentum ſcirrhoſum, & planè oſſeum, atque cultro ſecari neſcium; quod ſcilicet quatuordecim libras pendebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 237. Nobilis mulier jam dudum ventrem tumidum geſtabat. Tactu deprehenditur *tumor circà umbilicum*, qui pro ſcirrho uteri, aut fœtu mortuo habebatur. Denique inter *dolores* acerbiſſimos extincta fuit.

Secto abdomine, repertum fuit omentum multis corporibus quaſi glanduloſi refertum, & conglobatum; ac ſex & viginti libras pendens. REISELIUS.

OBS. 238. Quidam melancholicus incidit in *vomitum* pituitoſum, viſcidum & contumaciſſimum. *Flatulentiâ* etiam cum tumore hypochodriorum conflictabatur. Vomitu tandem perſiſtente, obiit.

Invenitur epiploon craſſum, ſcirrhoſum & contractum; adeò ut hepar primâ fronte referret; ejuſque craſſitiem adæquaret. Ventriculus inſuper erat lividus, & parte ſuperiori ſcirrhoſus. RIVERIUS.

OBS. 239. In cadavare cujuſdam militis à quadriennio *hydropici* præter aquæ libras ſexaginta ſuprà centum, reperitur omentum innumeris corpuſculis glanduloſis diverſæ magnitudinis refertum; quorum non nulla racematim congeſta cernebantur. Materiâ quâdam ſebaceâ ſcatebant prædicta tubercula. E MISCELLAN CURIOSIS.

OBS. 240. Luſtrato cadavere cujuſdam *hydropicæ* occurrit omentum in vaſtam & compactam molem concretum, duos digitos latos craſſum ubique; niſi quòd in ambitu parùm gracileſceret. Ventriculus, duodenum, jejunum & colon ſub hoc omento ità coaluerant, ut nonniſi deſtruendo à ſe divelli potuerint. CLAR. DE HAEN.

OBS. 241. Luſtratis interaneis cujuſdam juvenis *hydropici*, obſervantur præter viginti aquæ libras in abdomine, epiploon craſſiſſimum & ſcirrhoſum. Stomachus & inteſtina erant ultrà

modum contracta. Cor & majora vaſa concretiones polypoſas recondebant. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OMENTUM.

OBS. 242. In cadavere pueri *tabidi* quinquennis cernuntur omentum ſcirrhoſum, & inteſtina paſſim hâc labe tacta. Nec immunia erant pancreas & meſenterium. Pulmones præthereà obſervantur grandinoſi; dextrâ coaleſcente cum plevrâ & ſterno. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 243. Inſtitutâ ſectione cujuſdam qui ante obitum *ſingultu* pertinaciſſimo laboraverat, reperitur omentum ſcirrhoſum, & ità auctum, ut quatuor aut quinque librarum pondus æquaret; & ventriculum ità deorſum è ſuâ ſede diſtraheret. BONETUS.

OBS. 244. In corpore cujuſdam *hypochondriaci* deprehenditur omentum ſcirrhoſum, quatuor digitorum tranſverſorum craſſitiem æquans, & totam epigaſtrii regionem occupans. RIVERIUS.

OBS. 245. Quidam melancholicus crebris *ructibus* & *vomitu* contumaci jamdiù laborans, tandem illuc abiit unde negant redire quemquam.

Cadaver ſectum exhibet epiploon craſſum, rubrum & ſcirrhoſum. BONETUS.

OBS. 246. In cadavere viri trium & quadraginta annorum, *hydrope* denati, præter aquam copioſam, occurrit epiploon craſſiſſimum & ſcirrhoſum; cum glandulis meſenterii tumidis, duris & quaſi cartilagineis. E MISCELLAN. CURIOSIS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 2, 8, 91, 139, 179, 209, 224, 339, 720, 798, 817, 1052, 1060, 1104, 1121, 1465, 1497, 1508, 1697, 1700; Libr. II. 136, 225, 761; Libr. IV. 87. Vide inſuper *Viſcera ſcirrhoſa.*

## *Omentum putridum.*

OBS. 247. Quidam nobilis incidit in *vomitum cruentum*, gravioribus ſymptomatibus ſtipatum, è quo evaſit. Poſt aliquot menſes recurrit morbus ferocior cum virium lapſu, inappetentiâ, rugitu, dolore hypochondriorum, atrophiâ & diſcoloratione. Dein dolor

OMENTUM.

per totum abdomen propagatur, donec accedentibus nauſeis & ſudoribus frigidis placidè in Domino obdormiverit.

Inter corporis ſectionem, reperiuntur pulmones cum nonnullis maculis gangrænoſis. Ventriculus inanis, & corrugatus, conſpicitur. Lien marcidus levi attactu diffluit. Omentum verò putridum occurrit; & meſenterium hujuſce labis minimè erat expers. Tota demùm abdominis cavitas ichore purulento, fœtido, ſanioſo, ac viroſo replebatur. BONETUS.

OBS. 248. Virgo duo & viginti annorum, mœrore confecta, in ſuffocationes hyſtericas incidit. Menſes inordinatè fluunt cum laſſitudine, dolore capitis gravante, *hypochondriorum inflatione*, & appetitu dejecto. Febrem veſpertinam ſequuntur *inſultus hyſterici*, quibus jacet ſine ſenſu & motu, moribundæ inſtar. Terquaterve invadunt per diem prædicti paroxyſmi, qui dein fiunt convulſivi & violentiſſimi, ſuccedente delirio. Tandem innumeris aliis ſymptomatibus per annum & ultrà conflictata, fatis ceſſit.

Pulmones coſtis hærentes tuberculis duris & ſcirrhoſis ſcatebant. Tenuia inteſtina velut eryſipelate affecta, rubicunda conſpiciebantur. Omentum denique corrugatum & ferè conſumptum occurrit. Uterus nil vitii præ ſe ferebat. BONETUS.

OBS. 249. Puella laborabat *tumore totius abdominis* duro, qui in hypogaſtrio tantus erat, cum *dolore* acerbiſſimo, ut pro deploratâ haberetur : dein urinæ excernuntur purulentæ cum quodam levamine : ſed brevi recurrunt ſymptomata ; erumpunt maculæ quaſi ſcorbuticæ, in pedibus præſertim & cervice. Accedente demùm diarhæâ, viribuſque proſtratis, interiit.

Aperto corpuſculo ; omentum cum magnâ parte meſenterii putredine conſumptum apparet. Hepar inſolitæ magnitudinis totam ferè abdominis cavitatem repleverat. Pancreas erat putridum ; renque ſiniſter totus purulentus. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 250. Quidam crapulæ indulgens, vertigine corripitur. Accedit *vomitus* cum *ventriculi dolore*, & levi febriculâ. Nonnunquam delirat ; & interſudandum occubuit.

Secto cadavere, invenitur omentum planè putridum, cum jecore ſcirrhoſo. Ventriculus nigro tumore ſemiplenus erat, & ejus facies inferior circà pylorum quaſi contuſa apparebat. MANGETUS.

OBS. 251. Juvenis octodecim annorum de *dolore in regione epigaſtricâ* jamdudum conquerebatur. Accedit *vomitus*, omnibus remediis obſurdeſcens. Senſimcollabuntur vires, pulſus fit debilis; & tandem naturæ debitum ſolvit. OMENTUM.

Luſtratis interaneis occurrit epiploon putre, cum hepate malè affecto. Ventriculus nigrâ colluvie ſcatebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 252. In cadavere infantis vix annum nati & *hydrope ſublati* ſequentia annotantur: omentum ſcilicet putrefactum; pancreas ità aſſumptum ut ejus nullum ferè veſtigium animadvertere liceret. Lien erat monſtroſus & tribus appendicibus inſtructus. Pericardium aquâ fœtidâ diſtentum occurrit; cum pulmonibus non nihil purulentis. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 253. Inter ſectionem cadaveris mulieris *aſciticæ*, obſervatur omentum fuſcum, vel luridum, corruptum; ac penè conſumptum. Inteſtinis ſparſim hærebant carunculæ ichore ſcatentes. Parcior erat aquæ copia in abdomine, ob paracenteſim pluries celebratam. Pulmones erant nonnihil ſcirrhoſi, cum aquæ largiori copiâ, tùm in pericardio, tùm in pectoris cavo. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 254. Mulier quinquagenaria, *repulsâ ſcabie* incidit in *dolorem* continuum, circà regionem epigaſtricam. Intrà biennium ſenſim moleſtior evadit hic morbus; quem demùm concomitantur *cardialgia*, nauſeæ, *vomitus* & *colici dolores* acerbiſſimi; quibus tandem emaciata enecatur.

Stagnabat aqua purulenta & fœtida ad libras decem in abdomine, cum epiploo ſcirrhoſo & putrido; pancreas erat infarctum & durum. E DIARIO MEDICO.

OBS. 255. Quidam nihil niſi *ventriculum accuſabat;* quod nullum cibum appeteret, coqueretque. Multa adhibita fuere ſtomachica vel exquiſitiora; ſed omnia incaſſùm: adeò ut tandem exhauſtis viribus ad plures migraverit.

Diſſecto cadavere omentum occurrit planè putrefactum; ventriculo reliquiſque vſceribus inculpatis. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 256. Inſtitutâ ſectione corporis cujuſdam melancholici & *ſcorbutici*, in conſpectum veniebat omentum nigricans, laceratum,

OMENTUM.

friabile & ferè putridum; venis ſanguine nigro turgentibus; quod inſuper pinguedine deſtituebatur, & peritoneo pluribus in locis, infrà umbilicum adhærebat. WARTHON.

OBS. 257. Puella undecim annorum, à ſeptennio *ventris* & *hypochondriorum doloribus* aſſiduis eſt vexata. Febre acutâ demùm ſuperveniente, diris ventris torminibus correpta, quinto die obiit.

Aperto imo ventre, occurrit fœtidiſſima & purulenta colluvies, cum omento toto corrupto & penè abſumpto. ZACUTUS.

OBS. 258. In cadavere pueri biennis *hydrope* extincti, annotantur in abdomine, præter aquæ ſordidæ copiam, omentum & pancreas putrida; hepar quaſi retorridum & hydatidibus obſitum; cum ſeroſâ colluvie tùm in pericardio, tùm in pectoris cavo. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 259. Cadaver pueri quadrimeſtris, *hydrope* ſublati; exhibet præter aquam in pectore & abdomine ſtagnantem, omentum putridum & quaſi colliquatum; hepar mole maximum, & ſcirrhoſum, æquè ac lienem; ac demùm meſenterium hydatidibus obſitum. DILLENIUS.

OBS. 260. In cadavere cujuſdam vetulæ ſeptuagenariæ & veteri *leucophlegmatiâ* extinctæ, deprehendebatur omentum ferè conſumptum; cum hepate flaccido, & colluviei ſeroſæ & flaveſcentis copiâ in abdominis cavo. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 261. Luſtratis interaneis cujuſdam mulieris *hydropicæ*, cujus ſtupenda erat abdominis moles; præter maximum ſeri cruenti & fœtentis copiam reperiebatur omentum putridum, cum peritoneo ſimili labe tacto. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 262. In cadavere cujuſdam *ſcorbutici*, omentum totum ferè putridum & corruptum annotabatur; lien verò planè inculpatus conſpiciebatur. SENNERTUS.

OBS. 263.

OBS. 263. Exenterato cadavere *ſcorbutici*, patet omentum putridum. Pulmones verò flaccidi & variegati deprehendebantur. TH. BARTHOLINUS. OMENTUM.

Numeroſiſſimæ de hâc læſione proſtant obſervationes videlicet Libr. I. 10, 120, 124, 128, 290, 330, 396, 407, 408, 409, 414, 422, 436, 438, 569, 579, 644, 650, 685, 708, 748, 782, 811, 933, 994, 1011, 1025, 1061, 1088, 1132, 1205, 1225, 1419, 1475, 1498, 1514, 1575, 1636, 1663, 1731. Libr. II. 98, 140, 195, 223, 242, 297, 326, 344, 360, 366, 393, 417, 428, 520, 565, 613, 614, 622, 697, 724, 766. Libr. III. 232, 414, 472. Libr. IV. 171, 179. Præterea vide *Viſcera putrida. Colluvies ſordida abdominis.*

---

## *Omentum abſumptum & gangrænoſum.*

OBS. 264. Quidam melancholicus quadrageſimum ſecundum ætatis annum agens, poſt multos labores & ærumnas, *febre duplici tertianâ* corripitur, cum capitis dolore & vigiliis. Minguntur urinæ rutilæ, flammeæ & ſaturatæ. Sæviunt crebra *ventris tormina:* eminet tumor indolens, cuti concolor, in latere abdominis ſiniſtro, juxtà mucronatam cartilaginem, ab ægro ante aliquot annos animadverſus. Hypochondria etiam dura & tumentia annotantur. Intereà febris in quartanam faceſſit & imminet *hydrops*, qui dein manifeſtus evadit, cum tumentibus ſcroto & artubus inferioribus. Tandem ſexto menſe accedentibus delirio ſtertore & convulſionibus fatis conceſſit.

Secto abdomine protinùs effluxit aqua limpidiſſima & inodora ad libras quatuor & viginti. Nullæ ſuperſunt omenti reliquiæ. Lien ingens & deformis libras quinque & ultrà ponderabat; intùs erat putris cum membranâ craſſiſſimâ & cartilagineâ. Ductus pancreaticus vermiculum vivum recondebat cum quatuor lapillis nigerrimis. Cyſtis demùm fellea atrâ bile erat repleta; & pulmones ſemiputridi annotabantur. BONETUS.

OBS. 265. Miles trigeſimum quartum ætatis annum agens, *gangrænâ* à frigore obortâ, omnes ferè pedis dextri digitos amiſerat. Lecto hinc affixus tuſſi moleſtiſſimâ diu noctuque conflictatur. Intereà ſputa cum ſtriis ſanguineis excernuntur: *tumet venter cum dolore:* appetitus aboletur: tabe demùm & febre hecticâ è medio tollitur.

OMENTUM.

Omenti nullum erat veſtigium. Inteſtina ſemiputrida in glomeramen collecta conſpiciebantur, ſtagnante latice ſanioſo ſordido & copioſo. Pancreas erat ſcirrhoſum; hepar parvum & ſiccum. Facies concava diaphragmatis granulis albicantibus erat exaſperata. Pulmones partim ſcirrhoſi deprehendebantur; ſiniſter ſero ſanguinolento innatabat, à quo mollis & friabilis reddebatur. CLAR. HAZENHOBL.

OBS. 266. Mulier utero gerens & *aſcite* ſimul laborans, ſindromem malorum geſtationis tempore perpeſſa eſt. Enixo fœtu maturo, non deſiere illam vexare aſcites, *præcordiorum anxietates*, *dolores* intolerabiles, aliaque mala benè multa; donec placuit Deo ter optimo maximo miſeriis ejus finem morte imponere.

Sectio abdominis latici aqueo exitum paravit. Omentum totum erat abſumptum. Peritoneum variis in locis, particulis duris, arenulas mentientibus conſperſum animadvertebatur. Poſtremò vena porta paſſim oſſeam duritiem quaſi aſſequebatur. RUYSCHIUS.

OBS. 267. Puer triennis *abdomen* habebat *prætumidum*, ad genua ferè propendens & contactu durum; pedes erant œdematoſi, & difficilis erat reſpiratio. De *dolore* demùm *abdominis* cum inſigni clamore querulus, migravit ad Superos.

Cautè ſectis tegumentis, nil aderat niſi pinguedo ad ſævi conſiſtentiam proximè accedens, quæ unius, & quidem majoris, palmæ latitudinem ſuperabat. Secto peritoneo proſilit aquæ copia: nullæ erant omenti reliquiæ. Cæterùm hæc materia ſebacea & ſteatomatoſa, facilè à cute ſeparata, libras octo & ampliùs pendebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 268. Mulier à biennio *menſium ſuppreſſione*, ex animi mœrore, laborans, *doloribus* conflictabatur in omnibus corporis partibus. Ad ſomnum proclivis ſæpiſſimè *evomebat* ſaburram viridem. Ac tandem viribus exolutis fatis ceſſit.

Cadaver apertum hoc dabat: abdomen aquæ ſubcruentæ libras viginti continebat. Omenti nullæ erant reliquiæ. Hepar conſpiciebatur pallidum, undique abdomini annexum. Inteſtina denique verſùs diaphragma propulſa, & mirè circumvoluta, cruſtâ quâdam erant circumdata. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 268. (*a*) Muliercula poſt infelicem partum, præter varias ægritudines, de *dolore* tenſivo & gravativo *in ſiniſtro hypocondrio* querebatur; ſenſim dein *tumente abodomine*, cum duritie & renitentiâ. Poſt ſeptem annos contuſionem patitur in capite, dorſo & hypochondrio ſiniſtro; hinc *dolores in abdomine acerbiſſimi*, ſpirandi difficultas, cum gravioribus ſymptomatibus hyſtericis; donec accedente febre acutâ ad plures migravit. OMENTUM.

Omentum erat planè abſumptum; & meſenterium tuberculoſum. Viſcera inſuper tùm pectoris, tùm abdominis invicem accreta cernebantur. CLAR BAADERUS.

OBS. 269. In quodam milite *aſcite* ſublato, & cultro anatomico ſubjecto, ſtagnabat in abdomine aqua ſubcruenta & fœtidiſſima ad octo circiter menſuras. Omentum totum ferè erat conſumptum. Hepar læſum & hydatidibus refertum; non ſecùs ac lien. Pulmones plevræ hærebant, cum nonnullis hydatidibus & ſtagnante aquâ ſubcruentâ. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 12, 13, 14, 23, 64, 75, 119, 158, 255 (*a*), 274, 278, 290, 291, 337, 390, 404, 419, 468, 573, 630, 633, 645, 679, 680, 697, 707, 723, 851, 983, 1015, 1064, 1154, 1247, 1400, 1500, 1507, 1537, 1647, 1660, 1754; Libr. II. 93, 144, 150, 199, 222, 298, 303, 371; Libr. IV. 168, 171. Præter quas vide *Viſcera putrida ; Colluvies ſordida abdominis.*

De Epiplocele vide Libr. I. Obſerv. 669

## *SECTIO QUARTA.*

## DE INTESTINIS

### *Inteſtina flatu mirè diſtenta.*

OBSERVATIO 270. Vir quinquagenarius, chartis indeſinenter hærens, duobus abhinc annis, inter varia incommoda, *flatulentiâ* torquebatur; cum ſubitò in veram *tympanitidem* incidit, *vomitu & alvo adſtrictâ* ſtipatam. Nil proficientibus remediis omnia in deteriora ruunt. Tandem virium lapſus, pulſuſque nunc convulſus, nunc oblitteratus brevi miſellum ægrum, ſemper mente conſtantem, ad ultimam rerum lineam ducunt.

INTESTINA.

Primâ peritonei ſectione magna aëris, extrà viſcera ſtagnantis, copia, cum impetu proſilit. Præterea flatibus mirum in modum turgebant inteſtina: cœcum præſertim ad capitis humani molem accedebat; & maculis gangrænoſis paſſim erat ſignatum. Stomachus, hepar & lien, aliàs ſana, depreſſa & exigua deprehendebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 271. Piſcator annum ſuperans quadrageſimum, procerus & *hernioſus*, nec-non *flatulentiæ* obnoxius; cùm repentè inſultu flatulento in ſuâ naviculâ correptus eſſet; illicò ibi mortuus eſt.

Ventriculus & inteſtina aëre ultrà modum tumebant. Portio ilei in ſcrotum delapſa, colore gangrænoſo fœdabatur. Stagnabat ſerum cruentum in abdomine. Pericardium cordi arctè hærebat. Vaſa cerebri ſanguine nigro & ſpumoſo mirè erant diſtenta. Serum reperitur circà ambitum cerebri, & in ventriculis; ſed parcâ copiâ. Plexus choroïdes plures habebat hydatides. Cerebri demùm ſubſtantia erat firmiſſima. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 271. (*a*) Inter ſectionem fœminæ *tympanitide & anaſarcâ* extinctæ nullus erat aër in abdominis cavo; ſed inteſtina enormiter diſtendebantur; atque in ipſis cellulosis ſpatiis, extùs inteſtinis circumpoſitis, inter ſcilicet, muſcularem membranam & extimam, aër bullas excitaverat, cum tetro fœtore. Hinc patet primam morbi ſedem in caveâ inteſtinorum eſſe: ſed eâdem viâ, per quam flatus tubo inteſtinali vi mechanicâ, inter experimenta, impulſus in celluloſa inteſtinorum ſpatia penetrat; ſimili ratione in morbo poſſe aërem ea ſpatia occupare, cui redit membrana extima in bullas elevata. CLAR. HALLERUS.

OBS. 272. Puer ſexennis & macilentus *icteritio* colore pluribus abhinc annis defœdabatur. *Venter* jam *tumidus* inter ultimum menſem, in immanem molem excreverat, cum durâ alvo. Haud æquabiliter extendebatur abdomen, quod percuſſus nil undulationis, ſed obſcurum tympani ſonum, unde morbus nomen habet; referebat. Sub hac rerum conditione, brevi fatis ceſſit.

Exenterato cadavere; inteſtina craſſa flatu ultrà modum diſtenta deprehendebantur; pars præſertim coli ſiniſtra, & ad unum deſcendens ingentem ſaccum efformabat. CLAR. DE HAEN.

INTESTINA.

OBS. 273. Quædam mulier *aſthmate* periodo, per triennium, tenebatur, cum *ventre tumido;* tandem inter inſultum ferociorem ſuffocatur.

Pulmones inveniuntur inculpati. Secto abdomine multùm diſtento; ne gutta aquæ effluxit; ſed omnia inteſtina, imprimis jejunum mirè inflata, diſtenta & tota vacua conſpiciuntur. Veſicula fellis nihil continebat bilis; ſed lapidem incluſum habuit magnum & inæqualem, pondere quatuor drachmarum officinalium. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 274. Vir quinquagenarius colicâ flatulentâ, & dein *tympanitide* laborabat, cum extremâ corporis macie. Accedentibus tandem gravioribus ſymptomatibus è medio tollitur.

Aperto abdomine deprehenduntur inteſtina flatibus mirè diſtenta, cum variis inflammationis & putredinis notis. Omentum nullum cernitur. Meſenterium circà duodenum erat corruptum. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 275. Cujuſdam mulieris, poſt annuam ægritudinem, pedes fiunt œdematoſi. Dein *intumuit venter*, cum lumbis etiam œdematoſis. Morbo tandem ad ultimum gradum provecto, interiit.

Primâ abdominis ſectione protinùs effluxit aquæ citrinæ parva copia. Ventriculus & inteſtina flatibus turgidiſſima erant: hepar maximum & lividum, inæquale & tuberoſum: meſenterium ſcirrhoſum, æquè ac pancreas. WEPFERUS.

OBS. 276. Tonſor quidam in dextro hypochondrio ſibi quidquam afferri conquerebatur quod in ſiniſtro conquieſceret; quod ſuper ventriculum tranſiens *vomitum* movebat.

In mortui cadavere reperitur inteſtinum colon ventriculi fundo incumbens, & flatu omninò diſtentum; reliquis inteſtinis fæcibus repletis. DODONEUS.

OBS. 277. Quidam *ſpirandi difficultate*, per vices recurrente, jampridem laborabat; cum ſubito ingruente *coli dolore* ferociſſimo rapitur.

Omnia inteſtina ità flatibus intumuere, ut ventre aperto in adſtantes proſilirent, ſurſum igitur repulſo ſepto tranſverſo, difficilis erat reſpiratio. RHODIUS.

INTESTINA.

OBS. 278. In cadavere virginis triginta annorum, chloroticæ, quæ ſex ante obitum menſes, diris *ventris torminibus* vexabatur, ac tandem *tympaniticâ* occubuit; occurrunt inteſtina flatibus in immenſum turgida, non ſecùs ac ventriculus. Omentum inſuper erat planè abſumptum; & meſenterium ſcirrhoſum. BONETUS.

OBS. 279. In cadaveribus variorum verâ & genuinâ *tympanitide* extinctorum, reperiebantur ventriculus & inteſtina flatibus ſummè diſtenta; ac præſertim cœcum & colon quæ femoris craſſitiem æquabant. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 280. Secto cadavere cujuſdam fœminæ *iliacâ paſſione* defunctæ, inteſtina occurrunt mirum in modum dilatata. Colon potiſſimam brachii craſſitiem longè ſuperabat BONETUS.

OBS. 281. In cadaveribus variorum borborygmis & *colicæ flatulentæ* obnoxiorum, colon ſummè dilatatum & brachii amplitudinem ſuperans vidit FERNELIUS.

OBS. 282. Luſtratis interaneis mulieris *tympanitide* ſublatæ ventriculus & inteſtina flatu diſtenta inveniebantur; abſque ullo flatu aut humore extrà prædicta viſcera. SMETIUS.

OBS. 283. In cadavere puellæ cujus *abdomen* in modum tympani *extenſum* fuerat; non ſolùm inteſtina maximâ flatuum copiâ turgebant; ſed etiam ventriculus. FABR. HILDANUS.

OBS. 284. Inciſo abdomine cujuſdam inter *colicos dolores* acerbiſſimos extincti, inteſtina ſtupendâ flatuum copiâ diſtendebantur. ROLFINCCIUS.

OBS. 285. Varia exempla conſimilium dilatationum tubi inteſtinalis & præſertim coli etiam tradidit. PANAROLUS.

OBS. 286. Simillimas dilatationes in pari caſu pluries vidiſſe

nobis contigit, quas recenſere ſuperfluum fore judicamus. E NOSTR. ADVERSARIIS.

INTESTINA.

In hâcce claſſe locum merentur obſervationes Libr. I. 413, 426, 632, 779, 941, 1028, 1309; Libr. II. 37, 151, 332, 530. Præterea vide *Mira inteſtinorum dilatatio.*

---

## *Inteſtina flatu diſrupta.*

OBS. 287. Mulier corpulenta *colicâ flatulentâ* tam atroci premebatur, nullo erumpente flatu, ut ingruente ferociori inſultu præ nimiâ diſtenſione ſciſſo inteſtino vitam finierit, quod deprehenſum fuit inter exenterationem cadaveris. BENEVENIUS.

OBS. 288. In cadavere cujuſdam ruſtici qui poſt diuturnas *ventris tortiones* & *inflationes* ultimum diem obiit; inveniebatur longior fiſſura in tubo inteſtinali; quâ etiam recentes uvas, quas paulò antè comederat, prorupiſſe conſtitit. BENEVENIUS.

OBS. 289. Poſt atrociſſimos *colicæ dolores* à conſtrictione inteſtinorum, ea nonnumquam diſrupta, & ſordes in cavum abdominis effuſas, cum repentinâ ægrorum interemptione vidit WEPFERUS.

---

## *Inteſtina ſanguine turgentia.*

OBS. 290. Artifex ſextum emenſus luſtrum ſæviſſimos *ventriculi dolores* patiebatur qui opportunâ curâ fugantur. Poſt aliquot hebdomadas recurrit morbus ferocior cum *dolore renum* & *vomitu*; tum accedit ſumma debilitas, imminente *leipothymiâ*. Materiæ nigræ & copioſæ dejiciuntur & innoteſcit *morbus niger.* Accedunt animi deliquia; omniaque in pejus ruunt; ac tandem ultimum diem clauſit.

Reſerato abdomine, nullum occurit omentum. Tumet ventriculus: inteſtina flatibus turgida, hìc rubra, hìc nigra & gangrænoſa videbantur. Lien erat parvus, non ſecùs ac hepar. Veſicula fellis nihil præter aërem habebat. Apertis ventriculo & inteſtinis effluxit ſtupenda ſanguinis copia; qui liquor ater & piceus annotabatur in craſſioribus inteſtinis. CLAR. TISSOT.

INTESTINA.

OBS. 290. (*a*) Vir triginta annorum, cachecticus, de *dolore* gravativo & æſtu quodam in hypochondriis cum reſpiratione difficili querebatur. Sub hoc rerum ſtatu horripilatione corripitur quam ſequitur *vomitus ſanguinis* puri, grumoſi & copioſiſſimi. *Flatus* erumpebant, motu quodam ventriculi ſingultuoſo. Pulſus debilis explorabatur; & urgebant animi deliquia cum frigore extremorum. *Vomitus* per aliquot horas cohibitus denuò recurrit, ac vehementior; adeò ut æger exanguis vitam cum morte brevi commutaverit.

Secto abdomine invenitur omentum per medium diſruptum. Lien erat ſolito major. Duodenum ſanguine atro turgebat; ſimileſque ſanguinis ſtagnantis grumos continebant alia inteſtina exilià; unde haud falsò conjiciebatur cruorem prorupiſſe è vaſis meſeraïcis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

Inter affines recenſeri queunt obſervationes Libr. I. 331; Libr. II. 80, 141, 284.

---

## *Inteſtina fœcibus infarcta.*

OBS. 291. Quidam juvenis poſt grave infortunium in *maniam* incidit. Pluribus elapſis annis ſemel tantùm intrà menſem alvum exonerabat; quæ tamen certis intervallis ultrà modum ſolvebatur; undè conſtipatio pertinacior. Intereà *abdomen* mirè *intumuit*; vigente appetitu: quod poſteà concidit à dejectâ ſtupendâ ſtercoris ſarcinâ. Ultima demùm fæcum retentio ad ſexdecim ſeptimanas protrahitur; deficiente appetitu & urgente ſiti. Tum venter magis magiſque protuberat; vires deficiunt & placidè anno trigeſimo à primo inſultu expiravit.

Secto abdomine proſilit aqua ad tres menſuras. Anum obturabat ſcybalarum maſſa duriſſima. Stupenda erat inteſtinorum moles cum variis ſyderationis notis. Omenti nulla conſpiciebantur veſtigia. Nil poſtremò notatu dignum occurrit in cerebro. THEOD. ZWINGERUS.

OBS. 292. Senex litterarum amans, *vertigini* & *flatulentiæ* obnoxius, *adſtrictione alvi* jamdudùm torquebatur. Accedentibus *ventris torminibus* & anxietatibus planè deſiderantur dejectiones alvinæ. Intereà tumet addomen; ingruit *vomitus*; reſpiratio nonnihil impeditur; caput obnubilatur; erumpunt ſudores frigidi; ac tandem viribus exolutis, occubuit æger.

Reperiuntur inflammationis & ſyderationis notæ tùm in ventriculo, tùm in tubo inteſtinali. Colon in immenſam aſſurgebat magni-

magnitudinem ob copiam materiæ ſubalbicantis & quaſi lapideæ quam recondebat; à quâ planè obturabatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

INTESTINA.

OBS. 293. Matrona quadragenaria, obeſa, inſultibus hyſtericis & convulſivis obnoxia; de *alvo adſtrictâ* perpetuò querula; tandem incidit in *vomitum*, nullâ artâ compeſcendum; alvo planè ſiccâ remanente. Sub hoc rerum ſtatu, *abdomen* ſenſim *tumet*, cum manifeſto ponderis ſenſu in hypogaſtrio. Accedunt tormina, ſingultus, lypothymiæ & ſudores frigidi; quibus tandem undecimo die, ab ineunte vomitu, ad ultimam rerum lineam ducitur.

Inter ſectionem cadaveris, obvia fiunt inteſtina tumida & inflammata cum ſtigmatibus gangrænoſis. Coli pars ſiniſtra, vel ano proſpiciens, fæcibus induratis, & quaſi gypſeis planè obturabatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 294. Vir conſiſtentis ætatis, *alvo* ſummè *adſtrictâ* conflictabatur. Quævis alimenta vomebat, cum magnâ pituitæ vitreæ quantitate. Tandem invaleſcente morbo & accedentibus gravioribus ſymptomatibus interiit.

Aperto abdomine deprehenditur totum inteſtinum duodenum ſtercore duriſſimo & atro repletum; quod in plures partes quaſi diviſum, tubera ad unguem æmulabatur. BONETUS.

OBS. 294. (*a*) Introſpecto cadavere cujuſdam mulieris, jamdudùm *ventrem protuberantem* geſtantis, cum alvo ſummè adſtrictâ, patet ſtupenda dilatatio in parte coli epigaſtricâ, cujus inferior mirè erat contracta, calloſa & quaſi cartilaginoſa; ac vix anguſtiſſimo oſtio pervia. Hinc intelligitur cur ſcibala in hanc ampliſſimam tubi cavitatem collecta, ægrè ad podicem appellerent. CLAR. DULAC.

OBS. 295. Luſtratis interaneis cujuſdam pueri qui *ventris tormina* jamdudùm patiebatur; cum *alvo adſtrictâ*; deprehendebantur univerſa inteſtina fècibus duris & ſiccis plane infarcta, quales ante obitum, ſummâ cum moleſtiâ, vomitu profundebat PARÆUS.

OBS. 296. Inſpecto cadavere cujuſdam *ileo* extincti; nullæ reperiuntur plicæ, nec volvulus: ſed circà inteſtinum cœcum occurrit

INTESTINA.

materia quædam indurata & quaſi lapideſcens; quæ tubum inteſtinalem planè obturabat; cum maximâ ad hæſione. FONTANUS.

OBS. 297. Il cadavere ſexagenariæ, quæ colicâ, dum viveret, erat conflictata, in morbum, *miſerere mei* dictum incidit; invenitur inteſtinum colon duriſſimo ſtercore & quaſi lapideſcente repletum. HIP. BOSC.

Ad traditas proximè accedunt obſervationes Libr. I. 502, 503, &c.

## *Inteſtina pituitâ repleta.*

OBS. 298. Cuidam gravis affectus alvum prorsùs cohibuit; qui tandem *ventre* ſuprà modum & ſenſim *intumeſcente* ferociſſimis *doloribus* conflictatus, ad Superos migravit.

Reſerato abdomine deprehendebatur inteſtinum colon uſque adeò pituitâ infarctum, ut ſolutum corpus cenſeretur; nihil que omninò fæcis in alvum delabi ſineret. FERNELIUS.

OBS. 299. In cadavere mulieris *famelicæ* quædum in vivis ageret; ſingulis ferè horis, etiam noctu, comedere cogebatur, imminente leipothymiâ; inteſtinum colon valdè diſtentum deprehenſum eſt, totumque viſcidâ & vitreâ pituitâ repletum; unà cum flatibus. HEURNIUS.

OBS. 300. In cadavere cujuſdam *doloribus colicis* acerbiſſimis obnoxii, in conſpectum veniebat totum colon pituitâ craſſâ obductum; relicto tamen foramine, digiti craſſitie, pro fæcibus tranſmittendis. SALMUTHUS.

## *Inteſtina lumbricis ſcatentia.*

OBS. 301. Puer duodecim annos natus, *febre* cum horroribus inordinatè recurrentibus laborabat; cum in *cardialgiam* & *vomitum* incidit: accedunt cibi faſtidium, *dentium ſtrepitus* inter ſomnum, & ſudores nocturni. Intereà urget vomitus, alvo remanente ſiccâ; abdomen in altum attollitur; & convulſus moritur puer.

Luſtrato cadavere, animadvertuntur circà finem ilei vermes denſo agmine in glomeramen, pugni molem æquans, convoluti, & mirè contorti; quibus planè obturabatur tubus inteſtinalis, variis phlogoſeos & gangrænæ notis ſignatus E NOSTRIS. ADVERSARIIS.

INTESTINA.

OBS. 302. Quidam *febre intermittente* corripitur, cum quâdam vermium ſuſpicione. Febris notiſſimis præſidiis fugata poſt quindecim dies recurrit, nunc tertiana, nunc duplex tertiana, quæ tùm, poſthabitâ curâ, pertinacior & gravior evadit. Viribus tàndem deficientibus ingruunt *convulſiones;* ac inſultu epileptico vehementiori rapitur.

Inter exenterationem cadaveris reperiuntur in inteſtino jejuno variis ſtigmatibus gangrænoſis defœdato, numeroſiſſimi lumbrici in varia glomeramina contorti & aggeſti. Ventriculus bilem porraceam recondebat. E DIARO MEDICO.

OBS. 303. Puer ſexdecim annorum *hydropicus*, cùm per quatuordecim dies *excrementa alvi per os evomeret;* nec per ſeceſſum quicquam egereret; viribus tandem fractis expiravit.

Inſpecto abdomine, flatus primâ ſectione erumpebant. Verùm inteſtina tantèpero erant diſtenta ut femoris craſſitiam paſſim adæquabant; & vermibus vivis numeroſiſſimis ſcatebant. Depreſſiora adeò erant convoluta, intorta & implexa, ut nulla illic nec excrementis, nec flatibus pateret via. Præter quæ, hepar corruptum, arenulis, lapidibuſque *infarctum* deprehenditur. PLATERUS.

OBS. 304. Puer bimulus tuſſi laborabat, cum crebris ejulatibus & inquietudinibus nocturnis. Nutrix eum dentibus laborare putabat; donec tandem in graviſſimos & continuos *motus convulſivos* incideret; quibus intrà triduum è medio tollitur.

Aperto corpuſculo, deprehenditur inteſtinum duodenum à lumbrico terete perforatum, & exeſum: cæteris partibus planè inculpatis. LOSSIUS.

OBS. 305. Puella undecim annorum, nullâ præviâ ægritudine, in *affectum lethargicum* incidit; quo poſtridiè, variis incaſſum adhibitis, ultimum fatum ſubiit.

Cerebrum falsò incuſatum deprehenditur, ſed luſtrato abdomine occurrunt duodecim vermes oblongi & conglobati in inteſtinis

INTESTINA.

tenuibus, quæ inſignem ruborem, & inflammationis notas præ ſe ferebant. CHIFLETUS.

OBS. 306. Graſſabatur in Italiâ *morbus* quidam *malignus* & epidemicus, cum horrore & febre invadens, qui intrà paucos dies feralem habebat exitum.

Inſtituta plurium cadaverum ſectione, mira & vix credibilis minorum vermiculorum copia deprehendebatur. VELSCHIUS.

OBS. 306. (*a*) In cadavere cujuſdam *inflammatione pectoris* extincti, reperiuntur pulmones inflammati & plevræ arctè hærentes; quæ membrana erat etiam ejuſdem mali conſors. Stomachus & inteſtina flatulenta & phlogoſi tacta conſpiciebantur; lumbriciſque maximis, paſſim conglomeratis ſcatebant. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 307. In cadavere pueri qui *eroſione gingivarum* jampridem graviſſimè divexabatur. Tanta inventa eſt abundantia vermium, ut in nonnullis locis inteſtina eroſerint; multique in vacuo ventris reperti fuerint. FABR. HILDANUS.

OBS. 308. Inſpecto cadavere cujuſdam viri *febre tertianâ* & continuâ extincti; deprehendebatur ſtupenda lumbricorum copia, non ſolùm paſſim in tubo inteſtinali ſed etiam in ventriculo, uſque ad œſophagum. PANAROLUS.

OBS. 309. Puer gravi *dyſenteriâ* corripitur; quæ tandem atrocioribus ſymptomatibus ſtipata, decumbentem ad libitinæ rationem ducunt.

Secto cadavere, in conſpectum venit ſtupenda lumbricorum copia, partim ſolitariorum, partim confertim collectorum. FONTANUS.

OBS. 310. Quidam mendicus, dùm in vivis ageret *diſcoloratus*, capite mulctatus, inter cadaveris ſectionem, exhibuit maximam lumbricorum viventium copiam, in tubo inteſtinali nidulantium. PLATERUS.

OBS. 311. In cadavere virginis acerbiſſimo *ventris dolore*

ſublatæ, erant inteſtina non ſolùm exeſa, & vermibus transfixa; ſed etiam hepar ab iis eroſum, & altè excavatum; non ſecùs ac cor. RIVERIUS.

INTESTINA.

OBS. 312. Alia virgo *conſimili morbo* enecata exhibebat lumbricos qui inteſtina & præſertim colon paſſim perforaverant. RIVERIUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. I. 82, 350, 408, 907, 1591. Libr. II. 61, 123, 885. Libr. III. 414.

---

## *Tænia in inteſtinis.*

OBS. 313. Quædam mulier jampridem *horrendis ſymptomatibus* divexabatur, quorum ratione perpetui erant ejulatùs; & cubili contineri minimè poterat, de faſcino cogitantibus medicis. Eâ tamen mortuâ nulla alia cauſa ſe exhibuit prætèr ingentèm vermem latum, ſive tæniam, inteſtina omnia, tùm tenuia, tùm craſſa inveſtientem. BONETUS.

OBS. 314. Quidam morbo prehenditur ignoto, miris & *terribilibus ſymptomatibus* ſtipato, quibus ferendis impar tandem rebus humanis vale, ſupremum dixit.

Sectо cadavere in conſpectum venit vermis inſignis totam inteſtinorum longitudinem occupans. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 315. In cadavere puellæ quæ varias partes *tæniæ* rejecerat & de *dolore hypocondrii* dextri conquerebatur; reperitur copioſum ſerum in abdomine. Renes erant ampliſſimi; jecur ingens & copia vermis tæniæ in inteſtinis. J. BAUHINUS.

In harum numero adſcribi debet obſervatio Libr. I. 1508.

---

## *Lapides in inteſtinis.*

OBS. 316. Juvenis macilentus, cujus alvus erat adſtricta, immanem *ventris dolorem* experiebatur interdejiciendum. Nonnullos

INTES-TINA.

interdùm excernebat lapillos ciceris magnitudine, nonnunquam ad avellanam accedentes; & coloris cineritii. Tandem ſævientibus ferocioribus doloribus, & alvo planè ſuppreſſâ occubuit.

Inter cadaveris exenterationem, deprehendebatur calculus caſtaneæ magnitudine & formâ, colo inteſtino tenaciter adhærens; qui antehac tragædiam excitaverat. ZACUTUS.

OBS. 317. Quædam matrona *doloribus colicis* acerbiſſimis corripitur, cum vomitu & alvo adſtrictâ. Variis incaſſùm adhibitis præſidiis; tandem migravit ad ſuperos.

Reſerato abdomine in conſpectum venit lapis mole magnus & tubum inteſtinalem planè obturans. EX ACTIS GERMANICIS.

OBS. 318. Faber ferrarius de *dolore ſtomachi* gravativo querebatur; qui ſenſim varia poſt ſe trahit ſymptomata, ac tandem obitum.

Luſtrato cadavere deprehenditur in inteſtino jejuno magnus & candeſcens lapis, qui integrum tubum obſtruxerat; ut nihil permeare potuerit. SCHNEIDERUS.

OBS. 319. *Craſſior pituita* in cœci & coli inteſtini cellulis diutiùs coërcita; non nunquam concreſcit in calculos & alvum cohibet; quales ſæpè vidit inſtar nucis juglandis, in diſſectis cadaveribus. FERNELIUS.

OBS. 320. In cadavere cujuſdam fœminæ, *paſſione iliacâ* extinctæ, deprehendebatur tubus inteſtinalis obſtructus à quodam lapide, ad nucis juglandis magnitudinem accedente. EX ACTIS PARISIENS.

OBS. 321. Cadaver ſexagenarii *cruciatibus inteſtinorum* per annum integrum conflictati, exhibuit globulos ovum gallinaceum adæquantes; colo affixi & ſemi-lapidei. HORSTIUS.

OBS. 322. Aperto cadavere cujuſdam inter *ventris tormina* extincti invenitur lapis perforatus in inteſtinis, quo liquidiori materiæ via patebat, BALLONIUS.

OBS. 322. In cadavere cujuſdam *colicis doloribus* defuncti, in conſpectum venit lapis ovi anſerini formâ & magnitudine, in colo deliteſcens. SEVERINUS.

INTESTINA.

OBS. 324. Calculos, haud raro, in tubo inteſtinali generari occulatâ fide teſtatur. SILVATICUS.

---

## *Corpora extranea in inteſtinis.*

OBS. 325. Quidam quadragenarius per triennium nihil niſi potulenta aſſumens de *dolore abdominis* continuo querebatur. Mirandas inteſtinorum agitationes & circumvolutiones cum murmure ſentiebat. Aderat *tumor* durus & renitens *in hypogaſtrio*; ac tandem fatis ceſſit.

Reſerato abdomine, exeunt è colo ſphacelato & rupto nuclei ceraſorum. Infarctus erat & repletus prædictus tubus ceraſorum & prunorum nucleis, ad tres circiter libras. Præterea cum hiſce uncleis occurrebant quatuor globuli plumbei bombardarum portatilium, quos fortè alicujus conſilio deglutierat ad reſerendas vias. BINNINGERUS.

OBS. 326. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viri, ab *urinæ interceptione* perempti in propatulum veniebat inteſtinum rectum repletum & infarctum nucleis ceraſorum, diù ante ingeſtorum; illùc detruſorum & ſubſiſtentium. MANGETUS.

OBS. 327. Puella ſeptennis diarrhœâ corripitur. Ab intempeſtivo adſtringentium uſu *alvus* planè *ſicca* evadit, hinc tormina & dolores acerbiſſimi qui mortem poſt ſe trahunt.

Cœcum inteſtinum adeò cydoniato obturatum erat, ut illac nil tranſire poſſet. FERNELIUS.

OBS. 328. Maniacus ferramenta, araneas, lacertos & bufones eadem temeritate maſticabat & devorabat. Tandem febre continuâ cum *diarrhœâ torminosâ* correptus obiit.

Reperiuntur duo cultri fruſta, alterum in cœco, alterum in recto propè anum. Cœcum pure ſcatebat. BINNINGERUS.

INTESTINA.

## *Inteſtina inflammata.*

OBS. 329. Mulier gracilis, ætatis annum tertium & quadrageſimum agens; temperamento bilioſo, ad ſputum ſanguinis proclivis; deficientibus menſibus, dolore corripitur infrà mammam ſiniſtram cum rigore, *febre* & *difficili reſpiratione*. Aderant ſitis, tuſſis & *ſputa* alba, craſſa, & ſpumoſa, & nonnunquam *cruenta*. Intereà acceſſit *dolor* ſæviſſimus *circà umbilicum*. Paucis poſt diebus omnia remittuntur. Dein fatiſcentibus viribus, frigore corripitur ſinè pulſu. Sub hâc rerum conditione nullum perſentit dolorem, fœtidum ſanguinem cum fæcibus alvinis dejicit, accedit delirium, cum tendinum ſubſultu: ac tandem vivere deſiit.

Inter cadaveris eviſcerationem, in conſpectum veniebant tenuia inteſtina ex rubro colore ad lividum & nigreſcentem inclinantia. Pancreas erat ſolito craſſius, durum & tuberoſum. Jecur nonnihil durum annotabatur. Veſicula fellis à viginti & centum calculis diſtendebatur, quorum majores, numero viginti, nucis avellanæ magnitudinem æquabant. Antica denique pulmonum pars compacta, cum non nullis hærentiis, percipiebatur. MORGAGNUS.

OBS. 330. Juvenis viginti annorum ad varios pectoris morbos proclivis, & macilentus, cum alvo adſtrictâ; poſt exercitationem immodicam, *dolore interaneorum*, cum rigore, nauſeâ & laſſitudine, corripitur. *Tumet abdomen;* lotiumque parcè fluit. Pulſus exilis exploratur, cum ſudore frigido. Intereà erumpit *vomitus* ingeſtorum, cum nonnullo levamine. Perſiſtente vomitu colluviei viſcidæ & bilioſæ; ſolvitur alvus cum dejectionibus bilioſis & porraceis. Poſteà exacerbantur abdominis dolores, cum tenſione & renitentiâ præſertim in hypogaſtricâ regione. Tandem refrigerantur artus, & ſeptimo morbi die ultimum fatum ſubit.

Stagnabat in abdomine copia ſeri ſordidi & purulenti. Epiploon, inteſtina, & peritoneum invicem hærebant; epiploo putrido, ad pelvim uſque deſcendente, veſicæ accreto. Inteſtina demùm invicem adglutinata, inflammata, & partim ſphacelata deprehendebantur; cum meſenterio toto purulento. E DIARIO MEDICO.

OBS. 331. Vir ſexagenario major incidit in *vomitum* materierum

rum nigrarum, cum dejectionibus ejuſdem naturæ, & fœtidiſſimis. Tum excandeſcit *febris* cum *doloribus* obſcuris *in abdomine.* Tempeſtivis remediis fugatus hic morbus pluries per triennium recurrit. Ingruente tandem inſultu vehementiori è vivis tollitur.

INTESTINA.

Secto cadavere inveniebatur pylorus, variis tuberculis quaſi obrutus. Glandulæ meſenterii ſolito tumidiores cernuntur. Jejunum & ileum phlogoſi tacta obſervantur, cum variis maculis nigris & gangrænoſis. Cæcum ſanguine nigro & grave olente ultrà modum repletum, & diſtentum ſtomachi magnitudinem quaſi æmulabatur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 332. Quidam ſexagenarius hemicraniæ, arthritidi & nephritidi obnoxius, pridiè quam moreretur cibum rejicit aquoſâ materiâ permixtum. *Dolorem æſtuantem* cum pulſatione ad *ſtomachi* regionem perſentit. Urget *vomitus:* deficit appetitus cum pravo oris ſapore & ſiti. Dein ingruit *febris* exaſperatur dolor ſtomachi, pulſus ex multâ ſanguinis atri & fœtidi dejectione aboletur: tremores ad præcordia percipiuntur & paulò poſt obiit.

Inteſtina omnia inflammata materiem cruentam continebant. Ventriculus & renes ſani deprehenduntur. Pulmones verò in parte poſticâ nonnihil inflammati occurrunt. VALSALVA.

OBS. 333. Vir quinquagenarius & gracilis, febre ardente ante biennium liberatus, magnâ poſtmodùm ſiti; ſummâ capitis & *ventriculi debilitate;* & virium languore afficiebatur. Accedit ingens cordis oppreſſio quam antecedebat corporis tremor. Mero intereà cum combibonibus ſe ingurgitans accerbiſſimo *ventris dolore* corripitur, unà cum *febre* & *vomitu bilioſo;* quibus ineunte quarto die extinguitur.

In inciſo cadavere magna inteſtini ilei pars inflammata deprehenditur. Multum ſeri continet cranium, quo ſcilicet ventriculi cerebri ultrà modum erant diſtenti. VALSALVA.

OBS. 334. Quidam juvenis atrociſſimo *dolore* in *regione umbilicali*, cum *vomitu bilis porraceæ* & æruginoſæ laborabat. Abdomen erat tenſum, & pulſus humilis. Accedit delirium: oculi convelluntur; & impeditur reſpiratio; ac demùm ſecundo die à primo morbi inſultu moritur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione hæc annotabantur. Inteſtina ſci-

INTESTINA.

licet hic illic inflammata, livere incipiebant. Peritoneum atris maculis erat diſtinctum. Ventriculus verò nigris tuberculis obſitus conſpiciebatur. VALSALVA.

OBS. 335. Quinquagenarius poſt arduos labores de magno ad guttur & pectus calore queritur; qui eas deſerans partes ad lumbos & ventrem ſe prodidit, cum dolore vehementi & pungente; atque rigore ſæpiùs recurrente. Tandem accedit *volvulus* cum fæcum rejectione, quo intrà ſex dies, & circà trigeſimum è decubitudiem, obiit æger.

Abdomen erat ſanie plenum, quæ omentum & inteſtina inter ſe colligaverat. Prætereâ inteſtina erant inflammata, unà cum hepate & liene. Denique paſſim occurrebant in meſenterio parvi abſceſſus ut ulcuſcula. VALSALVA.

OBS. 336. In cadavere juvenis die decimâ ſeptimà *febris* continuæ cum *diarrhœâ* extincti; deprehenditur inferior omenti pars inflammata & putrida. Remoto omento diffuſa videtur inflammatio cum putredine in omnibus ſubjectis partibus. Ventriculus phlegmone obſeſſus apparuit; ileum inflammatione & necroſi tactum cum nonnullis tuberculis, & foraminibus, obſervatur. Colon corruptum, ulcuſculis fœdatum cum variis excreſcentiis externis annotabatur. Pericardium ubique & undique cordi accretum erat. BONETUS.

OBS. 337. Vir triginta annorum incidit in *dyſenteriam*, cum *febre* continuâ, ſingulis diebus ferociente. Fluebant *dejectiones* ſinceræ, mox *nigræ* cum ſummo dolore & calore: ſanguis aderat paucus, modò ſincerus, modò permixtus, qui duobus ante mortem diebus ſuppreſſus eſt. Lingua erat ſcabra. Accedit tandem extremorum frigus, quod preſſo pede ſequitur mors.

Hepar erat ſpahacelatum; & epiploon ſimili labe tactum. Occurrit inſignis inflammatio in pyloro, & tenuibus inteſtinis, propagata uſque ad rectum, nonnihil gangrænoſum. LAMONIERE.

OBS. 338. Mulier ſexagenaria, robuſta *nil excrevit per alvum* ſpatio novem dierum; nec clyſterem admittere voluit. Sub quo rerum ſtatu incidit in *febrem malignam cum vomitu* bilioſo; & intrà biduum moritur.

Reperiuntur pulmones ſemi-putridi, cum hepate nonnihil ſcirrhoſo & inflammato. Ventriculi tunica interior erat etiam phlogoſi tacta. Ileum occurrit in medio gangrænoſum & putridum;

atque in ſuperiori parte inflammatum. Pars ilei inferior tota coaluit, ut nihil pertranſire potuerit. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 339. Vir quadragenarius, ab aliquot jam annis, ad varios morbos proclivis, tandem *febre* corripitur. Decimo die nihil excrementorum per inferiora dejecit. Decimo tertio *fæces per os*, fœdum in modum, *dejecit;* quas triduo poſt anima ſequebatur.

Principium coli inflammatum, arctiùs compreſſum & intùs ulceroſum deprehendebatur. Pancreas erat ingens & ſcirrhoſum, vel ponderis novemdecim unciarum. Omentum etiam occurrit ſcirrhoſum. KERCKRINGIUS.

OBS. 340. Puellus quatuor annorum *dyſenteriâ* correptus, quæ tunc erat popularis, excrementa excernebat cruenta, flava, ac tandem nigra; quibus mucus pellucidus & copioſus adhærebat. Septimo morbi die, deficientibus viribus expiravit; inter *vomitum excrementorum* flavorum & nigrorum, qualia per alvum dejecerat.

Inveniebantur craſſa inteſtina, tumentia & livore affecta, cum omnibus inflammationis notis. PLATERUS.

OBS. 341. In cadavere cujuſdam *aſcitici*, peritoneum infrà umbilicum valdè inflammatum conſpiciebatur, & gangrænoſum circà hepar, materiâque quâdam albâ & viſcidâ circum circà odductum. Inteſtina inflammatione inſigni, quaſi eryſipelate, erant corrupta; ſimilemque materiam conjunctam habebant. RAYGERUS.

OBS. 342. Puer decennis ſcrophuloſus, *bubonibus peſtilentialibus* in utroque inguine corripitur, qui ſuppurationis neſcii brevi evaneſcunt, hinc ſubitanea mors.

Epiploon aridum inveniebatur. Inteſtina inflammata, ſi excipias rectum, atrâ bile & lumbricis ſcatebant. Meſenterium erat ſcirrhoſum, non ſecùs hac hepar nonnihil ſyderatum. Pectus ſeri copiam recondebat; & pulmones cruſtâ quâdam gelatinosâ obducebantur. COUZIERS.

OBS. 343. Hernioſum ex epiplocele *febris* corripuit cum *vomitu* enormi, *ventris doloribus*, ſiti moleſtâ & inquietudine. Alvus

erat ſicca. Tandem refrigeratis extremis & pulſu deficiente obiit.

INTESTINA.

Deductum erat inteſtinum colon in hypogaſtrium, à prolapſu omenti in ſcrotum. Inteſtina omia phlogoſi affecta conſpiciebantur. Cyſtis fellea turgidiſſima deprehenditur ab incluſo ſlatu intrà ejus tunicas. FANTONUS.

OBS. 344. Quidam juvenis in *febrem ardentem* malignam incidit. *Venter tumet cum dolore* præſertim in latere ſiniſtro. Pulſus durus exploratur; accedit phrænitis, quam excipiunt convulſiones lethales.

Inteſtina paſſim occurrunt inflammata. Renes maculis nigricantibus erant ſignati. Ureteres & veſica inflammationis notas exhibebant: pulmones nonnihil erant gangrænoſi. EX ACT. PARISIENS. EXTERN.

OBS. 345. Miles *febre malignâ* epidemicâ laborans, *alvi fluxu* pertinaciſſimo corripiebatur; quo perſiſtente ſolvuntur vires; & mors præ foribus imminet.

Secto mortui cadavere, inteſtina in conſpectum veniunt inflammata; craſſioribus jam putridis. Nonnullæ inſuper occurrebant inflammationis notæ in ſubſtantiâ corticali cerebri. CLAR. PRINGLE.

OBS. 346. Vir quadragenarius *colicâ ſaturninâ*, è quâ jam ſepties evaſerat, corripitur: hanc concomitatur *febris* vehemens cum cephalalgiâ immani & dolore artuum accerbiſſimo. Ingruit denique delirium: ſæviunt convulſiones; & æger diem extremum claudit.

Stomachus in parte ſuperiori lividus annotatur. Duodenum, jejunum, cum maximâ ilei parte inflammata occurrunt. E DIARIO MEDICO.

OBS. 346. (*a*) Cadaver cujuſdam militis, inter *colicos dolores* ferociſſimos extincti, exhibebat colon mirè dilatatum ultrà decem pollices latum, inflammatum & gangrænoſum; præter abſceſſum ingentem inter rectum & veſicam ſitum, pure ſeroſo repletum. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 347. In cadavere vetulæ *diarrhœâ diuturniori* extinctæ; cyſtis fellea bile obſcuriori tumebat quæ latiùs quàm plerumque

ſolet infecerat inteſtina tenuia. Colon ex inflammatione intùs rudebat. Rectum tumidum, etiam phlogoſi tactum, jam livebat. CLAR. MORGAGNUS.

INTESTINA.

OBS. 348. Luſtratis interaneis cujuſdam juvenis qui poſt *fluxum dyſentericum*, in *febrem ſemi-tertianam* incidit, quâ circà vigeſimum diem è vivis tollitur; reperiebantur inteſtina tenuia phlogoſi tacta & pars ilei ſphacelata. SPIGELIUS.

OBS. 349. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam adoleſcentis *febre ſemitertianâ* correpti; & vigeſimo ſeptimo morbi die è vivis ſublati, occurrebant tenuia inteſtina inflammata; non ſecùs ac jecoris pars concava; cum ileo partim ad gangrænam vergente. SPIGELIUS.

OBS. 350. In cadavere fœminæ ſeptuagenariæ, *peſte* ſubitò enecatæ, hepar obſtructum invenitur. Ventriculus maculis purpureis ſignatus, amurcam viridem & fœtidiſſimam continebat. Ileum erat inflammatum; cætera inteſtina vermibus ſcatebant. Cor ſolito majus ſanguinem atrum recondebat. COUZIERS.

OBS. 351. Homini cuidam inter *colicam* viginti dierum extincto, inventum eſt colon ingens inflammatum & gangrænoſum, fæcibus flatibuſque ſcatens. Hepar inſuper erat flaccidum & ſubnigrum, cum ſanie craſſâ & putridâ in abdomine ſtagnante. SEVERINUS.

OBS. 352. Exenterato cadavere cujuſdam, inter *colicam* ſæviſſimam, quaſi ſubitò extincti; in conſpectum veniebant inteſtina paſſim inflammata, & partim gangrænoſa. Non nullas etiam ſyderationis notas exhibebat hepar. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 353. In cadaveribus variorum *febre malignâ*, ingenti ſiti, *vomitu* & faucium ardore ſtipatâ ſublatorum; obvia fiebant ventriculus & inteſtina inflammata, & quaſi exuſta. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 354. Inter diſſectionem plurium *doloribus colicis* ſublato-

INTES-TINA.

rum, inflammationes coli, nonnunquam jejuni & ilei; rariùs verò ventriculi, vidit SPIGELIUS.

OBS. 355. In variis *colicorum dolorum* ſævitie raptis, inteſtini coli inflammationem, cum flatulentiâ in tubo inteſtinali, ſe vidiſſe narrat. WILLISIUS.

OBS. 356. Secto cadavere cujuſdam *colicâ* ſubitò extincti, reperiebatur inteſtini coli inflammatio, quæ jam ad nigredinem vergebat. VALSALVA.

OBS. 357. In quâdum fœminâ *fluxu dyſenterico* enecatâ, in conſpectum veniebant inteſtina phlogoſi tacta. CLAR. MORGAGNUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes. Libr. I. 371. (*a*), 378, 441, 465, 599, 604, 807, 844, 1081. Libr. II. 112., 679. Vide inſuper *Viſcera inflammata.*

## *Inteſtinorum abſceſſus.*

OBS. 358. Adoleſcens vigeſimum ſecundum ætatis annum agens, *diarrhœâ febri continuæ* junctâ per integrum menſem laborabat. Poſt nonnullas inducias de *ſtomachi dolore* & ſpirandi difficultate queritur, cum *dolore* & tenſione *in hypochondrio dextro.* Tuſſis erat ſicca & ſonora; cùm exurgit febris intenſiſſima nauſeâ & ſiti ſtipata, cum pulſu parvo; & difficili decubitu in latus ſiniſtrum, ad quod dolor intereà vergit, ad claviculam uſquè aſcendens. Bilioſæ erant dejectiones cum teneſmo, lotio craſſo & rubro. Septimo die urget *ſpirandi difficultas*, abſque tuſſi: accedunt ſudores putidi, frigus extremorum, cum pulſu formicante. Die nono ingruit lypothymia; pulſus dein ferè oblitteratur; tument crura; atque os fœtet. Die undecimo ſupervenit delirium; exacerbantur alia ſymptomata & decimo quarto obiit.

Maxima erat puris copia in imâ abdominis parte. Totus inteſtinorum tractus inflammationis notas habebat. Colon præcipuè lividum & nigrum exhibebat in parte hepati ſubſtratâ abſceſſum ingentem, quo diſrupto erumpit pus fœtidum, fæcibus permixtum. MANGETUS.

INTESTINA.

OBS. 359. Vir triginta & ampliùs annorum, jampridem *doloribus colicis* obnoxius, quatuor menſibus antè obitum ferocioribus torminibus vexabatur, cum *alvo adſtrictâ.* Dein *intumeſcit venter;* ſufflaminatur lotium; accedit *vomitus* alimentorum, dein fœcum cum anxietate, extremorum frigore & pulſu formicante, quæ brevi miſellum ægrum illuc mittunt undè negant redire quemquam.

Reſerato abdomine in conſpectum veniebat peritoneum paſſim maculis nigris ſignatum. Omnia apparebant inteſtina ſubrubra, livida & nigra. Colon exhibebat abſceſſum apertum, cujus præcipua puris pars in infimâ abdominis parte ſtagnabat; prædicti inteſtini parietes pollicis craſſitiem æquabant; & materiam quamdam ſteatomatoſam recondebant. MANGETUS.

OBS. 360. Quidam juvenis *alvi torminibus* vexabatur; atque in dies, magis magiſque vim capiebat dolor; adeò ut tandem inter ejus ſævitiem è vitâ diſceſſerit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in apricum veniebat ingens abſceſſus in inteſtinis; è quo præciſo materia multa, fuſca & fœtens profluxit, *encauſto ſutorio ferè ſimilis.* BENIVENIUS.

OBS. 361. Exenterato cadavere cujuſdam *fluxu dyſenterico* extincti, conſpiciebantur apoſtemata in inteſtinis; in colo præſertim, & recto, quorum non nulla rupta deprehendebantur. TH. BARTHOLINUS.

## *Inteſtina puſtuloſa.*

OBS. 362. Quædam fœmina incidit in *hydropem*, quâ congruis remediis intrà menſem fuit liberata. Remanet *tumor* exiguus *in abdomine*, ſaxi fermè duritiem æmulans. Intereà recurrit morbus gravior, cum ventre ad tactum duriſſimo, qui tandem miſellam ægram ad libitinæ rationem ducit.

Inciſo abdomine, aqua ſtâtim ubertim profluit: inteſtina multis millibus granulis referta viſebantur. Inſuper illud ſpatium quod inter inteſtina & meſenterium occurrit muco quodam viſcido, gelatinæ colorem & conſiſtentiam referente replebatur. Cyſtis demùm fellea lapidem recondebat. HORSTIUS.

INTES-TINA.

OBS. 363. Inter diſſectionem cadaveris cujuſdam fœminæ *fluxu dyſenterico* mali moris extinctæ; cui dum viveret, ne clyſter quidem ob puris contranitentis copiam intrudi poterat; in conſpectum veniebant inteſtina tuberculis purulentis ſcatentia BARTHOLINUS.

OBS. 364. Quidam juvenis variolis laborans, ob febris & *dyſenteriæ* vehementiam, ſeptimo morbi die ad plures abiit.

Luſtratis interaneis, pulmones, jecur, lien & inteſtina, non ſecùs ac cutis, papulis manantibus erant referta. HORSTIUS.

OBS. 365. Quædam virgo conſiſtentis ætatis jam pridem *cachexiâ* laborabat. Accedentibus denique gravioribus ſymptomatibus occubuit.

Reſerato abdomine deprehendebantur innumeræ verrucæ juxtà tractum tubi inteſtinalis. SALMUTHUS.

OBS. 366. Cadaver fœminæ intrà triduum *peſte* ſublatæ exhibet puſtulam anthracis inſtar nigram in ileo. Cyſtis fellea & ventriculus bile atrâ turgebant; & cor ſanguine nigro erat diſtentum. SOULIERS.

In hâc ſerie recipi debent obſervationes Libr. I. 521, 1475.

## *Inteſtina callosa.*

OBS. 367. Miles duodeviginti annorum in *dyſenteriam* epidemicam, ferociſſimam incidit, quam poſt quadraginta circiter dies excipit diarrhœa incruenta, nullâ arte compeſcenda, & febre lentâ ſtipata, quæ poſt plures menſes ægrum in orci fauces præcipitem mittit.

Reperiebantur inteſtina tenuia calloſa, variis prominentiis, vel tumidis cicatricibus, intùs exaſperata; quibus præcludi videbantur venarum lactearum oſcula. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 368. Quædam mulier per plures menſes *doloribus inteſtinorum* conflictabatur, cum *alvo durâ*; adeò ut decimo tantùm die dejiceret. Quibus tandem ingraveſcentibus fatis ceſſit.

Secto

Secto cadavere inventa ſunt inteſtina altiore callo conſtricta; ac iter adeò anguſtum erat ut fœces alvinæ ægrè tranſmitti poſſent. BENIVENIUS.

INTESTINA.

OBS. 369. In non nullis tabidis, poſt graves *fluxus dyſentericos*, maraſmo lethali corruptis, reperiebantur inteſtina quaſi calloſa, ob innumeras cicatrices quibus occludebantur oſcula venarùm lácteարùm. BONETUS.

OBS. 370. Cicatricem latiſſimam in tunicâ villoſâ inteſtinorum poſt graves *alvi fluxus dyſentericos*, quâ planè impediebantur chyli percolatio, obſervavit in pluribus cadaveribus. SYLVIUS DE LEBOE.

Hunc ordinem ingredi queunt obſervationes Libr. I. 496, 815.

## *Inteſtina ſcirrhoſa.*

OBS. 371. Vir triginta annorum poculis indulgens, *vomitu pertinaci*, *anxietatibus* continuis & *alvo adſtrictâ* laborabat; cum pulſu mirum in modum tardo. Præterea de dolore in hypochondrio dextro duriori, qui obſcurè propagabatur per totum abdomen. Intereà viribus deficientibus pulſus oblitteratur; frigentibus demùm artubus, accedit lethum.

Aperto cadavere deprehenditur tumor ſcirrhoſus, ovi gallinacei minoris magnitudine, in inteſtino duodeno, tres tranſverſos digitos infrà pylorum; qui accurato examini ſubjectus è congerie corporum glanduloſorùm exſurgere videbatur. BARRERUS.

OBS. 371. (*a*) Vir duorum & ſeptuaginta annorum *febre putridâ* corripitur, è quâ evaſit: neglecto dein regimine, incidit in *diarrhœam* moleſtiſſimam, nullâ arte curandam; quâ viribus fractis occubuit.

Inteſtina erant inflammata & nonnihil gangrænoſa. Portio coli præter hanc labem communem latera habebat ſcirrhoſa, & ità craſſa ut tranſverſum digitum æquarent. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 372. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam qui à ſex men-

INTESTINA.

ſibus de *dolore abdominis* querebatur, cum *alvo* prætermodùm *ſiccâ*, & aliis gravioribus ſymptomatibus hinc oriundis, deprehendebantur inteſtina corporibus quaſi glandulofis intùs referta; quæ in quibuſdam locis ità confertim erant aggeſta, ut via omninò præcluderetur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 373. In cadavere cujuſdam trigeſimum quartum ætatis annum agentis, qui inter diverſas ægritudines, *hydrope* præſertim, & *vomitu* conflictatus fuerat; annotabatur hepar magnum, nonnihil durum & ſubalbum. Duodenum prætereà ſcirrhoſum reperitur; cum pancreate infarcto. VALSALVA.

OBS. 374. Cuidam melancholico quinquagenario ità *alvus* erat *pigra* ut non ſolveretur, niſi cliſmate, aliâve arte. Poſt obitum diſſecto, inteſtinum jejunum ità anguſtum & cartilagineum deprehenditur, ut vix chylus per illud deflueret. BALLONIUS.

OBS. 375. Mulier octogenaria *doloribus nephriticis* affici videbatur; prout ſigna oſtendebant. Mortuæ diſſecto corpore, obſervatur ſcirrhus in inteſtino ileo ſuprà renum regionem. BOSCUS.

Proſtant affines caſus in obſervationibus Libr. I. 93, 395, 412.

---

## *Tumores inteſtinorum.*

OBS. 376. Bajulus triginta annorum, inter movendum onus juſto gravius, ſubitaneo *dolore* corripitur *in abdomine.* Poſt annum integrum, perſiſtente dolore, erumpit *tumor durus* & moleſtus, qui nonnihil mobilis, ſedem habebat in regione ilei ſiniſtri. Nonnumquam *vomituriebat*, cum *alvo ſiccâ.* Febris erat lenta, quæ dein exacerbabatur cum ſæviſſimis doloribus in abdomine & vigiliis contumaciſſimis; ſub quâ rerum conditione ad noviſſimum diem feſtinavit æger.

Aperto cadavere, occurrit ſtupenda moles inteſtini coli, circà cujus finem annotabatur invaginatio quatuor tranſverſorum digitorum. Simile quid conſpicitur in hypochondrio ſiniſtro. Prætereà reperitur in cavo ejuſdem inteſtini, inter binas invaginationes,

tumor quidam, tubi lateribus adnatus; ſex pollices longus; diametro ad duos pollices accedente; & quaſi cylindri formis; è cujus imâ parte tria protuberabant corpora denſiora, nucis caſtaneæ magnitudine. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

INTESTINA.

OBS. 377. Quidam variis ægritudinibus jampridem laborabat; haud ſinè *luis venereæ* ſuſpicione; cujus ratione pluries, & incaſſùm, adhibita fuerat hydrargyroſis. Inter varia ſymptomata, *alvo* pertinaciter *adſtrictâ* vexabatur. Omnibus demùm in pejus ruentibus occubuit.

Primâ abdominis ultrà modum diſtenti ſectione, intactis ſanè quidem ventriculo & inteſtinis, maxima erumpit, cum impetu, flatuum copia. Ventriculi facies interna phlogoſi tacta reperitur. Colon ſummè dilatatum & inflammatum ſtupendam recondebat excrementorum copiam, cum mercurio crudo & abſceſſu in parte ſiniſtrâ, putridâ & perforatâ. Ejus pars inferior tumore ſcirrhoſo obturabatur, qui fæcum alvinarum egreſſui obſtabat. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 378. Vir ſeptuagenarius de *alvo ſiccâ* per duodecim dies conquerebatur; cum incidit in *affectionem iliacam*, *dolore* acerbiſſimo in latere abdominis dextro ſtipatam. Intereà *venter tumet*, acceduntque graviora, & notiſſima ſymptomata; quibus brevi migravit ad Superos.

Secto abdomine, viſenda ſe præbent tenuia inteſtina inflammata & livida. Inter colon & ileum, ubi ſita eſt valvula Bauhini, deprehenditur corpus carneum & ſcirrhoſum, duos tranſverſos digitos latum; quo planè obturabatur tubus inteſtinalis. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 379. Puer decennis *febre* prehenditur, cum *dolore ventris* & *vomitu*. *Tumor* oblongus exploratur *in hypochondrio dextro*, quem anteà geſtabat. Intereà febris exacerbata feralem habet exitum.

Luſtrato abdomine, conſpicitur inteſtinum colon in latere ſiniſtro, ſub ventriculo, longitudine palmari, valdè durum & tumidum; cujus tunica exterior purulento humore infarcta, & fracida ſecedebat. Inibi occurrebat tumor carnoſus, fibroſus & admodùm denſus qui cavitatem coli coarctabat. FANTONUS.

OBS. 380. Quidam per multos annos de *ventris torminibus* querebatur, quibus tandem exaſperatis è medio tollitur.

INTES-TINA.

Sectum cadaver exhibet ſcirrhum duriſſimum in eâ parte inteſtini coli quæ propè renem ſiniſtrum jacet ; quo tumore tubi cavitas intercepta erat. Pars verò ejuſdem inteſtini in latere dextro ſita, ad inſtar ingentis veſicæ dilatata & extenſa deprehendebatur. HOLLERIUS.

OBS. 381. In cadaverculo puellæ quinque & viginti dierum, cujus *alvus* à nativitate fuerat planè *ſicca*, reperiebantur inteſtina excrementis infarcta, cum quodam ſarcomate circà finem ilei, quo hic tubus planè obturabatur. Hinc minimè mirum ſi inteſtinum colon tenue & anguſtiſſimum, vel prorsùs inane deprehenderetur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 382. Mulier quinquagenaria, tempore æſtivo, in *dolorem iliacum* incidit ; qui triduo in *volvulum* lethalem deſiit.

Reſerato abdomine, reperitur tumor ſcirrhoſus in orificio inteſtini coli, qui erat repletus oſſiculis ſummè acutis ; & veluti inteſtinum pungentibus & vellicantibus. BOSCUS.

OBS. 383. Quidam per totam ferè vitam *alvum* ſummè *adſtrictam* habebat, adeò ut pharmacis perpetuò eſſet ſollicitanda.

Mortui aperto cadavere, inveniebatur in medio inteſtini coli annulus craſſus & durus, tumoris ſcirrhoſi inſtar, qui plus quàm mediam tubi partem occupabat. BALLONIUS.

OBS. 384. Quædam muliercula incidit in *iliacum dolorem* atrociſſimum, qui intrà biduum illam enecavit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum venit tumor fungoſus, pugni magnitudine, cœco inteſtino adnatus ; omninò putris cum ſummo fœtore. MANGETUS.

OBS. 385. In cadavere cujuſdam qui inter *excrementorum vomitiones*, extinctus fuerat, inveniebatur tumor quidam cancroſus in tractu inteſtini coli ſitus ; quo planè obturabatur tubus inteſtinalis. SALIUS DIVERSUS.

---

*Inteſtinum rectum ſcirrhoſum.*

OBS. 386. Vir conſiſtentis ætatis, & melancholicus, de *min-*

*gendi difficultate* conquerebatur, quæ brevi faceſſit in ſtranguriam moleſtiſſimam ; quam ſequebatur *egerendi difficultas*. Inteſtinum rectum incraſſatum & ſcirrhoſum ferè in totum coaluiſſe videbatur ; undè miſer nec urinam, nec fæces excernere potuit, niſi guttatim & quidem continuò, ichoroſâ & purulentâ materiâ remixtas cum immanibus cruciatibus qui demùm vitæ imponunt finem.

Invenitur calculus horrendus in utroque rene ; duplex erat in dextro. Ureteres & veſica inculpata ac benè conſtituta deprehendebantur. Inteſtinum verò rectum in univerſum ità erat incraſſatum, ut pollicis craſſitiem ferè ſuperarent ejus latera ; quæ aliàs tantâ duritie erant prædita ut merè cartilaginoſa viderentur. Prætereà oſſi ſacro firmiter connatum obſervabatur prædictum inteſtinum. RUYSCHIUS.

OBS. 387. Fœmina quinquagenaria hæmorrhoïdibus obnoxia, jam ante triennium inciderat in multo gravius *inteſtini recti vitium*. Doloris erat expers ; ſed multum *materiæ fœtidæ* & craſſioris egerebat. Tandem ingruente febre, macie confecta mortua eſt.

Inteſtinum rectum ſex tranſverſis digitis ſuprà anum incipiebat durius & craſſius fieri, cum variis protuberantiis ad fabæ magnitudinem accedentibus, imò & majoribus propè anum è quo pendebant duæ excreſcentiæ : cute circà anum leviter exulceratâ. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 388. Vir ſexageſimum ſeptimum ætatis annum agens, *doloribus colicis*, cum borborygmis prehenditur, qui ultrà quatuor menſes cum variis remiſſionibus protrahuntur : dein *tumet regio epigaſtrica ;* ac paulò poſt totum abdomen, cum *alvo* planè *ſiccâ*. Superveniente demùm *vomitu* pertinaciſſimo, quem concomitatur ſingultus, ſeptimo morbi die ad Superos migravit.

Exenterato cadavere, ante oculos verſatur, in ſuperiori parte inteſtini recti, obex vel tumor carnoſus, qui totum tubum accuratè replebat. E DIARIO MEDICO.

---

## *Inteſtina eroſa & exulcerata.*

OBS. 389. Adoleſcens viginti annorum in *dyſenteriam* incidit, quæ poſt quindecim dies, in flavam diarrœham faceſſit. Accedit febris tertiana quæ poſt menſem deſinit. Perſiſtente alvi fluxu, *acutâ febre* ex improviſo corripitur, cum manifeſtis acceſſionibus & pulſu debili. Dein ingruit mentis ſtupor ; cum ſurditate, ac demùm decimo quarto acuti morbi die, ad Superos migravit.

INTES-TINA.

Abdomen multum continebat ſanioſi ichoris, qui ex inteſtinis prodibat, pluribus in locis eroſis. Ilei ſcilicet finis, & principium coli erant eroſa, exulcerata & gangrænoſa; cum nonnullis glandulis tumidis & ichoroſis in proximiori meſenterii parte. Lien præterea triplo major obſervatur. VALSALVA.

OBS. 390. In cadavere cujuſdam militis qui per annum integrum langueſcebat *fluxu ventris* æruginoſo, tuſſi ſiccâ & *dyſpnœâ* inſigni. Reperta fuere omentum & meſenterium fermè abſumpta; & inteſtina ſibi invicem adnata. Lien maximè contractus occurrebat; jecur innumeris maculis ſignatum luridis, pallidis, flavis & viridibus. Cyſtis fellea bile æruginoſâ turgebat. Ventriculus & inteſtina eroſa inſignem bilis copiam retinuerant: ac demùm dexter pulmo coſtis & diaphragmati adnatus deprehenditur. BONETUS.

OBS. 391. Juvenis quinque & viginti annorum, poculis deditus, & præſertim aquæ vitæ plus quàm par eſſet indulgens, in *fluxum dyſentericum* atrociſſimis doloribus ſtipatum incidit. Sanguinem copioſum excernebat cum crebris *animi deliquiis;* quæ vitæ tandem imponunt finem.

Exenterato cadavere, ileum & jejunum paſſim exulcerata occurrunt, & pluribus in locis ſphacelata. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 392. In cadavere cujuſdam *aſthmatici* quinquagenarii, & *affectu dyſenterico* extincti, deprehendebantur pulmones ſummè turgidi & flatulenti. Bronchia materiâ quâdam craſſâ & lymphaticâ replebantur. Veſicula fellis inanis obſervatur. Jejunum & ileum livida & maculis gangrænoſis ſignata occurrunt. Detegitur demùm exulceratio interna in parte infimâ coli; non ſecùs ac in inteſtino recto. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 393. Vir triginta annos natus *dyſenteriâ* corripitur; quam excipit *ſanguinis ſputum:* quibus ingraveſcentibus tandem accedit mors.

Craſſa inteſtina paſſim atro colore infecta intùs varias eroſiones exhibebant. In thoracis cavo non parùm reperitur ſanguinis effuſi. Infarcta demùm pulmonum pars inferior plevræ hærebat. MORGAGNUS.

OBS. 394. In cadaveribus variorum Indorum ex *dyſenteriâ epidemicâ* mortuorum, inveniebantur inteſtina vehementer inflata; & eorum tunica interior planè abraſa; tùm folliculus bilis diſtentus humore viſcido albo, inſtar pultis, ne relicto bilis veſtigio, annotabatur. BONTIUS.

INTESTINA.

OBS. 395. Inter ſectionem viri ſexagenarii, *dyſenteriâ* ſublati, conſpiciebatur cyſtis fellea, aliàs ſana; bile ultrà modum turgens. Stomachus & inteſtina tenuia flatibus diſtendebantur. Facies interior inteſtini coli & recti exulcerata, ſcirrhoſa & calloſa deprehendebatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 396. Puer duodecennis *fluxu dyſenterico* prehenditur; quem concomitantur febris, ſitis & vigiliæ. Quibus exaſperatis circà nonum morbi diem occubuit.

Aperto cadavere invenitur œſophagus niger & corruptus. Epiploon etiam erat putridum; & inteſtinum rectum exulceratum, HOLLERIUS.

OBS. 397. In cadaveribus variorum quibus diuturnæ diarrhœæ ſucceſſerat *fluxus cœliacus*, reperiebatur fiſtula inteſtinalis diſtenta, ac attenuata, cum eroſione tunicæ villoſæ. DRELINCURTIUS.

OBS. 397. (*a*) Diſſecto puero novenni *fluxu dyſenterico* extincto; reperiuntur in inteſtino colo, & recto, pluſquàm ducenta ulcera rotunda, mixta cum apoſtematibus. FONTANUS.

OBS. 398. In ſectione variorum *dyſenteriâ* ſublatorum, inteſtina tenuia inculpata reperiebantur & ſanguinis planè expertes; ſolis craſſis exulceratione & ſanguine defœdatis. PANAROLUS.

OBS. 399. Luſtrato cadavere cujuſdam virginis *dyſenteriâ* ferociſſimâ raptæ, conſpicitur colon intùs exulceratum; appenſo meſenterio ſimili labe tacto. E DIARIO ERUDITORUM.

Circà hanc læſionem conſule obſervationes. Libr. II, 153, 200.

INTESTINA.

## *Inteſtina perforata & diſrupta.*

OBS. 400. Juvenis vigeſimum quintum ætatis annum agens; ex *inflammatione abdominis*, & numeroſiſſimis venæ ſectionibus evaſerat; remanentibus variis hujuſce truculenti morbi reliquiis; febre ſcilicet lentâ, abdomine & cruribus œdematoſis; dolore ſepulto ſuprà umbilicum; ac demùm nonnullis horripilationibus inordinatè recurrentibus. Tractu temporis, vel congruorum remediorum præſidio ad confirmatam valetudinem properare videbatur æger; cùm ſubitò *tumet abdomen*, anteà complanatum; & alvus fruſtrà exonerationem molitur. Intrà breve tempus altiùs protuberat abdomen cum *dolore* accerbiori & manifeſtâ fluctuatione. Tum *deſiderantur dejectiones alvinæ* & lotium parcè fluit. Accedit tandem vomitus, imminentis fati prænuntius.

Abdomen ultrà modum diſtentum materiam ingeſtorum continebat, juſculorum nempè, ptiſanæ, olei amygdalarum dulcium, &c. Pars ſuperior jejuni, veteris phlogoſeos notas exhibens, cruſtâ quâdam purulentâ obducebatur; quâ ſublatâ detegitur ulcus ſinuoſum quo tubus inteſtinalis perforabatur. Præterea paſſim occurrebant inflammationis & gangrænæ ſtigmata. E NOST. ADVERSARIIS.

OBS. 401. Vir quidam conſiſtentis ætatis, macilentus, poſt diuturnum *alvi fluxum*, quâdam *febre*, *vomitu* violento ſtipatâ prehenditur; cùm *dolore* & *intumeſcentiâ abdominis*, atque alvo planè adſtrictâ. Intereà imi ventris tenſio & dolor maxima ſumunt incrementa; ſenſimque proſternuntur vires; refrigerantur extrema; quibus benè notatis hiſce mortis prodromis, ad tibicines mittitur.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum inteſtina exhibet craſſa, livida & ſemi corrupta; quorum unum erat perforatum. Abdomen verò materiâ ſordidâ & fætidiſſimâ repletum invenitur. RIVERIUS.

OBS. 402. Quædam muliercula *ventris cruciatibus* per aliquot ſeptimanas torquebatur, cum multo *evomendi conatu.* Tùm ingruit *alvi fluxus* : excernuntur ſputa cruenta, & exacerbantur ventris tormina; donec rebus humanis vale ſupremum dixit.

Secto

Secto abdomine, occurrit in ejus cavo materia fæculenta, chyloſa & purulenta. Annotatur ileum gangrænoſum, atque variis foraminibus pervium. Meſenterium ſe præbet ſcirrhoſum. Pulmones demùm erant putridi. HARDERUS.

INTESTINA.

OBS. 403. Vir quidam quinquageſimum ſeptimum ætatis annum agens, poſt diverſas, diuturnas & moleſtiſſimas ægritudines, *fæces* alvinas *dejiciebat* partim *per umbilicum*, partim per anum. Sub hâc rerum conditione ærumnoſam trahebat vitam; quam tandem, fractis viribus, cohibuit ineluctabile fatum.

Reſeratum abdomen odorem teterrimum ſpargebat: totum ſcilicet abdominis cavum ſtercoribus repletum deprehenditur: inteſtina enim variis in locis eroſa, putrida & perforata apparuerunt. VELSCHIUS.

OBS. 404. Mulier formoſa, poſt partum infelicem, *ventrem protuberantem* geſtabat, cum torminibus. Intrà biennium in tantam molem attollitur totum abdomen, ut vix genitalia manu contingeret. Acceſſit ſucceſſu temporis *ſpirandi difficultas*, quæ ſenſim increſcens tandem vitæ impoſuit finem.

Aperto corpore, ingens ſordium copia, cum omenti putridi ramentis, abdomen replebat. Inteſtina gangrænoſa paſſim erant diſrupta. Peritoneum etiam fiſſum occurrit. Repulſum denique diaphragma pectus mirè coarctabat. DODONEUS.

OBS. 405. Juvenis cachecticus *tumore duro versùs umbilicum* laborabat; quo rupto fæces hanc viam iniere, *alvo* remanente *ſicca*; donec poſt menſem, & ultrà, fatis ceſſit.

Reperiuntur excrementa in abdominis cavo. Pars ſiniſtra coli ulcus calloſum, intùs pervium exhibebat. Tumor erat in meſenterio ſcirrhoſo durus & inſignis, quo rectum adeò comprimebatur, ut nil exindè excerni poſſet. Hepar; pancreas & pylorus duritiem ſcirrhoſam referebant. Paſſim demùm occurrebant ſteatomata in pectore, & abdomine. FABR. HILDANUS.

His ſubnectere licet obſervationes Libr. I. 52, 304, 307, 309, 310, 420, 423, 431, 443, 457, 486, 536, 715, 1266, 1399, 1465, 1466, 1507, 1636.

INTESTINA.

## *Inteſtina gangrænoſa.*

OBS. 406. Quidam melancholicus *dolore ventriculi*, *renum & dorſi*, inappetentiâ & *ructibus* auſteris ſtipato conflictabatur. Accedunt *alvi obſtructio*, noctes inſomnes, ac dolores gravativi circà ilia ad ventriculum in ſiniſtro latere quaſi ſcandentes. Tum vigebat febris lenta, quæ ſub veſperam exacerbabatur. Urinæ craſſiores ſedimentum tartareum, album & mucoſum deponebant. Supervenit *ſanguinis* nigricantis *vomitus*, cum pulſu debili. Accedunt tandem animi deliquia pro mortis præconibus habita.

Autopſiâ anatomicâ patet hepar ingens, cum inteſtinis proximioribus lividis, nigricantibus & ſphacelatis. Colon, ſuprà ventriculum, ſanguine fæculento, inſtar picis nigerrimo, quale vomitu rejecerat æger erat admodùm repletum. Renes inſuper calculos recondebant, materiei cuidam lacteo-tartareæ innatantes. ORTHLOBIUS.

OBS. 407. Quinquagenarius temperie ſanguineâ præditus, prævio horrore, incidit in *febrem* cephalalgiâ, lumborum & artuum dolore ſtipatam. *Tumet abdomen*, præſertim circà hypochondria : urgent vigiliæ pertinaciſſimæ : ingruit delirium cum levi ſpirandi difficultate : os fœdâ amurcâ inquinatur, linguâ amaricante : *vermibus* ſcatent dejectiones alvinæ. Demùm fatiſcentibus viribus undecimo morbi die convulſus obiit.

Occurrit omentum putridum. Inteſtina varias inflammationis notas, & maculas gangrænoſas exhibebant ; atque lumbricorum copiam recondebant. Conſpiciebatur meſenterium purulentiâ tactum, cum ſero ſordido & purulento in abdomine ſtagnante. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 408. Vir quadraginta annos natus, temperamenti bilioſi, & *ſcorbuto* laborans, jàmdudùm *doloribus colicis*, præſertim in regione hypogaſtricâ ; nec-non *flatulentiæ* moleſtiſſimæ obnoxius; duobus annis ante obitum *alvi fluxu* corripitur, cum dejectionibus bilioſis, mucoſis, cruentis, purulentis & teneſmo. Dein excernuntur carunculæ ſubnigricantes, diverſæ molis, quarum nonnullæ nucis moſchatæ molem aſſequebantur. Tandem poſt varias remiſſiones & exacerbationes, macie confectus occubuit.

Omentum erat putridum & ferè abſumptum. Hepar tumens tuberculis ſcirrhoſis duris & albicantibus fœtum annotatur. Pancreas ſcirrhoſum etiam ſe præbet. Ileum partim inflammatum, nonnullas gangrænæ notas præ ſe ferebat. Colon poſtremò & rectum intùs nigra, gangrænoſa, & ulceroſa deprehendebantur. Ex ACTIS LONDINENSIBUS.

INTESTINA.

OBS. 409. Cuidam alvus per tredecim dies ſubſiſtit. Dein per os excrevit colluviem fœtidam, fæculentam, viridem, nigram & verminoſam. Tandem ſolutâ alvo perſentiſcere cœpit murmura & *rugitus* inſignes *in abdomine*, cum *dolore* vehementi. Rebus intereà in pejus ruentibus, *venter protuberat*; tument artus; doloreſque acerbiores ad interitum vergunt.

Inciſo abdomine reperiebatur abdomen materiâ ſeroſâ, purulentâ & fœtidâ repletum. Ileum occurrit gangrænoſum. Hepar aridum, ſcirrhoſum & putre annotatur; lien ſimili modo læſus conſpicitur. In apricum denique venit abſceſſus in omento, & in hypogaſtrio. HARDERUS.

OBS. 409. (*a*) Juvenis viginti annorum tribulationes carnis ità pertimeſcebat, ut membrum genitale piè ſibi abſciderit. Inter hydrargyroſim chirurgi conſilio adhibitam vulnus conſolidatur; artus verò debiliores & quaſi paralytici evadunt. Accedentibus *hypochondriaſis* ſignis, membra ſenſim priſtinam mobilitatem recuperant. Dein ingruit *aſcites* cum atrociſſimis *ventris torminibus;* quibus tandem conficitur.

Abdomen quindecim menſuras aquæ ſordidæ & fœtentis continebat. Inteſtina occurrebant gangrænoſa. Hepar erat durum & contractum. Lien glauco colore præditus, durus erat & rugoſus. Pulmones demùm ſe præbebant undique partibus vicinis accreti, etſi nulla fuerat ſpirandi difficultas. CLAR. BAADERUS.

OBS. 410. Matrona quinquagenaria, ventre pinguiſſima, & pulſu inæquali, in graviſſimum *inteſtinorum dolorem*, veſicam in conſenſum trahentem, cum *urinæ difficultate*, incidit. Cùm ex his evaſiſſe videretur, ſilente dolore, paucis poſt diebus *nigris dejectionibus* & poſteà morte corripitur.

Luſtrato cadavere, ventriculus & inteſtina gangrænâ affecta deprehenduntur. Veſicula fellea calculum ad pyri magnitudinem accedentem recondebat. Renes arenulas continebant. Cor & pericardium pinguedine obruebantur. MORGAGNUS.

INTESTINA.

OBS. 411. Adoleſcentulus vino deditus *dolore ventris* conflictabatur, præſertim in hypogaſtrio; ubi tactu nonnunquam percipiebantur plures globuli. Dolebat ſtomachus, cum *vomitu* pertinaciſſimo, & *abdominis protuberantiâ*. Poſt nonnullas remiſſiones recurrit dolor acerbiſſimus, cum immani vomitu. Pulſus demùm oblitteratur; & accedit lypothymia lethalis.

Maxima effluxit copia ſanguinis putridi & ſtercoroſi ex ore cadaveris. Simili materiâ repletus erat venter. Tenuia inteſtina ſphacelata, & carbonis inſtar nigra deprehendebantur. MORGAGNUS.

OBS. 412. Quidam ſexagenarius, doloribus ventris obnoxius, de *dolore* fixo *circà regionem iliacam* præſertim querebatur, abſque febre. Interdùm *vomebat*. Variis fruſtrà adhibitis remediis, febricitare cœpit; exacerbatis doloribus, ac *ventre duro* & tumido, vires deficiunt; frigent extrema; & obiit.

Inteſtinum cœcum ingens & gangrænâ affectum deprehenditur; ſicuti etiam principium coli; intrà quorum tunicas concreverat caro quaſi muſculoſa, & fibris ſat conſpicuis diſtincta, quæ illorum craſſitiem multò auxerat. Reliqua inteſtina erant livida. FANTONUS.

OBS. 413. Quædam gravida in tantam *ventris conſtipationem* incidit, ut intrà quindecim vel viginti dies, vix ſemel alvum dejiceret. *Tumet* intereà *venter* cum *torminibus* & anxietatibus. Poſt partum haud infelicem, ne tantillùm quidem detumuit venter; exacerbatis demùm doloribus, fatis ceſſit.

Colon è ſuà ſede dimotum ſeſe oculis offerebat, totum gangrænoſum, & ſtupendæ molis. Inteſtina verò ſuperiora flatibus ſuprà modum diſtendebantur. BONETUS.

OBS. 414. Mulier quadragenaria, optimi corporis habitus, *dyſenteriâ* corripitur. Dejectiones primò nigræ, dein rubeſcebant cum torminibus circà umbilicum, & ſiti moleſtâ. De dolore inſigni circà anum inter dejectiones quærebatur. Poſt varias remiſſiones, recidivam paſſa elapſis tribus ſeptimanis obiit.

Omentum deprehenditur atro lividum & ſphacelatum; non ſecùs ac inteſtinum ileum, & pars infima coli. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 415. Quidam melancholicus *dolorem ventriculi*, cum ructibus auſteris patiebatur. Superveniente *vomitu cruento* &

nigro, crebris lypothymiis ſtipato, tandem ad ſuperos migravit.

Aperto corpore, inteſtina in dextro latere livida, nigricantia & ſphacelata viſa ſunt. Vaſa meſenterica ſanguine atro turgebant. Inteſtini coli pars ſuperior ſanguine concreto, fæculento, inſtar picis nigerrimo, repleta animadvertitur.

OBS. 416. Vir ſeptem & ſexaginta annorum, *herniâ inguinali* laborans, *ventris torminibus* & *vomitu* corripitur. Intereà *tumet venter;* accedunt rigores quos preſſo pede ſequitur fatum.

Stagnabat in abdomine copia laticis ſub lutei & fœtidi. Inteſtina tumida varias inflammationis & gangrænæ notas exhibebant. Portio verò ilei extrà abdomen in ſcrotum depulſa, nigra & dura occurrit. WOLFIUS.

OBS. 417. Quidam *ſtomachi dolore* corripitur; quo poſteà exacerbato, emergit *vomitus materiæ* atramenti inſtar, *nigræ.* Paulò poſt moritur.

Ventriculus prædictæ colluviei libras decem continebat. Duodeni interior facies, non ſecùs ac in ventriculo, eodem colore infecta erat; extùs verò exhibebat amplam maculam nigerrimam, digitos quatuor latam. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 418. Quidam poſt incautum eſum radicis cujuſdam plantæ, quæ *œnanthe* audit apud botanicos, nauſeâ moleſtiſſimâ, *vomitu* & *cardialgia* corripitur. Brevi ingruunt *convulſiones* quæ intrà paucos dies ægrum illuc mittunt undè negant redire quemquam.

Luſtratis interaneis, ſe offerunt inteſtina variis notis gangrænoſis ſignáta, ſed abſque eroſione internâ. E DIARIO MEDICO.

OBS. 419. Vir quinquagenarius multis abhinc annis de ſummo *dolore circà umbilicum* querebatur; cum ingruit *vomitus* pertinaciſſimus aſſumptorum; & dein *excrementorum.* Intereà ſæpiùs ad interiora ita retrahebatur ventriculus, ut cavitas hinc emergens ovum recipere potuiſſet. Tandem obiit.

Reperitur omentum planè conſumptum. Ileum & colon morboſo flexu contigua, arctè coalita obſervabantur. Colon inſuper mirè dilatatum manifeſtas inflammationis & gangrænæ notas exhibebat. BLASIUS.

INTESTINA.

OBS. 420. Quidam juvenis aſſuetus bibere aquam vitæ, in *dyſenteriam* ſummis torminibus ſtipatam incidit. Sanguinem concretum elegantiſſimi coloris, id eſt arterioſum, eumque ſæpiùs ad libras duas dejiciebat. Tandem fatis ceſſit.

Secto cadavere viſenda ſe præbent inteſtina tenuia hàc illàc ſphacelata; quorum tunicæ paſſim eroſæ, quatuor in locis erant perforatæ. BARBETTE.

OBS. 421. Inter exenterationem cujuſdam juvenis *febre dyſentericâ* malignâ vigeſimo quinto morbi die extincti; inveniuntur inteſtina ſphacelata, & ſtomachus partim gangrænoſus. Hepar extùs putridum varios abſceſſus pure ichoroſo repletos recondebat. Lien quoque hujuſce labis conſors animadvertebatur. CLAR. PRINGLE.

OBS. 422. Juvenis viginti annorum *febre* corripitur cum *vomitionibus* aſſiduis rerum variarum, deinde cineritiarum & nigricantium. Urgebat *dolor* implacabilis in *abdomine*. *Alvus* erat *ſicca*; & quinto morbi die. repentinâ morte tollebatur.

Colon erat veluti nigrefactum & gangrænoſum. Epiploon totum putre conſpiciebatur, cum ſanie purulentâ circà hepar. BALLONIUS.

OBS. 423. Matrona quinquagenaria per ſeptem integros dies *nihil dejecerat*; atque cathartica *vomitu* rejiciebat; cum vigeſimo primo morbi die inteſtinum aliquod crepaſſe aſſerebat; poſtridiè occubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, invenitur inteſtinum colon, haud procul à recto ſphacelatum, & diſruptum. BARBETTE.

OBS. 424. Vir quadraginta annorum, temperamento bilioſo, & *lue venereâ* laborans, *peſte* corripitur. Poſt triduum nullo erumpente tumore, neci datur.

Hepar occurrit ſcirrhoſum & ſubluteum; cyſti felleâ bile atrâ & viſcidâ turgente. Inteſtinum ileum gangrenâ tactum conſpicitur. Pulmones aridi varias maculas purpureas in ambitu exhibebant. Ventriculi demùm cerebri ampliſſimi ſero replebantur. COUZIERS.

OBS. 425. Inter diſſectionem cadaveris cujuſdam juvenis fabri ærarii, *colica Saturnica* denati, inteſtina ſummè tumida, maculiſque lividis & nigris ſignata deprehendebantur. Colon variis in locis conſtrictum apparebat. Prætereà pulmo dexter durus & purulentus

conſpiciebatur. Siniſter verò maculas gangrænoſas præ ſe ferebat. E DIARIO MEDICO.

INTESTINA.

OBS. 426. Infans viginti dies natus, miris ab ortu vexabatur *torminibus*. Impediebatur deglutitio; & ſingultientis inſtar clamitabat. Poſteà ingruunt *convulſiones*; inter quas fatis ceſſit.

Aperto corpuſculo, reperiuntur inteſtina flatibus diſtenta; tenuia hìc illic gangrænoſa. HARDERUS.

OBS. 427. Puer quàtuordecim annorum diris *torminibus* excruciabatur. Surſùm & deorsùm *aſſumpta*, *fæceſque regerebat*. Poſteà accedunt *convulſiones* cum dentium ſtridore; & dein lethum.

Inſtitutâ cadaveris ſectione conſpiciebatur inteſtinum ileum haud procul à cœco, nigrum & ſphacelatum. MANGETUS.

OBS. 428. In cadavere cujuſdam *volvulo* extincti, colon ità infarctum deprehendebatur, ut muſculis abdominalibus ſectis, ſtatim erupuerit, & adſtantes fæcum alvinarum mole conſpurcaverit. Itaque omnibus fœtorem fugientibus, nil ulterius obſervatum fuit. HENR. AB HEERS.

OBS. 429. Nobilis ſexagenarius *dyſenteriâ* ferociſſimâ corripitur; quâ quinto die rebus humanis vale ſupremum dixit.

Cadaver examini ſubjectum exhibet inteſtina undique gangrænoſa, procul dubio, propter ingentem inflammationem. FABR. HILDANUS.

OBS. 430. In cadavere cujuſdam viri conſiſtentis ætatis, qui poſt febrem malignam *dyſenteriâ* lethali correptus fuerat, inveniebantur tenuia inteſtina lividis maculis notata & quaſi gangrænoſa. Gandulæ inſuper meſentericæ omninò corruptæ deprehendebantur. BONETUS.

OBS. 431. Reſerato abdomine cujuſdam *febre acuta* ſeptimo die extincti, hepar annotatur exſuccum & nigricans; ac meſenterium putre. Obvia fiunt inteſtina ſubtumida & nigricantia. Ileum verò duobus in locis erat exèſum & perforatum; cum ſaburrâ nidulante in cavo abdominis. BONETUS.

OBS. 432. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam viri

INTES-TINA. *febre* acutiſſimâ, *lienteria*, & *fluxu hepatico* ſtipatâ extincti, deprehendebantur inteſtina tenuia & inculpata: ſed omnia craſſiora livida & gangrænoſa occurrebant. BONETUS.

OBS. 433. Calcearius *colicâ Saturniana* correptus in delirium incidit; ac intrà triduum vitam cum morte commutavit.

Viſenda ſe præbent colon & rectum ultrà modum diſtenta, cum variis maculis gangrænoſis, & non nullis conſtrictionibus. E DIARIO MEDICO.

OBS. 433. (*a*) Inter diſſectionem cadaveris cujuſdam *dyſenteria* contumaciſſimâ extincti, præter levem ſtomachi phlogoſim in conſpectum veniebant inteſtina purulenta & gangrænoſa. E DIAR. NOSOC. MILITAR.

OBS. 434. In cadavere puellæ octennis *dyſenteria*, epidemicè graſſante, extinctæ, totus tubus inteſtinalis niger apparebat; cum tunicâ interiori paſſim eroſâ, & exulceratâ. PUERARIUS.

OBS. 435. In cadavere variorum ex *iliaca paſſione* defunctorum, omentum & inteſtina gangrænoſa vidit FABR. HILDANUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 77, 80 (*a*), 291, &c. 302, 391, 565, 578, 627, 672, 825, 1026, 1035, 1169, 1522, 1767. Libr. II. 136, 343, 459, 622, 783. Inſuper. Vide *Viſcera putrida*.

## *Inteſtina putrida.*

OBS. 436. Vir triginta annos natus, gracilis & bilioſus, crapulæ aſſuetus, de *cardialgiâ* contumaci ac dein de appetitu proſtrato & nauſeâ queritur; ac per annum integrum, nonnullis accedentibus remiſſionibus vel intermiſſionibus ægrotat. Dein ingruit *dolor lateris*, quaſi pleuriticus, cum dolore capitis gravativo & vertigine. Atrociores fiunt *ventriculi dolores* cum *ſingultu*. Accedunt *convulſiones* inordinatè reccurrentes; & dein pectoris ſumma anguſtia, cum tuſſi, ſiti & ſputo ſordido. Supervenit

venit cholera, quam excipit diarrhœa bilioſa, brevi faceſcens in *dyſenteriam* atrociſſimam cum dejectione puris & ramentorum, quâ tandem inter convulſiones enecatur.

INTESTINA.

Reperitur omentum putridum. Ileum & colon erant variis in locis eroſa & putrida; hepate & pulmonibus illæſis. PLATERUS.

OBS. 437. Vir quatuor & triginta annorum, temperamento ſanguineo, *torminibus* atrocioribus corripitur; & paulò poſt *vomitu* & *alvi fluxu cruento*: è quibus evaſit, remanente anorexiâ cum colicis doloribus non numquam recurrentibus. Poſt annum denuò invadunt atrociſſimi dolores cum diarrhœâ cruentâ & purulentâ; quibus per quatuor menſes excruciatus, mortem demùm inter animi deliquia ſubit.

Inteſtinum colon non ſolùm valdè contortum & veluti inverſum; ſed etiam corruptum, nigrum & ſphacelatum: adeò ut leviſſimo attritu in fruſtula diſcerperetur. VATERUS.

OBS. 438. Quidam vigeſimum annum agens *febre petechiali* laborabat. Pulſus erat parvus & debilis; reſpiratio difficilis & inæqualis; tuſſicula ſicca cum ſubſultu tendinum. Septimo die deliravit; poſteà erumpunt parotides; duodecimo ſublimè reſpiravit, urinam & fæces inſcius dimiſit. Veſperaſcente die mirum in modum oculos pervertebat; ac inter *delirium* & *convulſiones* expiravit.

Luſtrato cadavere, deprehenduntur omentum & inteſtina flaccida, ſemiputrida. Lien occurrit ingens. Pulmones undique plevræ erant adnati, & in ſupremâ parte nonnihil ſcirrhoſi. CLAR. HASENHORL.

OBS. 439. Mulier ſexagenaria nil per alvum excernebat, ſpatio novem dierum; cum incidit in *febrem malignam*, *vomitu* immani & bilioſo ſtipatam, quâ intrà biduum è medio rapitur.

Sectum cadaver exhibet pulmones ferè putridos. Hepar nonnihil ſcirrhoſum deprehenditur. Inciſo ventriculo patet tunica interior inflammata. Prætereà annotatur ileum inteſtinum gangrænâ in medio obſeſſum, & putridum; cujus pars inferior tota coaluerat; adeò ut nihil hâc viâ pertranſire potuerit. BARTHOLINUS.

INTESTINA.

OBS. 440. Miles quidam poſt curatum alvi fluxum vulgatiſſimum, *dyſenteriâ* corripitur. Præterquàm *lithiaſi* & *hæmorrhoïdibus* laborabat. Poſt quatriduum à dyſenteriæ ortu occubuit.

Exenterato cadavere, in conſpectum venit cyſtis fellea bile fuſcâ & viſcidâ tumens. Lien mole maximus tres libras & ampliùs pendebat, aliàs, uti videbatur, ſanus. Inteſtinum rectum cum proximâ parte coli gangrænoſum & putridum deprehenditur. CLAR. PRINGLE.

OBS. 441. Puella rachitica atrociſſimos *ventris dolores* jampridem patiebatur. Accedentibus tandem *ſingultu* & *vomitu* pertinaciſſimis, tabida moritur.

Hepar erat grandius, maculis lividis conſperſum, & diaphragmati morboſè hærens. Cyſtis fellea bilem inſtar picis atram, continebat. Ren dexter purulentus occurrit. Inteſtina nonnullas inflammationis notas præ ſe ferebant: cœcum verò tumidus prorsùs ſyderatum & putridum invenitur. MANGEIUS.

OBS. 442. Miles à tribus ſeptimanis *alvi fluxu cruento* laborabat. Pulſus erat debilis cum viribus fractis. Sæviebant tormina & teneſmus cum dejectionibus ichoroſis. Intereà ingruit delirium quod præceps exitium affert.

Obvia fiunt inteſtina craſſa, nigricantia & putrida, intùs ulceroſa, cum membranis craſſiſſimis præcipuè in recto. Inteſtina quidem tenuia ſana & flatulenta deprehendebantur. CLAR. PRINGLE.

OBS. 443. Mulier cachectica de *dolore umbilici*, in dies creſcente, querebatur; cum *alvo adſtrictâ*. Dein *tumet umbilicus*, cum manifeſtis purulentiæ notis. Spontè rumpitur *apoſtema* & egreſſæ ſunt tres libræ puris mixti cum ſtercoribus; quibus ærumnis fracta, brevi miſera occubuit.

Secto cadavere in conſpectum veniebant tenuia inteſtina putrida, & eroſione perforata. JOH HESSUS.

OBS. 444 Mulier jam partui vicina, cum intemperantiùs vixiſſet, ſtatim incidit in *dolorem abdominis*, ſub regione hepatis

cum alvi adſtrictione. Fruſtrà omnibus tentatis; quinto die periit.

INTESTINA.

Exenteratum cadaver exhibebat in loco deſignato partem inteſtini coli denigratam & putridam. JOH HESSUS.

OBS. 445. Mulier quadragenaria *hæmorrhagiâ uteri* ultrà duos menſes laborabat; quâ demum ſufflaminatâ, *venter intumuit.* Senſim incrementum ſumit ventris prominentia, donec innoteſcat *tympanites*, aſciti adjunctus. Morbo ad biennium protracto, tandem emaciata extinguitur.

Ventris cavum meximam laticis ſordidi & fœtidiſſimi copiam recondebat. Inteſtina ſummè contracta & vix conſpicua, putrida reperiuntur; utero etiam labefactato. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 446. Quidam cùm intemperantiùs cœnaſſat, incidit in *dolorem ventris*, circà pubem acerrimum, cum ſenſu caloris, & *alvi adſtrictione.* Tandem variis incaſſùm adhibitis præſidiis quarto die occubuit.

Viſendum ſe præbet inteſtinum colon, in loco ſuprà indicato, planè putridum; ità ut etiam ad levem tactum rumperetur. JOH. HESSUS.

OBS. 447. Fœmina poſt comeſtionem fructuum horariorum & lactis, ſuper hauſta cereviſiâ frigidâ, ſtatim corripitur *dolore lateris* dextri, ſub regione hepatis; cum *alvi adſtrictione.* Die quinto morbi ad plures migrat.

Inciſo corpore inventa eſt, in loco ſuprà notato, pars inteſtini coli, maculis nigris defœdata & putrida. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 448. In cadavere cujuſdam *dyſenteriâ* pertinaciſſimâ extincti, in conſpectum veniebant inteſtina contracta, depreſſa, & liventia; atque uſque adeò ſyderata & corrupta, ut levi contrectatione in lamellas abierint, & ſummâ fœtiditate cunctos abegerint. DRELINCURTIUS.

OBS. 449. Matrona ſub quinto graviditatis menſe, malè ſe habere cœpit, & conqueri de ſummo *ardore circà hepatis regionem.* Morbo ſenſim in pejus ruente, octavo graviditatis menſe, periit.

INTESTINA.

Inventum eſt inteſtinum colon propè hepar denigratum & putrefactum. Hoc malum in duobus aliis ſimili modo afflictis deprehenſum fuit. COITERUS.

OBS. 450. Pictor juvenis *colicâ Saturninâ* corripitur, quam excipit delirium. Accedunt ſpirandi difficultas, & *convulſiones* horrendæ quæ ægrum ad libitinæ rationem ducunt.

Epiploon erat gangrænoſum. Colon anguſtius, ſuis cellulis oblitteratis, merè cylindricum videbatur. Cœcum cernebatur mirè diſtentum & putrefactum; cyſti felleâ atrâ bile turgente. E DIARIO MEDICO.

OBS. 451. Muliercula ad iram proclivis, jamdiù *herniam inguinalem* geſtabat; cum ſubitò irâ percita, *dolore ventris* acerbiſſimo, rigore & *vomitu* corripitur; quibus intrà paucos dies ingraveſcentibus, è medio tollitur.

Secto cadâvere in conſpectum venit portio ilei in herniâ contenta, putrida & purulenta. HEISTERUS.

OBS. 452. Juvenis octo & viginti annorum *febre* continuâ & *dyſenteriâ*, jam à menſe, decumbebat; cùm exolutis viribus ad plures abiit.

Inveniuntur inteſtina variis in locis eroſa, ſphacelata & putrida, cum vaſis ſanguinies ominò depletis. BOTALLUS.

OBS. 453. In cadavere cujuſdam qui per viginti dies *dyſenteriâ* moleſtiſſimâ ægrotaverat, in conſpectum veniebant inteſtina paſſim exeſa & corrupta. BOTALLUS.

OBS. 454. Cadaver cujuſdam *colicâ Saturninâ* ſublati exhibebat ſtomachum gangrænoſum; jejunum & ileum paſſim putrida & diſrupta. Cum ſimili labe in liene & meſenterio. E DIARIO MEDICO.

OBS. 455. In cadavere cujuſdam *aſcitici* erant inteſtina ſyderata & corrupta; cum ſtagnante plurimo humore ſubcruento loturæ carnium ſimili. HOLLERIUS.

OBS. 456. In quodam ſecto, ex *iliacâ paſſione* de mortuo, totum inteſtinum ileum nigrum, gangrænoſum & corruptum vidit GUIDO. PATINUS. INTESTINA.

Huicce claſſi adſcribi debent obſervationes Libr. I. 10, 14, 486, 630, 663, 725, 1011, 1145, 1721; Libr. II. 222. Vide inſuper *Viſcera putrida.*

## *Inteſtina invicem implicata & accreta.*

OBS. 457. Quidam ex intenſo frigore, vehementi *dolore colico* corripitur. Tertio die accedit *vomitus* cum *alvo ſiccâ.* Ingruit *febris* cum linguæ ariditate, ſedatis tamen doloribus. Septimo *materiam ſtercoroſam vomere* cœpit, alvo remente ſiccâ; quæ tandem reſeratur, ceſſante vomitu. Ad quinque dies productus alvi fluxus deſinit, pergente febre cum virium imbecillitate. Die demùm decimo tertio gravioribus inquietudinibus affectus eſt; & planè exolutis viribus occubuit.

Inventum eſt ileum tribus complicationibus involutum, & quaſi compactum in unam maſſam circà illius finem. Tota illa inteſtini portio complicata, gangrænâ defœdebatur, cum portione meſenterii ſibi adjunctâ. Diſruptum erat inteſtinum, ſphacelatum; per quod foramen tota excrementum illuvies in abdomen effluxerat. RIVERIUS.

OBS. 458. Puer ſeptemdecim annorum *hydropicus*, cùm per quatordecim dies *excrementa per os evomeret*, nec per ſeceſſum quicquam egereret, expiravit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, occurrunt inteſtina tantoperè diſtenta, ut femoris craſſitiem certis in locis adæquare viderentur. Aliis verò locis adeò erant convoluta, intorta & implexa, ut nulla illic nec excrementis, nec flatibus pateret via. Præter hæc hepar corruptum, arenulis & lapidibus infarctum conſpiciebatur. PLATERUS.

OBS. 459. Quidam *alvum* planè *adſtrictam* & ſiccam à quindecim diebus patiebatur; cum accedente *vomitu*, nullâ arte domando, tandem *fæces alvinas rejecit;* uſque ad obitum.

Inteſtina omnia, tenuia & craſſa, fæcibus turgebant. Inteſtinum verò rectum reduplicatum inveniebatur ob annulum enatum

INTES-TINA.

è proximo peritonei proceſſu in ſcrotum abeunte, quo arctè conſtringebatur. BALLONIUS.

OBS. 460. Cadaver cujuſdam viri inter *affectionem iliacam* defuncti, cultro anatamico ſubjectum, exhibebat inteſtinum ileum contortuplicatum; non ſecùs ac pannus à lotricibus convolutus; adeò ut omnis aditus ad inteſtina craſſiora præcluderetur. DILEMANNUS.

OBS. 461. Puella poſt epilepſiam in *affectum iliacum* incidit; vermeſque cum excrementis alvinis dejicit. Poſt mortem exenterentâ, occurrunt circà finem inteſtini ilei quinque tubi complicationes. BONETUS.

OBS. 462. In cadavere cujuſdam *volvulo* ſublati invenitur ileum ſeptem diverſis in locis ità convolutum, ut cibis, potui & fæcibus, omnem denegaret tranſitum. BARBETTE.

OBS. 463. In puero qui dum viveret *fæces alvinas per os* reddebat, reperiebantur inteſtina volvulo impedita, & invicem implicata. BARTHOLINUS.

Hùc pertinent obſervationes Libr. I. 13, 26, 119, 240, 265, 268, 303, 330, 335, 390, 437, 623, 688, 692, 1397, 1579, 1600, 1654, 1693, 1754, 1773. Libr. II. 225. Libr. III. 149, 368. Cæterùm vide *Viſcera putrida. Colluvies ſordida.*

## *Inteſtinorum invaginationes.*

OBS. 464. Quidam *vomitu* violento, immanibus *ventris torminibus* ſtipato, derepentè corripitur. Accedunt ſitis ingens & diarrhœa. Tandem ingruunt *convulſiones* quæ brevi mortem acceſſunt, haud ſinè magnâ aſſumpti veneni ſuſpicione.

Occurrunt ſtygmata gangrænoſa in minori arcu ventriculi. Reperiuntur inter rugas prædicti viſceris, phlogoſi tacti, æris flores & hydrargyrus. Inteſtina verò tenuia exhibebant nonnullas invaginationes, quarum major ad octo pollices accedebat. Veſica demùm erat corrugata & ſummè contracta. CLAR. DULAC.

OBS. 464. (*a*) Puella *in excernendis fæcibus*, etſi liquidis, *ſummam* patiebatur *difficultatem ;* & talem quidem ut ex conatu nimio & reſpiratione retenta tota facies nigreſceret. Tandem ex dentitione difficili convulſa fatis ceſſit.

INTESTINA.

Exenterationi tradito corpuſculo, inveniuntur in inteſtino ileo tres nodi inter ſe diſtincti. In horum quolibet magna portio hujus inteſtini, ipſi meſenterio non adhærens, abſcondita latitabat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 465. Cadaver fœminæ ſex & triginta annorum, quæ inter *continuos vomitus* æruginoſos extincta fuerat, exhibebat ventrem magnum & tenſum. Inteſtina omnia erant inflammata & gangrænoſa, & cruſtâ flavâ & tenaci obducebantur. Præterea latebat in inteſtino jejuno volvulus ſeſqui ſpithamam longus, à quo tubus inteſtinalis firmiſſimè ſtrangulabatur. CLAR. STORCK.

OBS. 466. In cadavere puellæ bimeſtris, *diriſſimis convulſionibus* ſubitò trucidatæ, reperitur volvulus in inteſtino ileo, cujus ſuperior pars, ad trium ferè pollicum longitudinem, in inferiorem erat intruſa. Flatibus validè extenſa erant tenuia inteſtina ; ſed nullum erat inflammationis veſtigium & nulla patebat manifeſta convulſionum cauſa. CLAR. HELLER.

OBS. 467. Quidam à longo tempore, dolore fixo continuò circà dextrum hypochondrium conflictabatur. Tandem in *iliacam paſſionem* incidit, & moritur.

Cœcum inteſtinum erat contractum, & in ileum inſinuatum ; adeò ut nil ex ileo in colon deſcendere potuerit. Cœcum extractum, prætumidum & cancroſum reperiebatur. BLANCARDUS.

OBS. 468. In cadavere pueri triennis qui per quinque & viginti dies decubuerat à *ventris torminibus ;* ac ex lumbricis ægrotaſſe putabatur ; occurrit hepar ſcirrhoſum & ſanguine nigricante plenum. Pars ilei inter ſe contracta & convoluta ; vel quaſi in ſe infarcta, ſub tumoris duri ſpecie deprehenditur, cum omento planè abſumpto. SMETIUS.

OBS. 469. Inter ſectionem cadaveris *paſſione iliacâ* denati,

INTESTINA.

ileum alicubi planè conſtrictum, ac velut injecto laqueo ſtrangulatum deprehenditur : nimirùm ejus portio quatuor tranſverſos digitos longa, plurimùm contracta & anguſtata intrà proximè ſuperioris cavitatem abſcondita prorsùs latebat. PEYERUS.

OBS. 470. Cadaver puellæ decennis, jamdiù *cephaleâ* & *vermibus* laborantis, duas ſuſceptiones in inteſtino ileò exhibebat. In magis conſpicuâ pars ſuperior inteſtini ab inferiore ſuſcipiebatur : ſuſcepta portio ſemi-digitum longa quinque lumbricos recondebat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 471. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam puellæ octavum ætatis annum agentis, *affectu iliaco* extinctæ, in conſpectum veniebant tres introſuſceptiones in inteſtino ileo, diſtinctis intervallis ſpectandæ. PEYERUS.

OBS. 472. In cadavere pueri poſt diuturnum dolorem ſub regione hepatis, *volvulo* ſublati; cœcum contractum in ileum ſeſe inſinuaverat, & id oppleverat. Adeò ut nil è ſuperioribus ad colon permeare poſſet. Cœcum verò erat inflammatum & exulceratum. FABR. HILDANUS.

OBS. 473. Luſtrato cadavere cujuſdam ſaltatoris, *paſſione iliacâ* intrà paucos dies extincti, reperiebatur inteſtinum ileum ità replicatum ut digiti inſtar chirothecæ contraheretur; & omnem excrementorum deſcenſum præpediret. RIOLANUS.

OBS. 474. Inter exenterationem cadaveris pueri *affectu iliaco* ſublati, duplicem invaginationem notare licebat : in primâ pars inteſtini ſuperior ſeſe inſeruerat in inferiorem : in aliâ verò interior in ſuperiorem. BLASIUS.

OBS. 475. Secto cadavere cujuſdam pueri *ileo* extincti in conſpectum veniebant inteſtina flatu turgida; & pars inteſtini ilei intrà ſe contracta & convoluta; quaſi in ſe infarcta, tumoris ſpeciem referens. BONETUS.

OBS. 476.

OBS. 476. In quodam inter *vomitum excrementorum* interempto, animadvertebatur ileum tribus in locis involutum. Nodi, ſive involutiones, digiti longitudinem æquabant; & aliquâ intercapedine ab invicem diſtabant. MANGETUS. INTESTINA.

OBS. 477. Inciſo cadavere cujuſdam juvenis *volvulo* enecati oculis ſubjiciebatur inteſtinum ileum in cavitatem inteſtini deſcendens; ſeu ejus intus-ſuſceptio. PANAROLUS.

OBS. 478 Cadaver cujuſdam mulieris *volvulo* denatæ, cultro anatomico ſubjectum, exhibebat inteſtini ilei invaginationem: ſuperior ſcilicet tubi pars in inferiorem inſerebatur. PLEMPIUS.

OBS. 479. In corpore cujuſdam inter *inſultum iliacum* extincti, inteſtini tenuis partis ingreſſum, in partem proximam ſe vidiſſe refert SYLVIUS.

OBS. 480. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam *volvulo* denati, culter anatomicus detexit ilei partem ſuperiorem jejuni proximam partem recipientem. FONTANUS.

OBS. 481. In cadavere cujuſdam *affectione iliacâ* perempti in conſpectum veniebat inteſtinum ileum triplici modo invaginatum, & ſic obturatum. MANGETUS.

OBS. 482. Luſtratis interaneis nonnullorum *affectu iliaco* defunctorum, tenuium inteſtinorum mutuum ingreſſum, ſpatio ampliore quàm ſit digiti longitudo vidit COLUMBUS

OBS. 483. Aperto corpore cujuſdam *ileo* rapti, occurrunt inteſtina tenuia inflammata, cum ilei invaginatione, ad pedem gallicum in colon ſummè tumidum adacti. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 484. Cadaver cujuſdam *affectione iliacâ* extincti exhibebat

INTESTINA.

cœci ingreſſum in proximam inteſtini coli partem. Ex Actis Edimburgensibus.

OBS. 485. In alio *ſimili affectu* perempto, in conſpectum veniebant varias inteſtini ilei ſuſceptiones, vel invaginationes. Ex Actis Edimburgensibus.

De hâc læſione mentio etiam ſubjicitur in Libr. I. obſervatione 376. Vide inſuper *Tumores abdominis. Inteſtina invicem accreta.*

## *Mira inteſtinorum dilatatio.*

OBS. 486. Vir quinquagenarius *acerbiſſimam colicam* ſæpiùs, ſed inordinatè recurrentem pluribus abhinc annis patiebatur. Hâc remittente, remanebat, obſcurus & continuus interaneorum dolor. Intereà poſt quaſdam inducias recrudeſcit morbus cum tantâ ſævitie, ut exuvias victori dederit miſellus decumbens.

Cultro anatomico ſubjectum cadaver exhibebat præcipuam inteſtini jejuni partem, ob ſtupendam dilatationem, coxæ magnitudinem æquantem, è genuinâ ſede depulſam; atque in decliviori parte ſyderatam, & dilaceratam. E nostris Adversariis.

OBS. 487. Puella quinque annorum jam à longo tempore de *ventris torminibus* conquerebatur; quibus tandem ultrà modum exacerbatis; tanto oneri impar fatis ceſſit.

Reſerato abdomine vix ullum (mirum dictu), conſpiciebatur abdominis viſcus, præter enormem extenſionem partis ſiniſtræ inteſtini coli, in rectum abeuntis; ſub quâ latitabant contracta viſcera. Ruyschius.

OBS. 488. Exenteratis cadaveribus nonnullorum qui, dum viverent, de moleſtis *rugitibus* & immanibus *doloribus*, lancinationibus, & *anxietatibus* conquerebantur, in conſpectum veniebat inteſtinum duodenum, inſigni amplitudine præditum; inſtar ſcilicet minoris ventriculi, majori adjuncti. Diemerbroek.

OBS. 489. Cadaver cujuſdam, jamdiù geſtantis *ventrem tumidum* aſcitem mentientem, exhibebat inteſtini coli portionem, tam intensè flatibus dilatatam, ut utrem globoſum mentiretur; quæ in nonnullis locis rupturam & gangrænam minabatur. Lien prætereà ſphacelatus & putridus erat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

INTESTINA.

OBS. 490. Quidam *tumorem infrà lienis regionem* à biennio geſtabat, Tandem ſupervenientibus aliis accidentibus occubuit. Aperto abdomine occurrit tumor ſe extendens ad extremitatem ilei inteſtini; quo aperto, nihil præter fæces induratas reperiebatur. SANCTORIUS.

OBS. 491. In cadavere juvenis quindecim annorum cujus *alvus* adeò erat *adſtricta*, ut intrà quindecim dies ſemel tantum dejiceret; ſtupenda patet dilatatio inteſtini coli & præſertim recti, quod ſaccum ingentem ſcybalis repletum referebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

Exemplum hujuſce læſionis proſtat in obſervatione Libr. III. 226. Præterquam. Vide *Inteſtina flatu diſtenta.*

---

## *Inteſtinum unicum.*

OBS. 492. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam viri, quadrageſimum ætatis annum agentis, qui dum viveret voraciſſimus *fame caninâ*, ut inquiunt; laborabat, ſpectatu ſanè dignum occurrit, inter ventriculum mole ampliſſimum ac ſolito craſſiorem, & podicem, unicum inteſtinum, inſigni craſſitie præditum, inſtar litteræ *S* inflexum; atque ingenti meſenterio appenſum; quod ſcilicet ſine ullo anfractu, ad pelvim deſcendebat, & ſolito modo podici inſerebatur. CABROLIUS.

---

## *Inteſtinorum conſtrictio.*

OBS. 493. Mulier nobilis, & ſexagenaria ex animi mœrore in corporis languorem incidit; de *dolore ventriculi*, *renum* &

INTESTINA.

*lumborum* querula. Dein ingruit febricula, anorexia & vigiliis ſtipata. Accedunt animi deliquia, nonnunquam recurrentia. Poſt varias remiſſiones & intermiſſiones, dejectis pluribus *vermibus* per ſedes, tandem viribus planè deficientibus occubuit.

Secto cadavere, conſpiciebatur hepar decolor, & exangue. Meſenterium ſcirrhoſum deprehendebatur. Ileum & colon mirè erant coarctata. Poſtremò ventriculus nonnullas eroſionis, & inflammationis notas præ ſe ferebat. DEODATUS.

OBS. 494. Quidam à triennio *tympaniticus*, *ileo* graviſſimo corripitur: vomitus nimirum accedit ſtercoroſus, cum ſingultu pertitinaciſſimo. Brevi collabuntur vires; & intrà triduum rebus humanis vale ſupremum dixit.

Inter exenterationem reperitur, ſeptem pollices ſuprà rectum firma & calloſa coarctatio inteſtini coli; veluti circumductum filum id arctè conſtringeret. Stupenda erat dilatatio ſuprà obicem, non ſolùm coli, ſed etiam aliorum inteſtinorum, & ipſiuſmet ventriculi. Hâc ingenti mole repulſum diaphragma ad quartam ſuperiorem coſtam pertingebat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 495. Quidam poſt lapſum ab alto de *inguinis* dextri *dolore* & *vomitu* per trimeſtre querebatur. Ingraveſcente morbo; excrementa cineritii coloris, alternis diebus excernuntur: cum vomitu materierum cremori hordei ſimilium. Macie tandem confectus, & lecto affixus, obiit.

Inveniebatur pars inteſtini ilei, quæ cœco proxima eſt, adeò contracta, ut vix digitum auricularem pueri admitteret. SCULTETUS.

OBS. 496. Quædam mulier, multis jam menſibus, *dolore* immani *inteſtinorum*, conflictabatur cum *alvo adſtrictâ*; adeò ut decimo tantum die dejiceret.

Mortuæ inciſo corpore, inventa ſunt inteſtina, arctiore callo conſtricta; adeoque iter anguſtum relinquebatur ut dejectiones ægrè tranſmitti poſſent. BENEVENIUS.

OBS. 497. Filius cujuſdam pictoris, diuturnâ *febre tertianâ* maceratus & extenuatus; inter diras *convulſiones* tandem occubuit.

Inteſtina ad contractum meſenterium erant retracta; horum

tunicis ſubrigidis & quaſi exſiccatis. Ventriculus multam bilem æruginoſam continebat. CLAR. MORGAGNUS.

INTESTINA.

OBS. 498. In cadaverculo recens nati, qui *nil per anum & veſicam excreverat;* inveniebantur inteſtina flatibus turgida. Præterea inteſtinum rectum ità occludebatur, ut ne veſtigium quidem tranſitûs apparuerit. SALTZMANNUS.

OBS. 499. Puellus *pleuriticus*, ultimis vitæ diebus ſæviſſima patiebatur *tormina*, quæ excipiunt *convulſiones* lethiferæ.

Reperiuntur aliquot portiones ilei arcti conſtrictæ, cum partibus intermediis flatu diſtentis. WEPFERUS.

OBS. 500. Inter ſectionem variorum, *doloribus colicis* denatorum, obvia fiunt inteſtina, tam pertinaciter in quibuſdam locis conſtricta, ut tubi meatus omninò intercluderetur. WEPFERUS.

OBS. 501. Reſerato abdomine cujuſdam *volvulo* ſublati, inveniebatur inteſtinum ileum ita arctatum, ac ſi filo circumducto conſtringeretur. PANAROLUS.

Hoc hiſtoriarum agmen ſubire debent obſervationes Libr. I. 70, 622. Libr. II. 231. Libr. III. 226.

## *Inteſtina coalitu obturata*

OBS. 502. Quidam inter uſum pilularum aloëticarum, de *alvo ſiccâ* querebatur, Dein accedit *ſingultus*, ac demùm *vomitus excrementorum.* Intereà ventre in dies creſcente tandem ejulantem ægrum interficit ileus.

Ventriculus & inteſtina flatibus & excrementis fluidis erant diſtenta, variis notis gangrænoſis ſignata, & nonnullis in locis exeſa. Rectum verò fibris quaſi totidem filis decuſſatim textis erat conſtrictum, & ità obturatum ut nil tranſire potuerit, E MISCEL. CURIOSIS.

INTESTINA.

OBS. 503. Cuidam ſeni *alvus ſupprimitur.* Omnibus incaſſum adhibitis præſidiis, undecimo à decubitu die, accedente *febre* ad ſuperos migrat.

Inteſtinum rectum in parte ſuperiori coaluiſſe & coïviſſe repertum, ut vix tenuioris funiculi craſſitiem æquaret; utrinque in confinio inteſtini, partibus in tumorem quemdam, velut glanduloſum, elevatis. BONETUS.

OBS. 504. In cadavere militis *ileo* defuncti, animadvertebatur in tenuis inteſtini portione, quæ ſtomachum reſpicit, notabilis dilatatio, cum ſacco pendulo, gangrænoſo, ad ovi gallinacei magnitudinem accedente, ichore putrido repleto; infra quem craſſa & indurata cernebantur inteſtini laterà, quibus tubi cavum penitùs occludebatur, cum variis gangrænæ notis. CLAR. HELLERUS.

OBS. 505. Secto cadavere juvenis, cujus inter alios morbos, *alvus* erat *adſtricta*, reperiuntur in veſicâ duo calculi, quibus deprimebatur eo uſque rectum inteſtinum ut coarctatum produxerit plurima filamenta membranoſa tam arctè interiorem fiſtulam intertexentia, ut nil excretorum potuerit ampliùs tranſmittere. TULPIUS.

OBS. 506. Anicula jam per multos annos ægrotaverat, & tota contabuerat, *colicis* diſcruciata *doloribus;* qui pergentes & exacerbati, hanc tandem ad libitinæ rationem ducunt.

Luſtratis interaneis, patent inteſtina, olim fortè exulcerata, multis in locis mutuò connexa, ſpatio ferè duorum digitorum ex tranſverſo. JOUBERTUS.

OBS. 507. Cuidam militi poſt gravem *dyſenteriam*, *venter ſupprimitur.* Hinc emergunt graviora ſymptomata quæ brevi mortem poſt ſe trahunt.

Exenterato cadavere inveniuntur inteſtina planè obturata, à contractu ſcilicet & coalitu laterum exulceratorum. RHODIUS.

OBS. 508. Quidam poſt *fluxum dyſentericum*, ſæviſſimis coli doloribus, cum *alvo* planè *ſiccâ* excruciabatur; quibus tandem occubuit.

Inter ſectionem cadaveris viſenda ſe præbent inteſtina craſſiora paſſim à veteribus exulcerationibus conglutinata. E MISCELLAN. CURIOSIS.

INTES-TINA.

OBS. 509. Mulier robuſta & ſexagenaria *nil excrevit per alvum* ſpatio novem dierum, & obiit.

Reſerato abdomine inventa eſt pars ilei tota inferior intùs coaleſcens; adeò ut nil hâc viâ pertranſire potuerit. BARTHOLINUS.

Haud abſimiles caſus exhibent obſervationes. Libr. I. 338, 439.

## *Inteſtina è ſede depulſa.*

OBS. 510. Cuidam *globulo ſclopetario* transfoditur pectus à coſtis mammæ ſiniſtræ ſubjectis, ad infimas nothas lateris dextri. Poſt annum integrum à curato vulnere, oboritur dolor intolerabilis in abdomine, *colicæ* inſtar, qui nulli ceſſit remedio.

Mortuo diſſecto, invenitur diaphragma, parte ſuâ carnosâ, perforatum ſuperiore ictu; quâ rimâ inteſtinum colon ſenſim ſubiverat thoracis cavitatem. BALLONIUS.

OBS. 511. Quidam poſt biennium à curato vulnere abdominis per *globulum ſclopeticum* incidit in *colicam paſſionem* lethalem.

Reſerato abdomine in conſpectum veniebant inteſtina ultrà modum flatulenta. Pars verò coli, ventriculo proxima, ſuprà diaphragma hærebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 512. In cadavere cujuſdam, qui poſt diuturniores ægritudines occubuerat, omnia inteſtina ad hypochondria redacta erant & ſpina erat detecta. Quamobrem medico licebat abdomen attrectanti, aortæ motum perſentire; imo & duritiem vertebrarum. COLUMBUS.

INTESTINA.

## *Inteſtina pituitâ vitreâ extus obducta.*

OBS. 513. Puella decimum quartum ætatis annum agens, *dolore colico* atrociſſimo, cum ventris inflatione, conflictabatur, quibus perſiſtentibus; & accedentibus gravioribus ſymptomatibus, intra viginti dies è medio tollitur. Per biduum ante mortem magnam *ſanguinis* nigerrimi *copiam per alvum* excrevit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, inventa eſt multa pituita vitrea externæ inteſtinorum tunicæ hærens; & fruſtulatim diſperſa; quæ fruſtula diverſæ erant molis, uſque ad avellanæ magnitudinem. CHOMEL.

## *Rectum veſicæ implantatum.*

OBS. 514. Puellus, *ano clauſo*, excrementa per urethram, ſimul & urinam excernebat. Tandem cum duriora excrementa per anguſtum illum ductum amplius permeare non poſſent; *inflatus* eſt *venter*; exorta eſt *febris*; aliaque ſuboriuntur ſymptomata, quibus decimo ſexto à nativitate die ad plures migravit.

Diſſectioni traditum corpuſculum exhibebat inteſtinum rectum fundo veſicæ adnatum, vel à genuino tramite deflexum. FABR. HILDANUS.

## *Rectum deficiens.*

OBS. 515. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam infantuli, qui *ne veſtigium* quidem *podicis* habebat; patet totum inteſtinum rectum planè deficere: colon enim in extremitate omninò conſtrictum, & quaſi fune circumligatum conſpiciebatur. BENNINGERUS.

De inteſtinis cruſtâ obductis vide Libr. I. Obſervationes 268, 465, 1361, 1593; Libr. II. 360.

SECTIO

# *SECTIO QUINTA.*

## DE MESENTERIO.

### *Meſenterii inflammatio.*

OBSERVATIO 516. Quidam poſt gravem *contuſionem* in infimâ parte *hypochondrii dextri ;* ſtatim *dolorem* illìc ſenſit, qui in dies adauctus in crus dextrum propagatur. Hoc pergente & exaſperato, accedit *febris ;* exſurgunt varia & graviora ſymptomata, quæ tandem ægrum illùc mittunt undè negant redire quemquam.

Reſerato abdomine, in conſpectum veniebant inteſtina maculis lividis & ſubflavis notata. Omentum inteſtinis inſtratum haud abſimili læſione deturpabatur. Præterea animadvertebantur meſenterii vaſa penitùs cruenta, veluti contuſa & phlogoſi tacta, præſertim propè muſculos pſoas, qui ſimili modo affecti deprehendebantur. PLATERUS.

Huic ſubjungere licet obſervationem Libr. I. 1624.

### *Meſenterium obſtructum.*

OBS. 517. In cadavere fœminæ quindecim annorum, *hecticæ*, atque immani *diarrhœâ* extinctæ, deprehendebantur, præter pulmones purulentiâ & putredine defœdatos, glandulæ meſenterii infarctæ, aliæ atheromatoſæ, aliæ purulentæ. Hepar ſe offerebat tabidum; paſſimque occurrebant aliæ læſiones, ſolitæ morborum chronicorum reliquiæ. BARTHOLINUS.

OBS. 518. Puella duodecennis paupercula, *fluxu cœliaco*; cum *ventris torminibus* jamdudùm laborabat; cum tandem exolutis viribus, planè emaciata obiit.

Reperiebantur glandulæ meſenterii admodùm tumidæ & duriores; continentes materiam quamdam lacteam, in caſei formam concretam. DIEMERBROEK.

MESENTERIUM.

OBS. 519. Exenterato cadavere cujuſdam pueri octennis, *atrophiâ* & *ventris torminibus*, nec-non *diarrhœâ* chyloſâ, poſt multos menſes confecti, viſendæ ſe præbebant glandulæ meſentericæ mirum in modum tumidæ, & colorem lacteum referentes. DIEMERBROEK.

Inter affines recenſeri queunt obſervationes Libr. I. 64, 666, 1027; Libr. II. 83; Libr. III. 232.

## *Meſenterium ſcirrhoſum.*

OBS. 520. Puella undecim annos nata in *febrem* ephemeram; mox in *hecticam* incidit. Hinc cùm ſpatio trium menſium, *doloribus totius corporis*, deglutiendi difficultate, cùm tuſſi & linguæ ariditate laboraſſet; tandem erumpentibus *ſudoribus nocturnis* planè extenuata occubuit.

Aperto cadavere reperitur menſenterium ſcirrhoſum, & materiâ quaſi gypſeâ refertum. Hepar nonnulla ſteatomata recondebat, & firmiter diaphragmati adnatum erat. Circum circà venam portæ, hujuſce gypſeæ materiæ moles, ad pugni magnitudinem accedens, adhærebat. Lien eâdem materiâ ſcatebat. Prætereà pulmones inveniebantur paſſim purulenti & ſteatomatoſi; cum hydrope pectoris: circà exortum tracheæ occurrebat ſteatoma ovi gallinacei magnitudinem excedens. FABR. HILDANUS.

OBS. 521. Puella ſeptennis per totum vitæ curriculum variis ægritudinibus fuit obnoxia; præſertim verò *tumoribus œdematoſis*, circà articulos manuum, cum *oſſium carie*. Dein accedunt *ſpirandi difficultas*, & *cordis palpitatio*. Tandem maraſmo confecta obiit.

Inveniebatur inteſtinum cæcum, cum ſuâ appendice vermiformi, craſſiſſimum, quaſi meris glandulis rubentibus conflatum. Conſpiciebantur meſenterii glandulæ tumidæ & ſcirrhoſæ. Hepar plus juſto magnum, ejuſdem mali conſors apparebat. Ventriculus flatulentiâ diſtendebatur. Pericardium denique aquâ turgebat. CASP. BAUHINUS.

OBS. 522. In cadavere cujuſdam pueri jamdudùm *ſcrophuloſi*, febre lentâ & extremâ macie confecti, uſque ad obitum orthoſtadii, reperiebantur omnia viſcera tùm pectoris, tùm abdominis, arida & corrugata. Meſenterium ſcirrhoſum, glandulas nuce ju-

glandi majores, intùs & extùs albicantes, & quaſi cartilagineas, exhibebat. Aliæ inſuper occurrebant ejuſdem indolis, & numeroſiſſimæ circà chyli receptaculum & ductum thoracicum. Thymus etiam induratus animadvertebatur; etſi ſolitam molem minimè ſuperabat. E NOSTR. ADVERSAR.

MESENTERIUM.

OBS. 522. (*a*) Fœmina octo & quinquaginta annos nata poſt laborioſum partum, *doloribus vagis* in abdomine conflictatur. Senſim *tumet venter*, & pedes fiunt œdematoſi. Dein difficilis reſpiratio ſomnum arcet. Poſt varias remiſſiones, *diarrhœâ immani* prehenditur; inter quam, viribus deficientibus, ſupremum diem obiit.

Pectus & abdomen ſero flavo & ſordido ſcatebant. Omentum gangrænoſum & ſemiputridum obſervatur; pancreas ingens & ſcirrhoſum. Meſenterium verò mole portentoſum, & ſcirrhoſum, majorem abdominis partem replebat. CLAR. BAADERUS.

OBS. 522. (*b*) Vir quinquagenarius, ſtrenuus aquæ vitæ helluo, *ardore ventriculi*, & *vomitu* corripitur; cum dolore in hypochondrio dextro. Quibus pergentibus & ingraveſcentibus, tandem maraſmo confectus extinguitur.

Meſenterium ingens, totum ſcirrhoſum & ſteatomatoſum deprehenditur. Ventriculus livido colore erat tinctus; non ſecùs ac pars hepatis huic incumbens. CLAR. BAADERUS.

OBS. 523. Quædam fœmina per duos poſtremos vitæ menſes *febre* laborabat. De *gravi pondere* in abdomine conquerebatur. Alvus erat dura & reſpiratio difficilis. Prætereà ab octo annis *abdomen tumens* geſtabat; ſed ſine moleſtiâ.

Poſt obitum diſſecta, exhibet meſenterium & pancreas ſcirrhoſa, & ingentis molis; anteriùs connexa erant cum peritoneo etiam ſcirrhoſo & cartilaginis ſpeciem referente. Paſſim occurrebant exulcerationes tùm in meſenterio, tùm in hepate etiam indurato. BLANCARDUS.

OBS. 524. Juvenis octodecim annorum, jamdiù ſiti immani & ventriculi imbecillitate laborans *aſcite* corripiebatur. Procedente morbo cum ſuis incrementis, ſupervenit *alvi fluxus*, qui tandem ægrum conficit.

Præter magnam aquæ ſubflavæ copiam in abdomine ſtagnan-

MESENTERIUM. tem inveniebatur inteſtinum rectum corroſum. Glandulæ meſenterii ſummè tumidæ lapideam duritiem mentiebantur. Veſicula fellis bilem nigerrimam, ſpiſſam, vel amurcæ ſimilem, continebat. Pancreas denique erat induratum. DOLÆUS.

OBS. 525. Puer octodecim menſes natus, febre inordinatè recurrente, *appetitu canino*, & *diarrhœâ* bilioſâ laborabat. Tandem maraſmo confectus, & exolutis viribus, animam efflavit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, deprehendebatur hepar ſtupendæ molis & ſcirrhoſum; cum cyſti felleâ ſuprà modum tumente. Lien etiam ingens tartaream ſubſtantiam exhibebat. Ac poſtremò glandulæ meſentericæ omnes tumidæ & ſcirrhoſæ conſpiciebantur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 526. Puer triennis imum *ventrem* ultrà modum *prominentem*, paucis abhinc menſibus geſtabat cum *febre lentâ*, cibi faſtidio, *alvi fluxu* contumaciſſimo, & ſtupendâ totius corporis emaciatione. Tandem abdomine ulteriùs renitente, atrophiâ confectus, ſupremum diem obiit.

Reſerato abdomine, in conſpectum venit meſenterium mole ampliſſimum, & ſcirrhoſum. Hepar quoque ingens, & ſimilis læſionis conſors deprehenditur. E NOST. ADVERSAR.

OBS. 527. Puer octennis *baculo* circâ lumbos *percuſſus*, paulò poſt malè ſe habere cœpit. Exſurgit *febris lenta*, & ſenſim *prominet abdomen*. Accedit atrophia, quâ demùm conſumptus, migravit ad Superos.

Inter cadaveris exenterationem, inveniebantur glandulæ meſenterii non ſolùm tumentes, ſed etiam ſcirrhoſæ; ità erant conglobatæ ut hinc corpus exſurgebat duorum pugnorum magnitudinem ſuperans. BONETUS.

OBS. 528. Puer duodecennis, antè biennium cephalalgiâ & vertigine, cum *tumentibus glandulis tyroïdeis* laborabat. Oritur dolor in ſiniſtro cervicis latere, cum *tumore ponè aurem*, & *in pollice*. Accedente tuſſiculâ, cum pauco ſputo, hecticus tandem obiit.

Repertæ ſunt glandulæ meſenterii rubræ & ſiccæ, induratæ & ſcirrhoſæ, cum nonnullis exulcerationis & putriditatis notis. MANGOLT.

OBS. 529. Puer undecim annorum ſummè debilis, febre lentâ cum *ventre tumido* & *alvi fluxu* jamdudùm laborabat, doloris quidem expers. Tandem contractis, præ ariditate, manibus ad beatorum domicilium ſubvolavit. MESENTERIUM.

Omnia pectoris & abdominis viſcera illæſa deprehenduntur, ſi excipias meſenterium glandulis duriſſimis, ſcirrhoſis & albicantibus refertum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 530. Puer ſeptennis in *febrem lentam*, cum rigore ſingulis ſeptimanis recurrente incidit. Accedunt *vomitus bilioſi;* hæmorrhagia narium & *artuum contractio*, nec-non macies. Septimo menſe, ab ortu febris, obiit.

Obvium fit meſenterium ſcirrhoſum; cujus glandulæ ingentes materiâ quâdam gypſeâ, vel lapideâ, ſcatebant. Præterea pulmones, hepar & lien arenulas & lapillos recondebant. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 531. Vir conſiſtentis ætatis, ingluviei deditus de *dolore gravativo* in regione lumbari, cum imi *ventris* inæquali, *tumore* & dolore hypochondrii ſiniſtri obtuſo, conquerebatur. Tandem *alvo adſtrictâ*, contabuit, & naturæ ſatisfecit.

Totum deprehendebatur meſenterium ſcirrhoſum. Lien durior capſulam oſſeo-cartilaginoſam exhibebat. E MISCEL. CURIOS.

OBS. 532. Puer novennis, viliori victui aſſuetus, reſpiratione difficili, inapettentiâ & ſiti intenſâ laborabat. Accedunt *ventris tormina*, cum pedibus œdematoſis; *venter prominet*, unà cum ſcroto, quod brevi gangrænâ corripitur. Tandem inter *diarrhœam* obiit.

Præter aquæ copiam in abdomine ſtagnantis, meſenterium totum ſe præbet ſcirrhoſum; cum coalitu omnium fermè viſcerum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 533. Vir conſiſtentis ætatis *anheloſæ reſpirationi* per intervalla recurrenti obnoxius; in inſultum tandem ferociorem & pertinaciorem incidit; quo, nil conferentibus præſidiis, ad ultimam rerum metam ducitur.

Luſtrato cadavere, occurrebat totum meſenterium ſcirrhoſum, & quaſi calloſum. BENIVENIUS.

MESENTERIUM. OBS. 534. In cadavere mulieris quinquagenariæ & *aſciticæ* deprehenditur meſenterium ſtupendæ molis, atque variis tumoribus cyſticis, è genere meliceridum & ſteatomatum, refertum; atque ſcirrhoſum : præter alias læſiones hepatis, lienis & tubi inteſtinalis, hunc affectum concomitari ſolitas. BALLONIUS.

OBS. 535. Juvenis ſexdecim annorum, diuturno morbo conſumptus & ſæviſſimis interdùm *ventris doloribus* divexatus, tandem interiit.

Inveniebatur inteſtinum ileum diſruptum. Meſenterium occurrit ſcirrhoſum, lapidiſque inſtar durum. SALTZMANNUS.

OBS. 536. Quidam, cùm *abdomine tumente* & *alvo adſtrictâ*, *doloribus colicis* pertinaciſſimis excruciabatur, quibus tandem evictus occubuit.

Luſtrato abdomine reperiebatur totum meſenterium induratum, & glandulis ſcirrhoſis infarctum. PLATERUS.

OBS. 537. Inter exenterationem cujuſdam *melancholici*, *tabe* confecti, in conſpectum veniebat totum meſenterium ſcirrhoſum, cum hepate & liene obſtructis & induratis. EX ACTIS GERMANICIS.

OBS. 538. Diſſecto cadavere cujuſdam *volvulo* enecati, in conſpectum veniebat tumor ſcirrhoſus in meſenterio inteſtinum ileum comprimens. RIOLANUS.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 26 (*a*), 193, 230, 246, 259, 275, 278, 342, 402, 405, 577, 590, 741, 798, 898, 940, 1011, 1020, 1024, 1045, 1385, 1498, 1731, 1736, 1763. Libr. II. 222, 331, 357, 407, 545, 548, 622. Libr. III. 66, Inſuper vide *Viſcera ſcirrhoſa*.

---

## *Meſenterium ſteatomatoſum.*

OBS. 539. Juvenis qui ſingulis diebus vino muſcatellino inebriabatur; undè incenſa viſcera refrigerare cupiens frigidam ſatis

copioſam ingurgitabat, incidit in cruciatus & *dolores ventris* intenſiſſimos per intervalla recurrentes; & tantæ ſævitiei ut protinùs humi ſeſe proſterneret, unguibus terram ſcalperet & ſanguinem è digitis eliceret: donec dolorum acerbitate mortuus fuit. MESENTERIUM.

Luſtratis interaneis, reperiebantur innumera ſteatomata venis meſenterii & pancreatis adnata, quæ omnia materiam quamdam ſebaceam continebant; quorum majora ad uvas grandiores accedebant. SALMUTHUS.

OBS. 540. Cujuſdam pauperculæ, multis doloribus per triennium vexatæ, *venter in majorem molem aſſurgit*, cum diſtinctis tumoribus. Poſt enixum infantem debilem, dolores non deſiere & venter remanet inæqualis. Intereà *dolores* exacerbantur, accedit *ſingultus*. Macie demùm confecta obiit.

Lacerum & eroſum invenitur peritoneum. Conſpiciuntur bini tumores meſenterio adnati, qui erant mera ſteatomata, diverſis materiebus ſcatentia, cum ſeri ſtagmantis copiâ. Pulmones denique lituris gangrænoſis erant maculati. HŒCSHTETTERUS.

OBS. 541. Exenterato cadavere virginis, cujus *venter*, dum viveret, *gemino tumore diſtendebatur*; inveniebantur in meſenterio duo ſteatomata, quorum alterum nullas putriditatis notas præ ſe ferebat; alterum verò ità pure vitiatum, ut non tantùm effuderit plurimum ſaniei & aquæ ſordidæ in cavitatem abdominis; ſed etiam exeſerit proximiorem uteri fundum. TULPIUS.

OBS. 542. In cadavere cujuſdam juvenis *tabidi* occurrunt pulmones ſanguine & humore deſtituti, coſtis, vertebris & diaphragmati maximè cohærentes. Cor occurrit exſuccum, ejuſque uterque ſinus ſanguinis expers. Hepar nonnullas corruptionis notas præ ſe ferebat. Lien erat exilis & aridus. Meſenterium verò tumoribus ſteatomatoſis, cartilagineæ duritiei, ſcatebat. BONETUS.

OBS. 543. Quædam virgo jampridem *menſium ſuppreſſione* laborabat; cùm ſenſim incidit in *febrem hecticam*, quæ maraſinum lethalem poſt ſe trahit.

Reſerato abdomine, deprehendebantur in meſenterio varia ſteatomata, à lymphâ craſſâ oriunda; prætereà reperiebatur in

MESENTERIUM.

ſiniſtro latere magnus veluti ſaccus, materiâ pituitoſâ, turbidâ & cruentâ repletus. BARBETTE.

OBS. 544. Cuidam juveni *excrevit abdomen* intrà biennium; in tantam molem ut crederetur hydrope aſcite laborare: ſed mortui ſectio exhibet ingens ſteatoma ponderis octodecim librarum, meſenterio adnatum; nullâ ſanè ſtagnante colluvie in abdominis cavo. TULPIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 535, 1025, 1572; Libr. IV. 173, 190.

## *Meſenterium ſtrumoſum.*

OBS. 545. Ancilla quædam ſponſa, antequàm nuptias contraheret, in morbum incidit, quo *venter* ſenſim *intumuit*. Gravida ab omnibus judicabatur: pertinaciter illa negabat; donec inter remedia hydropi dicata, migraret ad Superos.

Cadaver cultro anatomico, & examini ſubjectum exhibebat meſenterium tumoribus ſtrumoſis undique refertum; adeò ut eorum mole quaſi obrutum, vix eſſet conſpicuum. CAILLEUS.

OBS. 546. Puer duodeviginti annorum, poſt parentis obitum, in melancholiam incidit, quam brevi excipiunt *ſcrophulæ*, in collo conſpicuæ. Intereà accedit macies febre lentâ ſtipata, quâ tandem confectus, interiit.

Aperto cadavere, meſenterium innumeris glandulis obſitum apparuit, quarum nonnullæ inter majores, nucem juglandem mole æquabant. MANGOLT.

OBS. 547. In cadaveribus variorum puerorum qui *ſtrumis* extùs fœdabantur; meſenterium exhibebat tumores congeneres, avellanæ & nucis juglandis magnitudine; nonnullis pugni molem æquantibus; qui omnes materiâ quâdam gypſeâ, vel purulentâ, erant referti PARÆUS.

OBS. 548. Exenterato cadavere cujuſdam mulierculæ inter *ſcrophulas*

*ſcrophulas* extinctæ, deprehendebatur totum meſenterium ſtrumoſum, innumerabilibuſque glandulis tumidis, & diverſas materies recondentibus, ſcatens. SCULTETUS. MESENTERIUM.

Ad hanc ſeriem revocanda obſervatio Libr. II. 170.

## *Hydatides in meſenterio.*

OBS. 549. Quædam juvencula, altero poſt nuptias anno, cœpit variis torqueri *doloribus in imo ventre*, qui tantam nonnumquam ſævitiem exercebant, ut hinc ſequerentur lypothymiæ. *Venter* intereà in *tumorem* ſenſim *aſſurgebat*, perſiſtentibus doloribus. Dein cùm inter varia & opportuna præſidia meliùs ſe habere videbatur, ſubitò concidit *epileptica*; & ipsâ die obiit.

Exenterato cadavere reperitur totum meſenterium hydatidibus refertum; quarum major capitis infantis molem aſſequebatur; minores verò ad ovum gallinaceum acccedebant. HORSTIUS.

OBS. 550. In corpore cujuſdam virginis *hydrope* extinctæ deprehendebatur in meſenterio inſignis tumor viginti & ampliùs libras pendens; qui innumeris hydatidibus ſcatebat diverſæ magnitudinis; cum aquæ copiâ in abdomine ſtagnante, ob diſruptionem nonnullarum veſicularum. TULPIUS.

OBS. 551. Reſerato abdomine cujuſdam mulieris *hyſtericæ*, uterus inſons & planè inculpatus annotabatur: ſed meſenterium innumeris veſiculis refertum invenitur. WILLISIUS.

## *Meſenterii purulentia.*

OBS. 552. Vir intemperantiſſimus & hypochondriacus, nauſeâ continuâ & crebro *vomitu* conflictabatur. *Tumebat*, cum dolore, ſiniſtrum *genu*: cum erumpit *tumor circà pubem*, flatibus adſcriptus, & veſicæ orificium comprimens; qui quotidiano incremento ità augetur ut ſeſe ad umbilicum & latus ſiniſtrum

MESENTERIUM.

extenderet; cum nonnullâ ſpirandi difficultate. Procedente morbo & urgentibus doloribus contabeſcit; donec tandem, ſeptimo à morbi principio menſe, ad plures migraverit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, invenitur collectio materiæ purulentæ & fœtidæ inter duas meſenterii tunicas; quæ tanta erat ut occuparet majorem abdominis partem; & hepar ſuâ putredine afficeret. COITERUS.

OBS. 553. Mulier ſex & triginta annorum poſt diuturnos *ventris cruciatus*, *calculum* magnitudinem nucis juglandis ſuperantem, aſperum & inæqualem *per alvum ejecit;* quem dein minores eadem viâ ſæpiùs ſequuti ſunt: imò & per veſicam quoque, unà cum ſabulo copioſo, plures lapillos à prædictis minimè diſcrepantes excrevit. Tandem de atrociſſimo dolore lumbum dextrum, totumque crus occupante conqueſta, urinam albam & turbidam reddidit. *Vomitu* etiam & vigiliis continuis vexabatur; quibus tandem occubuit.

Meſenterium ingentem abſceſſum recondebat, continentem cum copioſo pure multos calculos, quorum tres majores amygdalæ magnitudinem ſuperabant. Pancreas etiam diſſectum majorem exhibuit calculum aſperum & inæqualem. MERCKLINUS.

OBS. 554. Quidam *febre* validâ corripitur. Circà decimum quartum morbi diem, *cruentæ* fiunt *dejectiones;* ità ut ſanguinem nigerrimum, corruptum, & peſſimè olentem, ad quindecim circiter libras excreverit, ad animi ſcilicet deliquium. Dein fæces conſperſæ erant ſanioſâ & ſanguinolentâ quâdam materiâ. Senſim tandem emaciatus circà ſexageſimum tertium morbi diem occubuit. Notandum quòd per totum ægritudinis tractum nuſquam de dolore ventris conqueſtus fuerit; nec venter intumuerit.

Examini anatomico ſubjectum cadaver exhibuit ingentem abſceſſum in meſenterio. DONATUS.

OBS. 555. In demortuis ſæpè deprehenditur meſenterium cum abſceſſu, vel ulcere ſordido; è quibus nunc *febres* acutæ cum *ſanguinis vomitu*, *dejectionibus cruentis* & lypothymiis; nunc *ventris tormina* acerbiſſima; nunc nauſeæ, *vomitus*, cachexia & atrophia; nunc *dolores colici* cum lotio purulento; nunc perpetuæ vigiliæ, animi deliquia, ſudores frigidi, &c. originem habuerunt. SENNERTUS.

MESENTERIUM.

OBS. 556. Quædum virgo incidit in *dolores*, *colicis ſimiles*, & acerbiſſimos; quibus ſociatur *febris cum rigore* crebrò recurrente. Fruſtrà variis tentatis præſidiis intrà paucos menſes maraſmo conſumpta obiit.

Diſſecto abdomine ingens puris copia, quâ meſenterium refertum & quaſi turgidum erat erupit. MERMANNUS.

OBS. 557. In cadavere cujuſdam *tabidi*, qui inter *dejectiones purulentas* obierat deprehenditur pulmo totus purulentus. Hepar erat exſuccum. Meſenterium pure diffluebat; atque inteſtinum colon ejuſdem tabis erat particeps. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 558. In cadavere cujuſdam melancholici & litterati, qui *obſtructis hæmorroidibus* continuò *per alvum materiam purulentam* excreverat; & etiam cum urinis; deprehendebatur meſenterium totum purulentum. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 558. (*a*) In cadavere mulieris juvenis quæ per ſeptem & viginti dies *ventris torminibus* conflictata erat, occurrit abſceſſus in meſenterio & colo, eâ potiſſimùm parte quæ fundo ventriculi ſubſternitur. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 559. Cadaver cujuſdam juvenis viginti annorum, *colico dolore* extincti, totum abdomen exhibebat pure repletum; atque integrum meſenterium purulentiâ deturpatum. WEPFERUS.

OBS. 560. Inter exenterationem variorum *doloribus colicis* ferociſſimis ſublatorum, ulcera deprehendebantur ſordida; & abſceſſus in meſenterio; ſalvis inteſtinis. SENNERTUS.

OBS. 561. In cadavere cujuſdam melancholici & *voraciſſimi*; *febre lentâ* crebris horroribus ſtipatâ extincti, erat colluvies purulenta inter duas meſenterii tunicas. BONETUS.

OBS. 562. Muliercula *ventris torminibus* enecata, exhibet in

MESENTERIUM.

meſenterio abſceſſum diſruptum; à cujus diffuſo pure inteſtina fuerunt eroſa & ſyderata. TULPIUS.

OBS. 563. In cadavere fœminæ multis abhinc annis *hydropicæ*, reperitur tumor prægrandis ſcirrhoſus in epigaſtrio; atque in meſenterio abſceſſus pure teterrimi odoris repletus. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 564. Secto quodam *aſcitico*, occurrunt inteſtina ſphacelata, & totum meſenterium purulentum. Hepar etiam abſceſſibus ſcatebat; & renes erant putridi. E MISCELLANNEIS CURIOSIS.

OBS. 565. In cadaveribus variorum tabidorum *bulimiâ* & *lienteriâ* denatorum, inſignem abſceſſum in meſenterio vidit BONTIUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 162, 330, 399, 407, 737, 741, 1712.

---

## *Meſenterium putridum & gangrænoſum.*

OBS. 566. In cadavere cujuſdam viri viginti quinque annos, plus minùs, nati, & *tabe* extincti, deprehenditur ſub lienem, tumor ſcirrhoſus propriâ membranâ incluſus, caput infantis magnitudine ſuperans; ità ut primâ fronte alter videretur ventriculus; meſenterio omnimodè conſumpto. Inteſtina omnia in dextrum latus devoluta apparuere. Glandulæ meſentericæ partim erant abſumptæ, partim ſcirrhoſæ. RUYSCHIUS.

OBS. 567. In cadavere cujuſdam pueri *tabidi*, decennis, omentum erat putre & prolapſum ad veſicam, tenaciter inteſtinis & peritoneo annexum. Occurrebat etiam meſenterium putrefactum & ferè conſumptum; potiſſimùm versùs os pubis; ubi maxima erat puris copia coloris æruginoſi. JOH. FORTIS.

OBS. 568. In cadaveribus variorum *cachecticorum* & *ſcorbuticorum*, inter cætera vitia, meſenterium præſertim friabile & malè

cohærens deprehenditur ; ità ut leviſſimo negotio pars à parte divelli potuerit. WARTHON.

MESENTERIUM.

OBS. 569. Inter ſectionem nonnullorum Indorum *bulimiâ* laborantium ; & *lienteria* extinctorum totum reperiebatur meſenterium ferè abſumptum, inteſtinis invicem cohærentibus. BONTIUS.

OBS. 570. In aliis benè multis, etiam Indis, qui dum viverent ſine cauſâ manifeſtâ *tabeſcebant*, occurrebant purulentia & abſceſſus in meſenterio. BONTIUS.

OBS. 571. In cadavere *hectici* inveniebatur meſenterium ſcirrhoſum & putridum, cum omento penitùs abſumpto, & copiâ aquæ ſubviridis in abdomine. TH. BARTHOLINUS.

Locum in hoc cenſu obtinent obſervationes Libr. I. 274, 390, 430, 454, 672. Libr. II. 387, 697. Vide inſuper *Viſcera putrida.*

---

## *Meſenterium aridum.*

OBS. 572. Quidam poſt multos & diuturnos dolores, tandem in *hydropem ſiccum* lapſus eſt ; quo pergente, ad ultimam rerum lineam ducitur.

Exenterato cadavere animadvertebantur glandulæ meſenterii planè tabidæ & aridæ. BALLONIUS.

OBS. 573. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam juvenis *atrophiâ* conſumpti, inventum fuit meſenterium ſiccum & induratum, & quaſi totum lapidoſum. PANAROLUS.

De hâcce læſione mentio ſubjicitur in obſervatione Libr. III. 70.

# SECTIO SEXTA.

## DE HEPATE.

### *Hepar exiguum & contractum.*

OBSERVATIO 574. E fœminâ ætatis undequinquaginta annorum, à tribus menſibus *hydropica*, educuntur quadraginta libræ aquæ limpidæ, ope paracenteſeos. Duobus elapſis menſibus ventris tumor alteram paracenteſim expoſtulat, quæ ſimilem aquæ copiam ſuppeditavit. Poſt quinque ſeptimanas ad tertiam operationem deveniendum fuit quâ prodierunt quatuor & ſexaginta aquæ libræ cum maximo levamine. Poſt quatuordecim dies cœpit languere, amiſſo appetitu. Dein *venter* celerrimè *intumuit*, cum pulſu debili, *reſpiratione anheloſa*, & extremorum frigiditate. Quarta inſtituitur paracenteſis & *pedes* paulò poſt fiunt *œdematoſi*; atque dexter *gangræna* corripitur, quam brevi ſequitur mors.

Reperiebatur in abdomine aqua fœtida & turbida. Omentum erat tenuiſſimum & ad fundum ventriculi convolutum. Hepar penitùs ſiccum, durum & rotundum, pugni magnitudinem vix æquabat. Veſicula quidem fellea, rigida & exſiccata, calculum albicantem recondebat. Clar. Storck.

OBS. 575. Vir quidam ſtudioſus, vino deditus & catarrhis obnoxius incidit in cibi faſtidium; quod excipiunt *ſopor* & *vertigines*, cum *colore* faciei *icterico*; lotio ſubflavo, nonnihil nigricante & fœtido. Accedit *diarrhæa* cum pulſu frequenti & exili. Tùm conqueritur de *dolore in ſcrobiculo cordis*, & *pectoris anguſtia*. Intereà perſiſtente febre lentâ, vires ſenſim deficiunt. Ingruit delirium obſcurum; accedunt denique convulſiones lethales.

Deprehenditur he ar exiguum & compactum, proximis partibus morboſè hærens. Cyſtis fellea bilis glutinoſæ uncias duas continebat. Meſenterium annotabatur ſcirrhoſum. Luſtrato capite occurrit major aquæ copia, intùs & extùs; cerebrum quaſi obruens. E Diario medico.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I 823, 993. Libr. II. 405, 698. Libr. III. 16, 36.

HEPAR.

## *Hepar ingens.*

OBS. 576. Quidam litteratus quinque & quadraginta annos numerans, atris curis confectus, in meram *hypochondriaſim* incidit. Caput dolore & torpore gravabatur, crebrò recurrentibus *vertiginibus* tactu percipiebatur *pulſatio in abdomine*, cum dolore circà limbum coſtarum ſpuriarum. Intereà de *abdominis cruciatibus*, paroxyſmorum inſtar invadentibus, anxiè querebatur, & ſe mori præ anxietatibus perpetuò exclamabat. Dein hæmorrhoïdum fluxus, hactenùs uberrimus, ſufflaminatur; exſurgit febris erratica; ingruunt motus convulſivi; ac mens obnubilatur. Poſt biennium tandem inter febris exacerbationem è vivis diſceſſit.

Luſtrato cadavere, hepar maximum & ſcirrhoſum deprehenditur. Vena portæ tantæ erat magnitudinis ut inteſtini faciem, haud ſinè adſtantium admiratione, præ ſe ferret. Lien etiam ingens occurrit, aliàs ſanus. Stomachus flatulentus ſaburrâ nigricante ſcatebat. Inteſtina demùm mirè diſtenta inflammationis & gangrænæ notas exhibebant. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 577. Quidam princeps *tumore* & ſummâ *duritie abdominis* per ſex annos laborabat. Accedit corporis *habitus œdematoſus*, cum nonnullâ ſpirandi difficultate, & *dolore in hypochondrio ſiniſtro*, verſùs ventriculum. Poſteà incidit in *diarrhœam cruentam*, nigricantem & fœtidam ſinè dolore; quam excipit *vomitus ſanguineo carnoſus*, unà cum ſanguine ſincero. Intereà viribus proſtratis, & pulſu ferè oblitterato, ſemimortuus quaſi jacet. Pluries recurrit vomitus, cum ſeceſſu ejuſdem naturæ. Omnia poſtremò benè ſe habere videbantur, & quædam affulgebat ſanitatis ſpes; cum ſubitò *febre acutâ* corripitur, quâ brevi ad plures mittitur.

Reperiuntur in abdomine quædam ramenta ab omento divulſa. Hepar ingens dimidiam ferè abdominis partem occupabat, & ad oſſis ilei cavitatem pertingebat; paſſim exhibens quaſdam putridatis notas. Lien ſcirrhoſus, lapidis duritiem in nonnullis locis aſſequebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 578. Mulier quadragenaria *duritiem in dextrâ ventris parte* diù tulerat, uſque ad os ilium, & infrà, deſcendentem cum

HEPAR. dolore à tactu. Siti interdùm torquebatur, ac de *ventriculi dolore* poſt paſtum, menſe antè obitum, querebatur, cum *difficili reſpiratione*. Poſtremò accedit *vomitus immanis*; dolor exacerbatur; & vitam cum morte commutavit.

Venter aquâ flavâ & amarâ plenus invenitur. Ventriculus in medio anguſtus duos ventriculos quodammodò repræſentabat. Hepar ingens, quaſi ad ventris fundum perveniebat. Inferior pars dura variis tuberculis, quorum nonnulla nucem avellanam æquabant, exaſperata; cum imminente putrefactione. Ac denique veſicula fellis craſſam & atram bilem continebat. VALSALVA.

OBS. 579. Quidam de *languore ſtomachi* perpetuò querulus, ſenſim extenuabatur, ob *impotentiam ſumendi alimenta*; quæ ſcilicet deglutita ad ſtomachum non poſſe pervenire videbantur. Tandem in *vomitum* atri humoris incidit, quem excipit *febris*, quæ brevi jam maraſmo confectum, illùc mittit undè negant redire quemquam.

Hepar mole maximum totum epigaſtrium occupabat, cum veſiculâ felleâ ampliſſimâ. Vix apparebat lienis veſtigium. Propulſus conſpicitur ventriculus ad regionem umbilicalem; cujus orificium ſuperius à ſuperincumbente hepate valdè comprimebatur, & quaſi ſtrangulabatur; atque hic erat obex qui deſcenſum alimentorum præpediebat. FONTANUS.

OBS. 580. Quidam *arthriticus* catarrho, cum capitis dolore & *vomitu* corripitur. His accedit mictus laborioſus. Excluſo calculo dolor fugatur, ſed remanet vomitus. Tum de *præcordiorum anguſtiâ* moleſtiſſimâ conqueritur: urgent anxietates; vires deficiunt: pulſus anteà debilis oblitteratur; & die vigeſimo quinto occubuit.

Deprehenduntur pulmones in anguſtum coacti, ob repulſum diaphragma ab ingenti hepatis mole, cujus alter lobus livore inficiebatur. Ren ſiniſter ulcus cavum & quaſi cancroſum exhibebat, nonnulloſque calculos recondebat. Prætereà veſica conſpiciebatur putrida & livida. SCHENKIUS.

OBS. 581. Vir inter magnates conſpicuus, jampridem variis ægritudinibus obnoxius; *vomitu* præſertim nauſeâ, *dolore circà inguina*, *cum mictu laborioſo* & ſtranguriоſo, laborabat. Intereà excluſo calculo evaneſcit dolor, & lotium liberè fluit. Sed perſiſtit vomitus; & ad ultimum fatum producitur.

Occurrit ingens hepatis moles quâ repellebantur diaphragma & pulmones. BONETUS.

OBS. 582.

OBS. 582. Quidam incidit in *dolorem lateris* dextri, paululùm ſuprà nothas coſtas, cum calore febrili, & inquietudine. Accedit *alvi fluxus* qui demùm in contrarium morbum faceſſit; & die decimo quarto obiit. HEPAR.

Secto corpore invenitur hepar ſubrubens, & portentoſæ magnitudinis, interiùs flaveſcens, & bili innatans. Pulmones præterea ſemi-putridi conſpiciebantur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 583. Puella ſexennis poſt lentam tabem *hypochondriorum dolore* querebatur. Appetitus planè deficiebat. Tandem viribus fracta, expiravit.

Reperiebatur hepar ingens, & ferè univerſum occupans abdomen; quod ventriculum adeò ad inferiora depreſſerat, ut quaſi ab œſophago videretur ſeparatus. Præterea pulmo ſiniſter erat ferè conſumptus. BARTHOLINUS.

OBS. 584. Puer decennis jamdiù *tuberculis* laborabat in diverſis partibus, è quibus ſuppuratis *ulcera* emergebant *fœtidiſſima*, cum oſſis corruptione. Poſt triennium ab initio morbi, urgente *febre* continuâ, macie confectus, convulſus tandem obiit.

Jecur occurrit maximum, & coſtis agglutinatum. Invenitur præterea abſceſſus juxtà dorſi vertebras ſuperiores, membranis ipſius ſpinæ obvolutus. RODERICUS A FONSECA.

OBS. 585. Fœmina quæ parùm comedebat, ob *anxietates* & *ſuffocationes* quæ poſt paſtum patiebatur; derepente obiit.

Jecur & ſplen inſignis erant magnitudinis; hinc anguſtia & compreſſio ventriculi. Vaſa inſuper ſanguine deſtituebantur, à crebris ejus amiſſionibus. BONETUS.

OBS. 586. Cadaver cujuſdam puellæ octodecim annorum, jamdiù *anhæloſæ*; ac *febre tertianâ continuâ* extincta, exhibebat hepar tantæ molis ut ad quintam pectoris coſtam pertigerit; ubi uſque adeò pulmones arctabat, ut reſpirationem difficilem redderet. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 587. In cadavere mulieris quadragenariæ, quæ ſæpiùs pepererat; modò ob *menſium ſuppreſſionem*, gravidæ fruſtrà habitæ; occurrit hepar ingenti molis; quod ſcilicet quadraginta libras pendebat. TH. BARTHOLINUS.

HEPAR.

OBS. 588. Cadaver cujuſdam *hæmorrhagiâ* immodicâ extincti; hepar ingens, pondo quindecim librarum exhibebat; quod diaphragma ultrà medium pectus propellebat, & totum ventriculum planè obtegebat. Pancreas inſuper, & meſenterium erant ſcirrhoſa. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 589. Reſerato abdomine cujuſdam viri qui per aliquot annos *ingenti ſtrumâ* juxtà imam inferioris maxillæ regionem laboraverat, patet hepar triplo majus ſolito; ac intùs foriſque innumeris glandulis, piſi fabæque magnitudinem æquantibus, refertiſſimum. GLISSONIUS.

OBS. 590. In cadavere cujuſdam mulieris *aſciticæ*, hepar tam immenſæ magnitudinis animadvertitur, ut hominum fidem ferè ſuperaret: ultrà enim dextri renis regionem protendebatur. Durum inſuper fuit, cum nonnullis putriditatis notis. HARDERUS.

OBS. 591. Luſtratis interaneis cujuſdam fœminæ, quæ dum viveret *ſpirandi difficultate* premebatur; conſpicitur hepar tantæ magnitudinis; ut ferè totum abdomen occuparet, ac diaphragma ſuâ magnitudine fortiter comprimeret. MARCHETTIS.

OBS. 592. In cadaveribus variorum puerorum *ſcrophulis* extinctorum; inveniebatur hepar mole maximum, & ſubalbicans; cum cyſti felleâ bile glutinosâ, ſimilem colorem referente, turgida. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 593. Inter eviſcerationem juvenis duodetriginta annorum, quem ſuſtulerat *hydrops aſcites*, in conſpectum veniebat hepar inſignis magnitudinis, in parenchymate denſum & exangue. Lien inſuper durus & ſiccus occurrit. HEURNIUS.

OBS. 594. Secto corpore cujuſdam *catarrho ſuffocativo* ſublati, hepar occurrit immenſæ molis, octodecim libras pendens. Folliculus fellis concretione biliari, ponderis unius unciæ replebatur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 595. Luſtrato cadavere cujuſdam fœminæ *edaciſſimæ*, inter graviditatem, *peripneumoniâ* extinctæ, deprehendebatur

hepar inſolitæ magnitudinis, ubique hypochondrio coëxtenſum; alias probè conſtitutum. ARGENTERIUS. HEPAR.

OBS. 596. In cadavere cujuſdam mulieris *corpulentiâ* obrutæ, quæ dum viveret *fame caninâ* laboraverat, annotabatur præter ſtupendam adipis copiam, hepar ſanguine turgidum, ac mole ineffabili. GEMMA.

His addere licet obſervationes Libr. I. 76, 218, 249, 406, 525, 526, 610, 655, 713, 727, 816, 866, 873 (*a*), 898, 904, 913, 915, 922, 956, 1011, 1023, 1027, 1631; Libr. II. 8, 17, 77, 125, 159, 303, 308, 362, 397, 417, 422, 428, 477, 518, 519, 678, 705, 885, 893; Libr. III. 222, 232, 342, 414; Libr. IV. 147.

---

## *Hepatis inflammatio.*

OBS. 597. Adoleſcens decimum octavum ætatis annum agens, florido gaudens corporis habitu, horrore & rigore corripitur, quos excipit *febris acuta*, *dolore* æſtuante & gravativo *in hypochondrio dextro* ſtipata. Facies pallore ſubviridi perfunditur: urgent *tuſſis & ſpirandi difficultas*, *tumente hypochondrio* affecto, cum renitentiâ. Intereà dolor lancinans ad cæteras abdominis partes propagatur, non ſecùs ac ad pectus. Abdomen in dies altiùs prominet: ingruit *ſingultus*: mens obnubilatur; & quinto morbi die ad plures migravit.

Luſtratis interaneis, reperiebatur hepar ingens & inflammatum, partibus vicinioribus ejuſdem mali conſortibus accretum. Major lobus abſceſſum diſruptum, & hiantem in abdominis cavo exhibebat; cum ſtagnante colluvie purulentâ & ſordidâ. Inteſtina inſuper etiam phlogoſi tacta, & nonnihil paſſim gangrænoſa conſpiciebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 598. Puer novennis, ſcabie diù infeſtatus, *febre* prehenditur continuâ, cum extremorum refrigeratione, *vomitu* immani & *alvi profluvio*; adeò ut à cholerâ parùm diſcreparet hic morbus; qui tantam ſævitiem exercet ut æger intrà quatriduum ad atrophiam quaſi deduceretur, quinto die ad libitinæ rationem ductus.

HEPAR.

Secto cadavere pulmones ſe exhibuerunt flaccidi & exangues; dexter verò coſtis & diaphragmati hærebat. Cor erat marcidum & rugoſum: pericardium aquâ deſtitutum. In abdomine peritonei & omenti nulla erant veſtigia. Meſenterium ſcirrhoſum. Hepar denique magnum nonnihil ſcirrhoſum circà extremos lobos gangrænâ infectum, à prægreſſâ inflammatione. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 599. Vir conſiſtentis ætatis incidit in *hydrophobiam*; adeò ut ne guttulam liquidi cujuſcumque poſſet deglutire; cùm tamen ſolida alimenta promptè per gulam demitteret. Tertio die à primo inſultu genuinâ rabie correptus eſt; ſalivâ uberrimè ex ore effluente, adſtantes conſpuebat. Quarto demùm die facto uno & altero corporis ſubſultu, ſubitò ſuffocatur.

Aperto corpore præter modum extenuato, omentum penitùs abſumptum reperitur. Hepar in parte concavâ inflammatum occurrit, cum imminentis gangrænæ notis. Ventriculi interior tunica putredine tacta videbatur. Luſtrato pectore pulmones ſe præbent exſicci, & coſtis undique adnati. Pericardium erat ſiccum; cum corde flaccido & extenuato. BRECHTFELD.

OBS. 600. In quâdam muliere annosâ *febris* erat aſſidua, nunc noctu exacerbationes habens, alternatim minores & majores in morem *ſemitertianæ*. Hanc comitabantur *anxietates*, calor acris circà præcordia; implacabiles renum dolores, & animi deliquia. Uno die quinquies vel ſexies rigebat, ſuccedente calore adurente, cum pulſu validiſſimo. Tandem vigeſimo ſeptimo morbi die occubuit.

Deprehendebatur hepar inflammatione correptum; & veſicula fellis novem continens lapillos ciceribus rubris duplo majores. Luſtrato pectore occurrit ſiniſter pulmo purulentiâ defœdatus. BALLONIUS.

OBS. 601. Quidam lacertoſus & robuſtiſſimus *febre* prehenditur, cum *dolore lateris dextri* acutiſſimo, *tuſſi* moleſtiſſimâ & ſiccâ, ac levi delirio, quod excipit genuina *phreneſis*, quæ brevi interitum poſt ſe trahit.

Hepar & diaphragma phlogoſi erant affecta. Inteſtina omnia bile tincta erant, non ſecùs ac cutis. Lien erat monſtroſus cum capſulâ craſſiſſimâ, partim cartilagineâ, ac ferè oſſeâ. Pulmo ſiniſter à contactu diaphragmatis nonnihil inflammatus occurrit. FANTONUS.

OBS. 602. Quidam juvenis in *febrem*, prævio horrore, incidit; quam concomitantur laſſitudo ſpontanea & dolor capitis gravativus. Intereà urget *vomitus*, quam brevi ſequitur *alvi fluxus*, primò bilioſus, dein cruentus. Pulſus erat debilis, cum frigore totius corporis, etiam ſub primis diebus. Quarto die efflorеſcunt *maculæ purpureæ*. Quinto ingruit *ſomnolentia*, quam preſſó pede ſequitur delirium, mortem poſt ſe trahens.

Vaſa cerebri ſanguine turgebant. Hepar inflammatum deprehendebatur. Simili læſione affectâ ventriculus & inteſtina, variis maculis lividis erant ſignata. CHIRACE.

OBS. 603. Juvenis ætatis viginti annorum *febre* quâdam epidemicâ laborabat, cum *diarrhœâ biliosâ* & ſiti inextinguibili. Die vigeſimo accedunt *animi deliquia*, quæ brevi comites habent convulſiones; quibus tandem exanimis concidit.

Reſerato imo ventre, ſat notabilis aquæ cruentæ copia invenitur. Occurrit jecur immenſæ magnitudinis & craſſitiei, imâ parte livens & niger; ac prægreſſæ inflammationis notas gerens. Cyſtis fellea omninò exhauſta deprehendebatur; cum inteſtinis flatu admodum turgidus. BONETUS.

OBS. 604. Juvenis quattuordecim annos natus, *bubone peſtilentiali* in inguine dextro corripitur; qui ſolitum incrementum minimè aſſequitur. Hinc delirium; & motus convulſivi lethales.

Secto cadavere deprehenditur cor duplo majus, cruorem atrum & craſſiſſimum continens. Pulmones maculis gragrænoſis infeſtabantur. Hepar partim inflammatum haud abſimiles maculas præ ſe ferebat. Veſicula fellis bile atrâ viridi ſcatebat. DEIDIER.

OBS. 605. In cadavere cujuſdam *febre* continuâ & *ardente* ſublati, ſe obtulit hepatis lobus orificio ventriculi, diaphragmati & nothis coſtis affixus; adeò ut nonniſi fruſtulatim avelli potuerit. Hæc hepatis portio ex inflammatione, quæ præceſſerat, nigricans obſervabatur. Reliquum verò hepatis inculpatum apparebat. PLATERUS.

OBS. 606. Cuidam *vulnus capiti* infligitur, cum fracturâ. Poſt perterebrationem emergit *icterus*, in facie & pectore præſertim conſpicuus. Intereà *difficilis* evadit *reſpiratio*, omniaque in pejus ruunt, donec undecimo die ad plures abierit.

HEPAR. Hepar erat tumidum & inflammatum, ſinè tamen purulentiâ & putredine. Cyſtis fellea atrâ & viſcidâ bile turgebat. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 607. Adoleſcens octodecim annorum, optimæ cæteroquin conſtitutionis, victui inordinato indulgens, incidit in *febrem* continuam cum *reſpirationis difficultate.* Cùm aliquandiù, nil proficientibus remediis, ægrotaſſet; *diarrhœâ* ſuperviente obiit.

Sectum cadaver exhibet hepar inflammatum. Pulmones etiam ſimili modo læſi annotantur. RUMLERUS.

OBS. 608. In cadavere pueri novennis *febre ardentiſſimâ*, intrà paucos dies extincti, inveniebatur hepar immenſæ magnitudinis, prorsùs ſanum, niſi quòd in extremis partibus eſſet à prægreſſâ inflammatione toſtum, nigrum & durum. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 609. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam *ſingultu* pertinaciſſimo antè obitum conflictati, deprehendebatur hepar tumens & inflammatum, cum compreſſo ventriculo. SAXONIA.

Inter affines recenſeri debent obſervationes. Libr I. 335, 819, 1048, 1645; Libr. II. 106, 128, 284, 449, 679, 774; Libr. III. 270. Vide etiam *Viſcera inflammata.*

## *Hepar obſtructum.*

OBS. 610. Mulier juvenis *dolore* & tenſione *in hypochondrio dextro* jamdudùm laborabat, cum in febrem tertianam notham; ac deinde in *affectum iliacum* incidit. Paulò poſt *paralytica* evadit; ſub quo rerum ſtatu integrum annum vixit; circà cujus finem, maraſmo confecta, de appetitu proſtrato, ſiti & *ventriculi ardore* querebatur. Tandem accedit alvi difficultas, quam brevi ſequitur lethum.

Inſtitutâ cadaveris ſectione animadvertitur hepar ingens & obſtructum; cum veſiculâ felleâ bile craſſâ & atrâ turgidâ. Prætereà ventriculus tumens colluvie viridi ſcatebat. BIANCHI.

OBS. 611. Vir quadrageſimum ætatis annum agens, de *hypochondriorum tumore* & obſtructione querebatur, cùm in *acutam febrem* incidit; pulmonum plhogoſeos ſignis ſtipatam, quâ intrà duodecim dies è medio tollitur.

HEPAR.

Luſtrato cadavere, deprehendebatur hepar amplum & obſtructum, durum & pallido-fuſcum. Lien verò erat duplo major quàm ſolet. Pulmo dexter plevræ annexus durus occurrit. Pericardium denique aliquot aquæ cruentæ cochlearia recondebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 612. Juvencula viginti quatuor annorum, per triennium laboraverat, nunc immodico menſtruorum fluxu; nunc *ventris torminibus*, vel *diarrhœâ* cum cibi faſtidio. Tandem in *leucophlegmatiam* incidit, quæ ſub finem vitæ, tuſſim cum ſputo nonnihil purulento poſt ſe trahit.

Exenteratum cadaver exhibet hepar obſtructione læſum, & ſublivido colore tinctum; cum pulmone multis ulcuſculis obſito. DIEMERBROEK.

OBS. 613. Quidam ſexagenarius obeſus, *difficili mictu* multos annos laboravit. Variæ fuerunt ſententiæ de cauſâ morbi, quam alii in veſicâ, alii in renibus collocabant: ſed exitus oſtendit omnes deceptos fuiſſe. Cùm enim *apoplexiâ* mortuus eſſet; in luſtrato cadavere nil animadvertitur vitii, nec in renibus, nec in veſicâ. Cætera viſcera etiam ſana deprehendebantur, ſi excipias hepar duriuſculum & obſtructum. HESSIUS.

OBS. 614. Quidam inſignem in utroque *hypochondrio*, ſed præſertim dextro, *tumorem febri* vehementi conjunctum, patiebatur. Procedente morbo, omnia in pejus ruunt & tandem quadrageſimo morbi die ad Superos migravit.

Reperitur hepar tumidum, induratum vel retorridum; & pumicis inſtar hiulcum. Pectus aquæ copiam continebat. CAR. PISO.

OBS. 615. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam mulieris *aſciticæ*, ob ſupreſſos menſes à mœrore; præter duodecim libras colluviei ſeroſæ in abdomine ſtagnantis, reperiebatur hepar durum & obſtructum; ſiccum & variegatum. BALLONIUS.

HEPAR. OBS. 616. In cadavere cujuſdam *febre tertianâ* laborantis; & inexpectato caſu ſublati, occurrit hepar durum & exangue. RUMLERUS.

In hoc ordine collocari debent obſervationnes Libr. I. 28, 126, 160, 350, 538, 876. Libr. II. 223, 231, 233, 306, 387.

## *Hepar ſcirrhoſum.*

OBS. 617. Vir quadrageſimum quintum ætatis annum agens incidit in *vomitum* frequentem, cum tenſione hypochondrii dextri. Poſteà magna perſentitur *durities* in abdomine; & præſertim in *hypochondrio dextro;* cum dolore in altero latere. Materia per vomitum rejecta erat fuſca, atra & varia. Interim accedit *febris* cum pulſu obſcuro & urinis velut ictericorum. Pedes dein tument: ingruit ſpirandi difficultas, & æger vivendi finem fecit.

Inter exenterationem cadaveris deprehendebatur hepar maximum, ſcirrhoſum & ſteatomatibus refertum. Veſicula fellis ſeptem calculos biliares recondebat. Lien erat perpuſillus: pancreas ità extenuatum cernebatur, ut deeſſe primâ fronte videretur. Sectus ventriculus exhibet interiorem faciem maculis nigris ſignatam; cum tumido & calloſo pyloro. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 618. Vir quatuor & triginta annorum *tertiana vernali* laborabat, quâ intempeſtivâ curatione fugatâ, deficit appetitus & accedit *obtuſus dolor* cum quâdam gravitate & duritie in *hypochondrio dextro.* Paulò poſt ſimili modo afficitur hypochondrium ſiniſtrum. Dien *venter & ſcrotum intumuerunt;* & œdema ſenſim per totum corporis habitum ſe extendit. Reſpiratio tùm fit anhæloſa; ingruunt cordis palpitationes, anxietates & lypothymiæ; ac demùm mors.

Magna aquæ ſubrubellæ & turbidæ copia fluctuabat in abdomine. Hepar erat ſcirrhoſum, & innumeris granulis duris & flavis compactum. Cyſtis fellea continebat liquorem albumini ovorum planè ſimillimum. Lien ſquamoſus & tenax, mole magnus tres libras pendebat. Pectus denique utrimque aquâ limpidiſſimâ ſcatebat. CLAR. STORCK.

OBS. 619. Bajulus conſiſtentis ætatis, inter attollendum gravius onus, moleſtiam ad lumbos ſentit; quâ ſenſim debilior evadit. Dein

HEPAR.

Dein ingruit *febricula*, quam concomitatur *intumeſcentia in ſcrobiculo cordis.* Abdomen intereà aquâ ſtagnante diſtenditur; ac demùm poſt duos circiter menſes, placidè migravit ad Superos.

Reſerato abdomine præter aquæ copiam; deprehenditur omentum retractum in hypochondrium ſiniſtrum. Ventriculus parvus & contractus conſpicitur; liene duplo majore quàm æquum eſſet. Hepar autem mole maximum univerſam & ſuperiorem ventris regionem occupabat: totum erat durum & tuberculoſum; necnon ichore quodam, quaſi purulento refertum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 620. Vir ſex & triginta annos numerans à *quartanâ* intempeſtivè *ſuppreſſâ* fit *aſciticus.* Variis incaſſùm tentatis, ſolitum incrementum ſumit hic morbus. Pulſus fit parvus & inæqualis; reſpiratio ſublimis & anxia; ſitis magna; ac venter tumidus & durus. Tandem vires planè deficiunt; & miſellus æger inter medias aquas ſitibundus, ſuffocatus interiit.

Stagnabat aqua copioſiſſima & ſubflava in abdomine. Occurrebat omentum fundo ventriculi retractum & tenuiſſimum. Hepar magnum & ſcirrhoſum ad duodecim libras accedebat. Lien durus & quaſi cæruleus quinque libras ponderabat. Inteſtina erant naturalia; ſolum colon in chordam contractum reperiebatur. CLAR. STORCK.

OBS. 621. Quædam mulier de *doloribus*, *duritie* & pondere *dextri lateris* perpetuò ferè conquerebatur. Quoties noctu ſupina dormiebat; toties largiſſimas *ſanguinis eruptiones è faucibus* experiebatur; haud ſinè ſuffocationis periculo. Tandem accedunt *vomitus* ingeſtorum, & deinceps *fæcum* alvinarum ſummè fœtentium. Inter quos diem ſuum miſerè obiit.

Luſtrato cadavere, inteſtinum ileum tres nodos exhibet, nulla intercapedine à ſe diſtantes; qui nil aliud erant quàm duplicaturæ inteſtini in ſe retracti. Hepar erat juſto majus, ſcirrhoſum & maculatum. WOLGNAD.

OBS. 622. Quidam *febribus tertianis* & continuis, ac *eryſipelatibus* obnoxius, extremo quinquennio *orthopnœâ*, *diarrhœâ* & ſtranguriâ vexabatur. Dein *tumore totius abdominis* corripitur, qui ſenſim in tantam molem excrevit, ut etiam umbilicum rumperet. Tandem viribus exolutis vitam cum morte commutavit.

Deprehendebatur abdominis cavum aquâ citrinâ, urinam referente, ultrà modum repletum. Hepar verò occurrit durum &

HEPAR.

album; liene parvo & albo. Luſtrato pectore, pulmones annotantur ampli & cor magnum. TRAFELMANNUS.

OBS. 623. Vir ſex & viginti annorum *ictero* per triennium laborabat. Erumpunt *tubercula*, verrucarum inſtar, *in dorſo & artubus* inferioribus. Durum erat hypochondrium dextrum cum dolore. Diſcuſſo colore icterico, omnia benè ſe habere videbantur; cùm recidivam patitur. Tum accedit *hydrops:* venter prominet, cum œdemate ſcroti, & artuum inferiorum. Pergente & increſcente malo, poſt plures menſes occubuit.

Præter ingentem aquæ copiam reperitur in abdomine jecur induratum & ſcirrhoſum; atque exſuccum, inſtar ligni putredine conſumpti. HORSTIUS.

OBS. 624. Quædam muliercula poſt vehementiorem *impetum*, à quodam ebrio, *in ſiniſtrum hypochondrium* illatum *dolorem* inibi atrociſſimum patiebatur. Prorumpit è parte læſâ *tumor* ad pugni magnitudinem. Dein protuberat totum abdomen: dolores exaſperantur & ad umbilicum propagantur. Intereà urgentibus mole, pondere, & doloribus; difficilis admodùm fit reſpiratio. Quibus perſiſtentibus contabeſcit ægra; ac demùm poſt octennium obiit.

Inciſo ventre exilit aqua putrida ad viginti quatuor libras. Occurrit in dextro hypochondrio folliculùs crinitus, vel quidam capillorum contextus mirè contortorum, & quaſi glutini junctorum. Hepar demùm ingens & ſcirrhoſum; & quaſi lapideum deprehenditur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 625. Vir quinque & triginta annorum, mero indulgens; *febre* corripitur continuà, cum *dolore lateris ſiniſtri.* Pluries celebratâ venæ ſectione, *intumuit* totum *abdomen*, cum urinis igneis. *Hypochondrium dextrum durum* & tenſum exploratur. Venter intereà in immenſum attollitur, cum ſcroti & crurum tumore œdematoſo. Lingua aſpera nigricabat. Celebratâ paracenteſi, detumuerunt venter, ſcrotum & crura; & omnia meliùs ſe habere videbantur, cùm inter ſalutis ſpem, interiit.

Reperiebatur hepar ſcirrhoſum & ità induratum, ut ligni naturam referebat. Inteſtina inſuper varias ſyderationis notas exhibebant. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 626. Quidam poſt *icterum* flavum contumaciſſimum, de

appetitu proſtrato querebatur. Deprehendebatur durities manifeſta in regione hepatis. *Abdomen* flatuum copiâ *tumebat;* & urgebat *aſthma* moleſtiſſimum. Tandem perſiſtente, & increſcente morbo, fatis conceſſit. HEPAR.

Ultrà triginta libras aquæ recondebat abdomen. Occurrebat hepar ſcirrhoſum, flavum & exſangue. Folliculus fellis bile craſſâ & viſcidâ, cum lapillo, repletus annotabatur. Latitabat demùm vomica in pulmone. WEPFERUS.

OBS. 627. Quædam virgo variis ægritudinibus jampridem obnoxia; præ *hypochondriii dextri pondere*, *tumore*, & inæquali duritie, vix ambulare poterat. Tandem reſolutis viribus ad Superos migravit.

Secto corpore inventa eſt maſſa carnea & ſcirrhoſa in regione hepatis uſque ad umbilicum extenſa; quæ extracta ſex & triginta libras ponderabat. Hepar nullum occurrit. In ſubſtantiâ internâ maſſæ duo magni abſceſſus reperiebantur. (Quid hinc ſit intelligendum nemo non videt.) ZACUTUS.

OBS. 628. Vir quinquagenarius jamdudùm *aſcite* laborans, cum artubus inferioribus œdematoſis: aquâ abdominis, paracenteſeos ope, pluries eductâ; tandem febre, ſopore lethargico ſtipatâ, corripitur. Viribus obrutis quarto morbi die ad Superos migravit.

Præter laticem in abdomine ſtagnantem, hepar ſe præbet extùs tuberculoſum, & intùs durum & ſcirrhoſum. Epiploon putridum & ferè abſumptum deprehenditur. Inteſtina putredine defœdata, odorem teterrimum ſpargebant; & ideò ulteriùs ſcrutinium prohibuerunt? E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 629. Fœmina, ætatis quadraginta annorum, *hydropica*; paracenteſi amiſit ſexaginta circiter libras aquæ ſubrubellæ & glutinoſæ, cum levamine: poſteà difficilè decumbit in latus ſiniſtrum. Epigaſtrio inæqualiter protuberante, totius ventris tumor in dies crevit; & bimeſtri ſpatio interiit ægra.

Abdomen explebat plurima aqua. Hepar occurrebat omninò ſcirrhoſum, & ſiniſtro lobo ſuo inſtar farciminis productum, & ſpleni accretum. Latus thoracis dextrum colluviem ſeroſam etiam recondebat. CLAR. DE HAEN.

HEPAR.

OBS. 630. In cadavere cujuſdam matronæ *ulcere cancroſo* in mammâ ſiniſtrâ extinctæ occurrebant ventriculus & inteſtina portentosè inflata, & aquâ turgida. Jecur erat durum, ſcirrhoſum, & quaſi lapideum; integrè labefactatum. Lienis veſtigia quædam putrida annotabantur. Uterus demùm materiam albam concretam, duriſſimam, & quaſi lapidefactam continebat. GARNERUS.

OBS. 631. Paupercula diù geſtabat *tumorem in hypochondrio dextro*. Tandem *hydrope* correpta brevi extinguitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, reperitur abdomen ſtupendâ aquæ citrinæ copiâ diſtentum; cum omento planè abſumpto. Hepar verò non ſolùm in ſcirrhum mutatum; ſed in lapideam quaſi duritiem converſum deprehendebatur: nam ſparſim concreverant in ipsâ ſubſtantiâ lapilli, fabæ magnitudine. FORESTUS.

OBS. 632. Quinquagenarius *ſcorbuticus*, febribus vagis aliquandiù laborans, de appetitu proſtrato; & intenſiſſimo *ventriculi dolore* querebatur. Accedit vomitus pertinaciſſimus, donec tandem victus malo fatis conceſſit.

In eviſceratione hæc notantur: tota ſcilicet interior ventriculi facies rubicunda, & tantùm non excoriata. Hepar erat ingens & duriſſimum, ac circà veſiculam fellis nigricans. Lien grandis & durus. In meſenterio demùm non procul à pancreate, cyſtis quædam ſero repleta. BARTHOLINUS.

OBS. 633. Quædam mulier annoſa, *à ſuppreſſo fluxu fiſtulæ* quam jamdudùm geſtabat *dolore in hypochondrio dextro* corripitur; cum ciborum faſtidio & *vomitu* interdùm bilioſo. Intereà hypochondrium dolens in inſignem *tumorem* ſenſim attollitur. Ingruit *icterus* quem concomitantur gravia & varia ſymptomata, quæ tandem ægram è medio tollunt.

Stupenda conſpicitur hepatis ſcirrhoſi moles; quatuordecim enim pendebat civiles libras. Occurrit inſuper in meſenterio tumor quidam ſarcomatoſus, caput infantis magnitudine æquans. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 634. Juvenis viginti quatuor annorum *tumido epigaſtrio* per quadriennium laborans, tandem acutè decumbere cœpit. Die *febris* quinto deliravit; ac nono obiit.

Occurrit jecur monſtroſæ molis, & pluribus veluti ſcirrhis

obſeſſum; recondenſque cyſtim plures lymphæ menſuras continentem; præter alios loculos paſſim in ejus ſubſtantiâ ſparſos, & humore diverſæ ſortis repletas. CLAR. HAZENHORL. HEPAR.

OBS. 635. Cuidam quinquagenario *venter* maximè *tumebat*, cum cruribus non nihil œdematoſis. Ulteriùs protuberante abdomine emergit *ſpirandi difficultas*. Humor diù effluxit ab ſcroti vulnere, quod dein coaluit. Exſurgit *febris*, præcipuè ſub veſperam. Lien tumidus tactu deprehenditur. Jecur non poteſt ſentiri, quoniam ferè totum coſtis tegitur.

In mortui cadavere deprehenditur hepar ſcirrhoſum & duriſſimum; & lien haud abſimili modo læſus. GUARINONIUS.

OBS. 636. Quidam juvenis, potator ſtrenuus, incidit in *icterum*; qui demùm *aſcitem* poſt ſe trahit. *Hypochondrium dextrum durum*, & tumidum deprehendebatur. Procedente morbo cum ſolitis incrementis; tandem fatis ceſſit.

Inſtitutâ cadaveris diſſectione, præter ingentem in abdominis cavo aquarum colluviem; in conſpectum veniebat hepar duriſſimum, & ſcirrhoſum; atque flavedine tinctum. BONETUS.

OBS. 637. Vir conſiſtentis ætatis *dolore in epigaſtrio* & *vomitu* nullâ arte ſedando, decem abhinc menſibus conflictabatur. Procedente morbo, & in pejus ruente; morte jam inſtante *evomuit* haud ſine ſummis cruciatibus, & intolerabili *cardiogmo*, meræ bilis porraceæ tres quatuor libras.

Reſerato abdomine reperiebatur hepar mole maximum, ſcirrhoſum, & atro virore totum luridum. CAR. PISO.

OBS. 638. Quidam à pluribus menſibus *febre* lentâ laborabat, cum ſiti & *vomitu contumaciſſimo. Hypochondrium dextrum tumidum* & tenſum explorabatur. Senſim increvit in ingentem molem prædictus tumor; donec ad plures abierit æger.

Mira erat muſculorum abdominalium extenuatio ſuprà corpus hepatis, vix apparente veſtigio fibrarum carnearum. Ingens hepar totum ſteatomatoſum reperiebatur, albicans ſcilicet, compactum & durum. FANTONUS.

OBS. 639. Quidam miles, poſt febrem tertianam, *ictero* prehenditur. Accedit *febris continua*, cum *dolore in hypochondrio* dextro. ngruit poſtremò affectus comatoſus, qui brevi lethum accerſit.

HEPAR. Inciſo cadavere occurrit hepar durum & ſcirrhoſum. Omnia viſcera colore luteo erant infecta, haud excepto cerebro, cujus vaſa inſuper ſummè dilatata conſpiciebantur. DEZON.

OBS. 640. Quidam *ictero* defœdatus, anxiam vitam inter mortem & inædiam trahebat. *Vomitu* perpetuo tandem fractus occubuit.

Invenitur hepar mole maximum & ſcirrhoſum; ac eâ parte quâ renum regioni vicinius erat, rubens & quaſi ſphacelo correptum. Veſicula fellis amurcâ quâdam argilloſâ ſcatebat. Lien erat ſcirrhoſus, non ſecùs ac pancreas. Pulmones demùm ſemiputridi conſpiciebantur. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 641. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam juvenis *ventris torminibus*, & *tabe* extincti, in conſpectum veniebat hepar duriſſimum, ac mole maximum; quod accurato examini ſubjectum exhibebat mille minutos abſceſſus, materiâ quâdam durâ, albâ & quaſi purulentâ & exſiccatâ repletos. Nec immunis erat lien ab eodem malo. Pulmo erat verſicolor, aliàs ſanus. BORRICHIUS.

OBS. 642. Secto cadavere cujuſdam virginis *cachecticæ*, inter *febrem continuam*, & *bilioſam* extinctæ, reperiebatur abdomen ichore fœtido repletum; cum omento putrefacto. Hepar verò ſcirrhoſum occurrebat, & lien ſimili modo afficiebatur. Cor inſuper duplo majus continebat circà valvulas dextri ventriculi calculum ex tartaro concretum. HORSTIUS.

OBS. 643. In cadavere cujuſdam vetulæ *hydrope aſcite* extinctæ annotabatur omentum putridum ac penè conſumptum. Hepar conſpiciebatur ſcirrhoſum cum ſuperficie aſperâ. Lien puſtuloſus, cum pancreate ſolito duriore & grandinoſo. Pericardium aquâ erat deſtitutum; cor verò adeò vaſtum, ut longitudine & latitudine ſuperaret bovinum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 644. Reſerato abdomine cujuſdam militis, qui poſt *graviſſimam dyſenteriam*, in *hydropem* febre ſtipatam inciderat, inveniebantur pulmones coſtis hærentes, cum variis gangrænæ notis; & ſero ſubcruento innatantes. Hepar verò ſcirrhoſum animadvertitur, cujus veſicula fellea erat ferè inanis; cum majori aquæ copiâ in abdominis cavo. LAUBIUS.

OBS. 645. Vir quidam quinquaginta circiter annorum, poſt varias ægritudines à quatuor menſibus *inſigni tumore hypochondrii dextri* apprimebatur; adeò ut cathedræ toto eo tempore inſidere, & dormire cogeretur, vel uſque ad obitum. HEPAR.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat hepar maximum & ſcirrhoſum; unà cum liene in tabem verſo. Nec deerat colluvies ſeroſa in abdomine. CAR. PISO.

OBS. 646. Fœmina per ſeptem annos de *alvo ſiccâ* querebatur; & nonniſi ingentibus conatibus fæces albicantes deponebat. Erumpunt dein *puſtulæ* per totum corporis habitum, quæ numeroſiores proſtabant *circà regionem hepatis*, cujus durities tactu percipiebatur. Tandem febre hecticâ conficitur.

Occurrit hepar mole maximum & ſcirrhoſum, cum veſiculâ fellis in ſeſe collapsâ, & ferè totâ conſumptâ. KERCKRINGIUS.

OBS. 647. Quidam poſt numeroſiſſimas venæ ſectiones, inter *febrem continuam* celebratas, in *hydropem* incidit. Progrediente morbo, *mictu* tandem *ſanguinis* corripitur, quo brevi illùc mittitur undè negant redire quemquam.

Secto cadavere hepar ſcirrhoſum & tuberculoſum deprehenditur; cum uberrimâ aquæ copiâ in abdominis cavo; cæteris viſceribus ſanis. E DIARIO MEDICO.

OBS. 648. Quidam per quinque menſes *ictero nigro* laborabat; cùm tandem poſt virium lapſum è medio tollitur.

Inter exenterationem abdominis patet hepar ſcirrhoſum, ligni inſtar durum; atque tartareis, & quaſi aſſatis humoribus infarctum; cum veſiculâ felleâ planè vacuâ. Omentum verò erat putrefactum. MOLLENBROCCIUS.

OBS. 649 Vir quadrageſimum quintum annum agens, inter ſummam annonæ difficultatem, *ictero* corripitur; quo intrà menſem occubuit.

Inveniebatur hepar totum ſcirrhoſum; & veſicula fellis prorsùs inanis. Grandulæ meſentericæ erant induratæ; & ſtagnabat in abdomine major aquæ copia. E DIARIO MEDICO.

HEPAR.

OBS. 650. Quidam per multos annos *morbo regio* laboraverat; cùm ſubito è bilis in ventriculum miro confluxu expiravit.

Reſerato abdomine, inveniebatur hepar durum, magnum & quaſi viride. Lien verò erat etiam ingens; ſed mollis. VESALIUS.

OBS. 651. In corpore bimuli *diarrhœâ*, *atrophiâ*, aliis gravibus ſymptomatibus defuncti, inveniebatur hepar ingens, albicans & durum. Inſuper veſicula fellea bile ex nigro-viridi turgebat; qualis ſubinde majori proventu per alvum excernebatur. BONETUS.

OBS. 652. Luſtratis cadaveribus nonnullorum qui à *morbo regio* in *hydropem aſcitem* delapſi erant, in apricum veniebat hepar ſcirrhoſum, & adeò durum, vel lapillis adeò plenum, ut novaculâ vix præſcindi potuerit. BENIVENIUS.

OBS. 653. In cadavere mulieris quæ jamdiù de *tumore & dolore in hypochondrio dextro* querebatur, hepar ſeſe obtulit, magnitudine tantâ, ut vix credi poſſit. In hoc hepate ſciſſuræ hiabant variæ ſatis longæ & profundæ. Ejuſque ſubſtantia erat ſcirrhoſa & tuberculoſa. EX INSTITUTO BONONIENSE.

OBS. 654. Inter ſectionem cujuſdam *hydropicæ*, in conſpectum veniebat hepar magnum, durum & ponderoſum; parte ſiniſtrâ craſſâ, rotundâ & albidâ. Ejus ſubſtantia tota erat ſcirrhoſa. Abdomen & pectus ſeri copiam continebant. Pulmones variis maculis lividis erant conſperſi. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 655. Quidam helluo, quotidie inter potationes & comeſſationes vitam degens, tandem *hydrope* corripitur; & periit.

Hepar in tantam molem excreverat, ut univerſam ferè diaphragmatis cavitatem repleret, tàm in dextrâ, quàm in ſiniſtrâ parte; cum ſummâ duritie. PANAROLUS.

OBS. 656. Secto corpore cujuſdam *hydropici* conſpiciebatur hepar induratum, ſcirrhoſum & quaſi calloſum; ac pluribus tuberculis

berculis ſcatens. Lien etſi ſanus erat triplo major; quàm aliàs eſſe ſolet. SALTZMANNUS. HEPAR.

OBS. 657. Luſtratis interaneis variorum *ictericorum*, hydrope *aſcite* extinctorum, occurrit hepar mole majus, durum & ſcirrhoſum; cujus ſubſtantia tuberculis lapideis ſcatebat. DODONÆUS.

OBS. 658. Cadaver mulieris *aſciticæ* cultro anatomico ſubjectum exhibebat hepar omninò durum, & colore ſubpallido; perindè ac ſi coctum fuiſſet; cujus ſubſtantia tota erat granuloſa. POSTHIUS.

OBS. 659. In cadavere cujuſdam *tabidi*, præter pulmones exſuccos, reperiebatur hepar ſcirrhoſum, cum pancreate duro. Erat etiam colluvies ſeroſa in pectore, & abdomine ſtagnans. BLANCARDUS.

OBS. 660. Luſtratis interaneis cujuſdam multis abhinc annis *aſcitici*, deprehendebatur præter ingentem aquæ copiam, hepar totum ſcirrhoſum, cum vaſis lymphaticis in ejus ſuperficie conſpicuis. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 661. Reſerato abdomine mulieris *aſcite tympaniticâ* ſublatæ, præter ingentem ſeri copiam, occurrunt hepar & lien ſcirrhoſa; cum inteſtinis corruptis. VERZASCA.

OBS. 662. Sectum cadaver pueri ſeptennis, *hydrope* ſublati, hepar viſendum ſe præbet tumidum, durum, & ſcirrhoſum. BLASIUS.

In hanc claſſem revocandæ ſunt obſervationes Libr. I. 10, 12, 14, 38, 93, 119, 231, 250, 259, 342, 424, 468, 709, 851, 867 (*a*), 1016, 1029, 1081, 1121, 1205, 1286, 1383, 1638, 1701, 1769; Libr. II. 135, 150, 178, 190, 253, 326, 356, 366, 425, 547, 565, 613, 663, 675, 845, 856, 894, 898; Libr. III. 548; Libr. IV. 171. Vide etiam *Viſcera ſcirrhoſa*.

*Hepar tuberoſum.*

HEPAR. OBS. 663. Vir ſexagenarius jamdudùm cachecticus & aſthmaticus ſenſim in *hydropem aſcitem* incidit : venter ſcilicet ultrà modum tumebat cum fluctuatione manifeſta. Crura erant œdematoſa, & urinæ lateritiæ parcè fluebant. Nihil proficientibus remediis, ad paracenteſim devenitur, quâ educuntur viginti libræ aquæ ſaponaceæ. Pluries intereà celebrata hac operatione, venter complanatur, & fugatur œdema cutis. Dein elapſis viginti circiter diebus, cum æger benè ſe habere videbatur, & omnia fauſtum exitum pollicebantur; febre quaſi ſubito corripitur; & poſt triduum ultimo die conflictatur.

Luſtrato cadavere nullam læſionem conſpicuam præ ſe ferebant epiploon & inteſtina; ſed totum hepar tumidum, ſcirrhoſum & tuberculis obſitum deprehendebatur. Prætereà pulmones nonnihil infarcti plevræ & diaphragmati hærentes occurrebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 664. Virgo triginta annorum, per integrum biennium, *hæmorrhagiâ narium* laborabat, ſola venæ ſectione compeſcenda. Poſteà, menſibus inordinatè fluentibus, incidit in cachexiam & *hydropem.* Urget tuſſis ſicca, cum nonnullo ſputo fœtido; & de *dolore in regione hepatis* queritur. Evomit bilem praſinam & corruptam, cum vermibus. Tum exſurgit *febris mali moris*, delirio, vigiliis & ſiti inexplebili ſtipata. Hanc ſequuntur faciei dextri lateris reſolutio; dolor & æſtus in latere ſiniſtro pectoris & hypochondriorum; difficilis in utrumque latus decubitus, cum urinis ſubnigris. Tandem occubuit.

Deprehenditur vena umbilcalis ſanguine turgida, & varicoſa. Hepar erat durum, tuberoſum & exangue. Thoracis capacitas dextra erat aquâ ſubnigrâ & fœtidâ plena. Occurrunt demùm pulmones corrupti & nigri. COITERUS.

OBS. 665. Vir quidam melancholicus habitu corporis ſqualido & ſtrigoſo, *alvo adſtrictâ* laborabat. Lotium erat ſaturatè rubrum vel bilioſum : *ſputatione cruentâ* ab eroſione gingivarum per aliquot annos afficiebatur; cum ructibus crebris & dejectionibus nonnunquam cruentis. Intereà œdematoſè *tument venter & artus* inferiores : quibus ſic ſe habentibus erumpit *vomitus ſanguineus* cum

dejectionibus picis inſtar nigris; quo per triduum ſæviente; viribus conſumptis, tandem naturæ debitum perſolvit.

HEPAR.

Ventriculus & inteſtina nigricantia ſeſe offerebant, atramento quaſi ſutorio, intùs oblinita. Jecur deprehendebatur ſcirrhoſum, intùs & extùs tuberoſum. Lien occurrit triplo major quàm ſecundùm naturam eſſe ſolet; aliàs optimè ſanus. Meſenterium denique erat etiam tuberoſum, & craſſum, vaſis ſanguineis quaſi oblitteratis. HORSTIUS,

OBS. 666. Cuidam tuſſi & deſtillatione laboranti erumpit *tumor infrà cartilaginem enſiformem*, qui durus ſenſim augetur; ac poſt ſe trahit *cachexiam*, cibi faſtidium & *vomitum*. Moleſtiſſima dein fit tumoris moles, cum virium defectu. Aperto tumore prodeunt plurimæ veſicæ, partim diſruptæ, partim integræ, & aqua turgidæ, quarum majores ad ovum columbinum accedebant. Cum prædictis folliculis emanabat humor craſſus, ſevi inſtar concretus. Exierunt, pluribus vicibus ultrà trecentæ veſiculæ. Vigebat febris lenta, cum atrophiâ; ac poſt plures menſes, viribus exolutis, macie confectus æger obiit.

Aperto cadavere reperiebatur in hepate, ſolito grandiori, abſceſſus plenus ſuprà memoratis veſicis, & materia putrida circumdatus. Similiter in pulmonibus adhuc major occurrebat abſceſſus, continens materiam putrem. CAMERARIUS.

OBS. 667. Vir ſexagenario major à juvenili ætate *epiplocele* laborans in cibi faſtidium incidit cum imminente macie. Alvus nunc erat adſtricta, nunc ſoluta cum dejectionibus purulentis & fœtidiſſimis. Parcior erat urinæ flammeæ proventus. Intereà duobus menſibus antè obitum de *pondere circà ſtomachi regionem* queritur; cum inſolito herniæ incremento; & flatulentia moleſtiſſima. Tùm vigiliis vexatur, cùm pulſu valido, ſed lento. Viribus tandem fractis migravit ad Superos.

Epiploon in ſcrotum delapſum teſti ſiniſtro hærebat. Stomachus à genuinâ ſede quaſi detractus umbilicum attingebat. Hepar verò mole maximum tumoribus ſteatomatoſis intùs & extùs ſcatebat, in parte infima nonnihil exulceratum. Pancreas denique ſcirrhoſum occurrit. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 668. Quædam vidua *febre* laborans à multis menſibus decumbebat. *Tumor* percipiebatur in *abdomine*, *versùs umbilicum*, ad dextram partem inclinans; iſque durus abſque dolore, niſi

HEPAR.

cùm premeretur. Dolores lateris nonnunquam pleuritidem mentiebantur. Tandem magis intumuit abdomen; & hydropica facta eſt; ac paulò poſt ſuffocata interiit.

Reſerato abdomine, inventum eſt hepar tumoribus ſcirrhoſis, magna ex partè ſuppuratis refertum; in cujus extremo adnati erant duo tumores cancroſi, uſque ad umbilicum prominentes, & pugni magnitudinem æquantes. Totum hepar viginti libras, & ampliùs pendebat. RIVERIUS.

OBS. 669. Vir trigeſimum ætatis annum agens, poſt caſum, *dolorem* perſenſit gravativum *in hypochondrio dextro*. Poſt plures menſes, perſiſtente morbo, crura fiunt œdematoſa; & *abdomen* ſenſim *prominet*. Ingraveſcente morbo deficit appetitus; urget ſitis; proſternuntur vires, & decumbere cogitur æger. Dein inſignem materiæ ex atro-liveſcentis copiam per alvum excrevit, quaſi hepar diſſolutum fuiſſet; ac poſtridiè obiit.

Deprehendebatur in ventriculo amurca materiæ excretæ ſimilis. Circà veſiculam fellis hepati hærebat ſteatoma nucem juglandem magnitudine ſuperans; præter aquæ copiam in abdomine ſtagnantem. SCHROKIUS.

OBS. 670. In cadavere cujuſdam *ſcorbutici* quinquaginta annos nati, qui inter cætera ſymptomata, de *dolore* quodam gravativo *in hypocondrio dextro tumente*, perpetuò conquerebatur, in conſpectum venit hepar durum & quaſi lapideum; ac variis tuberculis exaſperatum. Nil vitii præ ſe ferebat lien. Obvium erat meſenterium ſemi-putridum. Inteſtina demùm flatu præter modum diſtenta varias gangrænæ notas exhibebant. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 671. Virgo quinque & triginta annorum, integro biennio antè mortem, copioſiſſima *narium hœmorrhagiâ* laboravit, quam excipit *cachexia* cum imminente *hydrope*. Menſes erant inordinati. Sentiebat *dolores* & punctiones in regione *hepatis*. Bilem praſinam & corruptam evomebat, uſque ad obitum.

Cadaver exenterationi traditum oſtendit hepar album, tuberoſum, inæquale, durum & exangue COITERUS.

OBS. 672. Quædam mulier *ventris cruciatu* per intervalla torquebatur. Accedit tandem immanis paroxyſmus, quo viribus jam deficientibus, macie confecta extinguitur.

Conſpiciebatur tumor adnatus hepatis cavo, ovum anſerinum magnitudine æquans, qui proprio folliculo materiam adipi concretæ ſimilem continebat; verum ſcilicet ſteatoma. VELSCHIUS.

HEPAR.

OBS. 673. Secto cadavere fœminæ *anaſarcâ* laborantis; ſequentia erant notanda. Præter aquam ſubflavam & fœtidm, in abdomine contentam; peritoneum, omentum & inteſtina parvis ſcrophulis durioribus inquinata, inflammata, & muco obſita, inveniebantur. Hepar verò ſcrophulis ſcatebat, quæ materiam albicantem & tophaceam continebant. Pulmones nonnihil erant inflammati. RAYGERUS.

OBS. 674. In cadavere viri triginta annorum, qui dum viveret, *diarrhœâ pertinaciſſimâ* laborabat; occurrit tumor amplus, atheroma dictus, in gibbâ hepatis parte ſitus, juxtà venam cavam & poſticam diaphragmatis regionem. Pugni molem propè modum adæquabat prædictus tumor globumque quaſi mentiebatur. GLISSONIUS.

OBS. 675. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam matronæ, quæ pluribus abhinc annis, *tumorem* durum, oblongum, & ad tactum renitentem, geſtabat, *circà mucronatam cartilaginem*, in conſpectum veniebat tumor oblongus, inſtar pyri, parti convexæ hepatis adnatus. BONETUS.

OBS. 675. (*a*) In cadavere viri qui per aliquot annos *ingenti ſtrumâ*, juxtà imam inferioris maxillæ regionem, laboraverat, reperiebatur hepar intùs foriſque innumeris glandulis, piſi vel fabæ magnitudine, refertiſſimum, pituitam quamdam gypſeam recondentibus. GLISSONIUS.

OBS. 676. Reſerato abdomine cujuſdam ancillæ *hydrope* extinctæ, occurrit hepar, unâ parte malè affectum, fungum veluti adnatum habens, qui materiam concretam continebat. Lien quoque erat læſus & totum abdomen ſero replebatur. PLATERUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 275, 520, 1225, 1577; Libr. II. 842; Libr. IV. 145.

## *Hepar tuberculoſum.*

HEPAR.

OBS. 677. Viro quadraginta annos nato, poſt varias ægritudines, *venter intumuit.* Congruâ curatione fugato hoc morbo, accedit *diarrhœa*, cum ſiti, & lotio intensè ſaturato; quæ intrà plures annos varias remiſſiones ſubit; interdùm recurrente ventris prominentiâ. Poſteà aſſiduo & moleſtiſſimo tumore tendi cœpit abdomen, & artus inferiores fiunt œdematoſi. Urinæ minguntur paucæ & flammeæ; cum ſiti intensa. Tandem obiit.

Inter exenterationem cadaveris annotabatur abdominis cavum aquæ fœtidæ ac viridi-flavæ copiâ diſtentum. Huic latici innatabant fruſta omenti putrida. Hepar conſpicitur induratum & tuberculis ſummè conſpicuis ſcatens. Ventriculus, inteſtina & meſenterium maculis nigricantibus defœdabantur. Reperitur demùm in utroque thoracis latere colluvies ſeroſa; ſed parcâ copiâ. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 678. Vir octo & triginta annorum, à quinque jam annis valetudine admodùm infirmâ, ab integro ſemeſtrio decumbebat, lento conſumptus igne, cum *tuſſi* & *ſpirandi difficultate.* His ſuperveniunt *cordis anxietates*, & lypothymiæ quibus fatum acceleratur.

Reperiebantur omentum putredine partim abſumptum; hepar vicinioribus partibus morbosè hærens, grandinibus miliaceis, tophoſis & albidis intùs & extùs conſpectum; cum ſtagnante aquâ ad libras quinque. Prætereà pericardium craſſiſſimum ſeri glutinoſi libram unam continebat; corde concretionibus polypoſis infarcto. Pulmones demùm tuberculis ſcirrhoſis ſcatebant. MANGETUS.

OBS. 678. (*a*) Lanio poſt caſum ab equo, ſanguinem floridum per tuſſim aliquoties rejecit. Ab hoc malo jamdiù liberatus erat, cum circà quadrageſimum ætatis annum, ſubitò inter noctem *ſpirandi difficultate*, haud ſine ſuffocationis metu, corripitur; è quo morbo ad plures menſes protracto tandem opportunâ curâ evaſiſſe videbatur; cum denuò redit cum dolore & *tumore in dextro hypochondrio.* Omnibus demùm ſenſim in deteriora ruentibus occubuit.

Hepar occurrit maximum & tuberculoſum, vicinis partibus validè & morbosè accretum. Veſicula præter bilis copiam quinque

calculos nucem moſchatam magnitudine æquantes ; continebat. Thorax & pericardium aquâ ſcatebant. CL. BAADERUS.

HEPAR.

OBS. 679. Quidam à triennio pedibus œdematoſis laborabat; cum naufragio in mari facto, multum frigoris perpeſſus, in veram *aſcitem* incidit. Hanc concomitantur anxietates moleſtiſſimæ & crebrò recurrentes; ſub quibus tandem occubuit.

Reſerato abdomine, in apricum veniunt viſcera optimè conſtituta, ſi ſolum hepar excipias. Totum enim deprehendebatur induratum, cum ſuperficie aſperâ & inæquali, propter tubercula numeroſiſſima, quorum plura lentis ſemen æquabant. Magna inſuper ſtagnabat aquæ copia, abſque ullâ notabili graveolentiâ. RUYSCHIUS.

OBS. 680. Vir quidam quadragenarius poſt longam anorexiam in hydropem *aſcitem* incidit, quâ tandem, nihil proficientibus remediis, enectus eſt.

Aperto cadavere in conſpectum veniunt omnia abdominis viſcera in aquis macerata & ſubalbida. Hepar inter alia prorsùs album, membranâ craſſâ calloſâ, variis tuberculis exaſperata, veſtitum occurrit. Ventriculus flatibus ultrà modum diſtentus & quaſi lacerus annotatur. MANGETUS.

OBS. 681. Vir ſexageſimum quintum ætatis annum agens *febre lentâ* laborabat, cum *dolore* in regione *hepatis* Accedit *vomitus ſanguinis*, ac colluviei fœtidæ, & viridis. Sub hac rerum conditione ſolvuntur vires & mors adventat.

Luſtratis interaneis, reperitur hepar viride & puſtulis obſitum. Veſicula fellis bile viridi, & putridâ turgebat. Lien durus animadvertitur. Pulmones maculis nigris erant ſignati, cum nonnullis inflammationis notis in plevrâ. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 682. Juvenis quinque & viginti annorum, jamdudùm *cachecticus*; tandem in *aſcitem* incidit. Malo increſcente celebratur paracenteſis, cujus beneficio multa aqua, intrà quatriduum, educitur. Ac manè ſequentis diei mortem obiit.

Inciſo corpore, in propatulum venit hepar intùs & extùs granuloſum, aut glanduloſum; haud tamen inſolitæ magnitudinis. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

HEPAR.

OBS. 683. In cadavere cujuſdam *hydropicæ* præter aquæ quadraginta libras in abdomine contentas, occurrit peritoneum putridum; epiploon ampliſſimum cum variis corruptionis notis; hepar ingens, ſcirrhoſum & tuberculis, obſitum. Inſuper pulmo dexter planè conſumptus, & quaſi in ſaniem verſus percipiebatur. SPONIUS.

OBS. 684. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam viri jamdudùm *ulcera prava & cancroſa in femoribus & tibiis* geſtantis, deprehendebatur hepar induratum admodùm, & quaſi calloſum, atque pluribus tuberculis undequaque refertum. Lien, etſi ſanus, triplo major annotatur, quàm aliàs eſſe ſolet. SALTZMANNUS.

OBS. 685. Quidam conſiſtentis ætatis febre lentâ, ſiti & cibi faſtidio ſtipatâ, laborabat. His accedit bilioſum alvi profluvium pertinaciſſimum, qui poſt plures menſes ægrum ad ultimam rerum lineam duxit.

Inciſo cadavere reperiebantur tubercula & abſceſſus, furunculorum inſtar, hepar obſidentia. FERNELIUS.

OBS. 686. In cadavere cujuſdam vetulæ ex *hydrope aſcite* extinctæ, reperiebatur maxima humoris flavi, lenti & limoſi copia in abdomine. Inteſtina non ſolùm undequaque peritoneo, verùm etiam ſibi invicem connata occurrebant; ſuperficies hepatis tumidi, tuberculoſa conſpiciebatur. RUYSCHIUS.

OBS. 687. Inter rimandum cadaver cujuſdam *hydropici*, deprehenditur hepar induratum, cujus ſuperficies inæqualis innumera tubercula exhibebat, quorum nonnulla lentis ſemen æquabant; præter aquæ magnam copiam in abdominis cavo ſtagnantem. RUYSCHIUS.

OBS. 688. In cadavere cujuſdam *hydropici*, quadrageſimum ſecundum ætatis annum agentis; *vomitu & diarrhœâ* ante obitum conflictati, invenitur hepar ſcirrhoſum, cum ambitu inæquali & tuberculoſo; ſtagnante aquæ copiâ in abdomine. E DIARIO MEDICO.

OBS. 689. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam mulieris *hydrope*

*hydrope aſcite* ſublatæ, præter aquæ copiam, viſendum ſe præbet hepar tuberculis duris & albicantibus, intùs & extùs obſeſſum; cum pancreate ſcirrhoſo. CLAR. MORGAGNUS. HEPAR.

OBS. 690. Secto cadavere cujuſdam vetulæ *hydropicæ*, præter humoris flavi & limoſi copiam, inveniebatur hepar intùs, & foris, tuberculoſum; cum inteſtinis ſibi invicem connatis, & peritoneo accretis. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 691. Apertum cadaver cujuſdam *icterici*, & *hydropici*, præter ſtupendum aquæ proventum; conſpiciebatur hepar, minus quàm par erat, granuloſum; cum veſiculâ fellis inani. Ex ACTIS PARISIENSIB.

OBS. 692. In cadaveribus variorum *febre lentâ*, cum ſiti & cibi faſtidio denatorum, inveniebatur hepar tuberculis, & abſceſſibus, obſeſſum. FERNELIUS.

OBS. 693. *Tabida* octodecim annorum, poſt obitum diſſecta, exhibebat millenas verrucas circà hepar, & alia viſcera. Inteſtina inſuper lumbricis ſcatebant. SALMUTHUS.

OBS. 694. In cadavere cujuſdam meretricis, *lue venereâ* extinctæ, in conſpectum veniebat quædam ſcabies in convexâ hepatis parte. E MISCELL. CURIOSIS.

In hocce ordine collocari debent obſervationes Libr. I. 2, 120, 408, 695, 855, 947, 994, 1011; Libr. II. 158, 222, 252, 760, 850.

---

## *Hydatides in hepate.*

OBS. 695. Mulier quadragenaria, cujus *menſes* multis abhinc annis erant *ſufflaminati*, ac variis ægritudinibus obnoxia; tandem è cachexiâ, in *hydropem* incidit, qui brevi lethum accerſit.

Luſtrato cadavere, occurrit hepar maximum, hydatides acer-

HEPAR.

vatim intùs congeſtas, & ſuperficiem exaſperantes, exhibens. Lien erat portentoſus, & nonnihil putridus; cum omento ejuſdem mali conſorte. Inteſtina maculis lividis conſperſa colluviei ſordidæ innatabant. Pulmones tuberculoſi plevræ paſſim hærebant, cùm ſtagnante aquâ, tùm in pectoris cavo, tùm in pericardio. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 696. Quidam *tumorem in regione hepatis* patiebatur, qui cùm ad ſuppurationem tenderet, ſcalpello aperitur. Educuntur multæ veſicæ, ova piſcium repræſentantes, aquoſo humore repletæ; quæ integræ, & fractæ, quotidie cum modico pure egrediebantur. Ità ut intrà quindecim dies mille fortè veſicæ exierint: ſed cùm æger in deterius laberetur, mortuus eſt.

Cadaver, cultro anatomico ſubjectum, exhibebat hepar in convexâ parte innumeris veſicis, tàm parvis quàm magnis, refertum. PANAROLUS.

OBS. 697. Vir triginta annorum de *doloribus in hypochondrio dextro tumente*, qui per totum fermè corpus propagabantur, quatuor abhinc annis, conquerebatur. Urgebant *anxietates* moleſtiſſimæ cum laſſitudine ſpontanea. Præthereâ tuſſi periodicâ conflictabatur; cum pulſu debili. Refrigeratis tandem artubus obiit.

Hepar mole maximum, recondebat ſaccum duos pugnos æquantem, ſteatomatis inſtar, hydatidibus turgentem, & nonnihil extùs prominentem. Latici cuidam ſebaceo innatabant prædictæ veſiculæ. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 698. Vir quadragenarius dolore pertinaciſſimo circà hepatis regionem laborabat cum variis ventris torminibus. Intereà dejiciebat, unà cum fæcibus, varia corpora, à veſiculis haud abſimilia. Ac demùm obiit.

Secto cadavere, deprehendebatur in majori hepatis lobo, fovea quædam hydatidibus plena. Inteſtinum colon paſſim erat exeſum, non ſecùs ac rectum; nullo remanente veſicularum veſtigio. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 699. Luſtratis interaneis cujuſdam fœminæ, quæ *ſpirandi difficultate* divexatæ, hydrope pectoris laborare credebatur; omnia ſana ſe præbent in pectore. In abdomine verò hepar pe-

ritoneo morboſè connexum, & propriæ ſubſtantiæ loco ex hydatidibus magnâ ex parte coagmentatum, ſeſe obtulit. RUYSCHIUS. HEPAR.

OBS. 700. Inter exenterationem corporis cujuſdam juvenis *hydrope aſcite* interempti, præter ſtupendam aquæ copiam in abdomine, inveniebantur hepar & lien hydatidibus diverſæ magnitudinis ſcatentia. Nec deerat colluvies ſeroſa in pectore, cum concretionibus polypoſis in cordis thalamis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 701. Aperto cadavere cujuſdam *fumo carbonum* enecati, eminebat propè fundum veſiculæ felleæ, tumor globoſus hepati adnatus, innumeras propemodùm continens veſiculas, racematim quaſi congeſtas, quarum nonnullæ ovi columbini magnitudinem æquabant. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 702. Veſiculas tenuiſſimas, pellucidas, aquâ diſtentas; ad pomi magnitudinem nonnunquam accedentes; majores interdùm, interdùm minores, hepatis ſubſtantiæ accretas ſæpiùs inventas fuiſſe in *cachecticis* & *aſciticis* teſtatur. PLATERUS.

OBS. 703. In cadavere cujuſdam militis, *morbo regio* denati, conſpiciebatur hepar mole maximum, & hydatidibus refertum. Cyſtis fellea ingentem pſeudo-calculum biliarem recondebat; qui ſcilicet nucis moſchatæ magnitudinem aſſequebatur. E MISCEL. CURIOSIS.

Hanc claſſem ſubeunt obſervationes Libr. I. 60, 258, 269, 236, 826, 1462; Libr. II. 36, 644; Libr. III. 67.

---

## *Purulentia & abſceſſus hepatis.*

OBS. 704. Fœmina viginti quatuor annorum poſt *febrem* continuam *dolore* acuto *in hypochondrio* dextro & ſiti immani ſtipatam, de dolore gravante in eâdem parte querebatur; qui tamen non impedit quominùs ad priores ſuos labores ſe contulerit. Poſt

HEPAR.

binos menſes *reſpiratio* fit *difficilis*, & oritur *tuſſis ſicca :* dein ſputa excernuntur glutinoſa. Accedunt *pectoris anxietates*, noctes inſomnes cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. Poſt duos annos *tuſſi ferociori*, & reſpiratione difficiliori vexata, cœpit emaciari. Tum exſurgit *febris ingens*, prægreſſâ horripilatione ; & exacerbantur omnia ſymptomata : ſæviebat *dolor in hypochondrio dextro*, valdè prominente : dein accedit icterus ; ingruit dyſenteria cum ventre tumido & variis mortis imminentis præſagiis.

Mortui ſecto cadavere, pulmo ſiniſter invenitur totus ſcirrhoſus, recondens abſceſſum ichore fœtidiſſimo turgentem. Cor exiguum vix ad ovum gallinaceum accedebat. Stepatis lobi in unum ſcirrhum coaluerunt, in quo latebat abſceſſus ampliſſimus, liquore nigro, acerrimo & fœtidiſſimo turgens. CLAR. STORCK.

OBS. 705. Vir ſex & triginta annos numerans, de *dolore hypochondrii dextri* jampridem querulus, *febre lentâ* corripitur ; dein macilentus evadit, & *ictericorum colorem* induit. Ulteriùs contabeſcente corpore ; ſævit *tuſſis ſicca ; tumet hypochondrium* dextrum, & accedit cibi faſtidium, cum ſiti immani. Intereà tumor hypochondrii laxior fit, & apoſtema maturum apparet, quod ſcilicet ruptionem minatur. Quo aperto ſanies virulenta & ſanguinolenta educitur. Dein emanat pus copioſum & fœtidiſſimum ità ut vix quiſpiam in cubiculo perſiſtere poſſet. Tandem ſeptimo die ab inciſione mortuus eſt.

Tota ventris capacitas pure ſordidiſſimo replebatur. Conſumptum conſpiciebatur omentum ; cum peritoneo putrido. Inteſtina nigredine plumbeâ infecta ſpectabantur. Hepar verò ingens & durum videbatur ; in parte dextrâ putridum, ulceroſum & gangrænoſum. FORESTUS.

OBS. 706. Vir octo & quadraginta annos natus, tuſſi & *dolori in hypochondrio dextro* obnoxius, ſecuri inversà propè ſuturam ſagittalem percuſſus fuit ; mox omni ſenſu orbatus humi concidit : poſt longam & opportunam curam chirurgicam vulnus planè conſolidatum fuit ; & æger conſueta munia obiit. Poſt unum aut alterum menſem de dolore hypochondrii dextri & ventriculi conqueritur. Dein accedit *ſpirandi difficultas ;* ac tandem vivere deſiit.

Nil notatu dignum occurrit in capite : ſed pectus exhibet in utroque latere pulmones pertinaciter accretos : ſiniſter partim ſcirrhoſus, & lapidis inſtar durus deprehenditur. Reſerato abdomine patet hepar purulentum, ulcere latiſſimo defœdatum ; cum omento putrido. Inteſtina vicina hepati rubra erant & gangrænoſa,

Stagnabant demùm in abdomine duæ menſuræ feri turbidi. WEPFERUS. HEPAR.

OBS. 707. Mulier quemdam *dolorem punctorium in hypochondrio dextro* patiebatur, qui ſenſim acerbior evaſit. Novem elapſis menſibus, perſiſtente dolore, quid mobile & vivens perſentire aſſerebat in parte affectâ, quæ tùm protuberabat, cùm cute œdematosâ, & quâdam fluctuatione ſub coſtis ſpuriis. Menſe ante obitum dolor ad latus ſiniſtrum propagatur, & ſævit præſertim in ſtomacho cum nauſeis & tuſſi vehementi. Omnia remittuntur dejectione cujuſdam vermis annularis viginti pollices longi. Poſt biduum tamen interiit ægra, decimo octavo ſcilicet menſe à primo inſultu.

Exenterato cadavere, deprehenditur hepar mole maximum, paſſim ſcirrhoſum, cum veſiculà fellis ingente, bile atrà & viſcidà repletà. Secto hepate in conſpectum venit abſceſſus continens quatuor libras ſaniei, cum ſanguine congrumato. E DIARIO MEDICO.

OBS. 708. Vir quadragenarius poſt febrem intermittentem longo corticis Peruviani uſu curatum, de *dolore* & *duritie in regione hepatis* querebatur; cum flatulentià. Decem elapſis annis ſub hoc rerum ſtatu, ictero corripitur: dein urget dolor lancinans in hypochondrio dextro, cum inflammationis ſignis; undè emergit abſceſſus è quo inſtituta ſectione educitur maxima puris fœtidi copia, materiæ bilioſæ immixti. Perſiſtente fluxu, cum vigiliis & ineppatentia die vigeſimo quinto ab abſceſſûs ſectione obiit.

Reperitur cyſtis ingens in parte inferiori hepatis, quæ accuratiori examini ſubjecta, nil aliud erat quàm veſicula fellis ſummè dilatata, quæ pus vicinioris abſceſſûs, in ipſamet hepatis ſubſtantià reconditi, excipiebat. Partis circum ambientes è ſitu naturali depulſæ, tuberculoſæ deprehenduntur, vel alio modo contaminatæ. BONETUS.

OBS. 709. Vir quinquaginta annorum *colicæ hepaticæ* obnoxius, inter ferociorem paroxyſmum *febre inflammatoriâ* corripitur; quæ in putridam intermittentem, delirio, & tuſſi quadam aſthmaticà ſtipatam faceſſit; quà perſiſtente intrà ſpatium ſex circiter hebdomadarum tabidus occubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniebat veſicula fellea pſeudo-lapidibus, vel concretionibus bilioſis diverſæ mag-

HEPAR. nitudinis repleta; atque marſupii inſtar valdè diſtenta, ſine bilis vel minimâ guttulâ. Præthereà animadvertebatur in concavâ hepatis parte apoſtema amplum, maximam puris copiam continens, ultrà ſcilicet libram unam. Pulmones inſuper erant infarcti, & plevræ accreti. MORTON.

OBS. 710. Mulier ſexagenaria jamdiù querebatur de quodam *dolore ſuprà umbilicam regionem* : ſitiebat & tuſſiebat cum ſputo catarrhali. Poſtremò urgebat *ſpirandi difficultas*. Dein quaſi derepentè *intumuit abdomen*, cum pedibus œdematoſis. Paucis poſt diebus, ſilente dolore, & deficientibus viribus, occubuit.

Cadavere examini ſubjecto, præter ingentem aquæ copiam in abdomine ſtagnantem, reperiebatur cum liene duplo majori, hepar durum & inſolitæ magnitudinis, prægrandem abſceſſum, plus tertià viſceris parte occupantem, recondens. Eruperat, diaphragmate perforato, pus in dextrum thoracis cavum, quod totum hàc fœdà colluvie repletum annotabatur, pulmone ſano. Prætereà veſicula fellea pſeudo-calculis erat diſtenta. VALSALVA.

OBS. 711. Quidam juvenis, priùs *dyſenteriam* intempeſtivè ſufflaminatam perpeſſus, *ventrem tumidum* geſtabat, cum ſuſpicione hydropis: tumor magis erat conſpicuus ſuprà umbilicum. Dein urgebat *ſpirandi difficultas* ; quam excipit *febris* inflammatoria; poſt quam curatam erumpit *alvi fluxus*. Hactenùs tumens abdomen in ſeſe concidit; ac inter quamdam ſanitatis ſpem, ſubitò obiit æger.

Reſerato abdomine, tenuia inteſtina flatu diſtenta occurrunt: colon ampliſſimum, ſed inane, deprehenditur. Hepar verò ingens ferè ad umbilicum deſcendebat, & decem libras pendebat; in cujus parte poſticâ deliteſcebat ampliſſimus abſceſſus. CLAR. PRINGLE.

OBS. 712. Fœmina quadrageſimum ætatis annum numerans, menſibus ſuppreſſis, de *tumore & dolore hypochondrii dextri* jamdudùm querebatur; urgente *ſpirandi difficultate*. Variis incaſſùm tentatis, accedunt anxietates, lypothymiæ, aliaque graviora ſymptomata, inter quæ occubuit.

Deprehendebatur in hepate mole ampliſſimo, vel quindecim libras pendente, abſceſſus ingens ſtupendam puris ſanioſi & ſordidi copiam recondens; cum innumeris hydatidibus diverſæ molis & ſero flavo turgidis. Pulmones inſuper, ob repulſum diaphra-

gma, uſque ad tertiam coſtam legitimam, mirè coarctati occurrebant. E NOSTR. ADVERSAR.

HEPAR.

OBS. 713. Quædam matrona mœrore & triſtitiâ confecta in *tumorem hepatis* inflammatorium incidit, qui in abſceſſum abit, ſectione, aliiſque opportunis remediis curatum. Poſt quinque menſes ab abſolutâ ſanatione, *febre* vehementi corripitur, cum *alvi fluxu* & immani *dolore in abdomine*. Notandum quòd nullus eſſet dolor, nec tumor in parte prius læsâ. Intereà die decimo tertio nonnihil purulentæ obſervantur dejectiones, ſine levamine; ac decimo quinto obiit.

Reperitur abſceſſus in parte concavâ hepatis, cum hærentiâ inteſtini coli, inibi putridi & perforati. Pars verò convexa hepatis, ſedes prioris abſceſſûs, peritoneo arctè hærebat. EX ACT. CHIR. PARISIENS.]

OBS. 714. Vir ſeptem & quadraginta annorum, è digiti indicis puncturâ, dolorem & tumorem inſignem in brachio paſſus eſt, cui acceſſit *abſceſſus*, ſeu bubo, *ſub axillâ*, cum dolore adeò gravi, ut non ſolùm brachium, ſed totum corpus immobile evaderet cum febre acutâ, vigiliis & virium languore. Die vigeſimo ſpontè erupit abſceſſus, triduo effundens magnam ſaniei copiam. Tum dolor remittitur; ſed perſiſtit *febris* vehementior, cum *tenſione* & *dolore hypochondrii* ſiniſtri; cui ſucceſſit *diarrhæa* primò bilioſa; mox ſanioſa. Die tandem ſexageſimo tertio extinctus eſt.

Secto cadavere, invenitur abſceſſus in concavâ hepatis parte, cum læſione partium ambientium. SILVATICUS.

OBS. 715. Vir quinquaginta annorum *morbo regio* laborans, de *doloribus* acutis in *epigaſtrio*, & de dolore gravativo, præſertim *circà hepar*, conquerebatur. Procedente morbo, poſt varias remiſſiones & exacerbationes erumpit *vomitus* enormis materierum nigrarum & viſcidarum. Dein impeditur reſpiratio, & occubuit æger.

Invenitur materia purulenta ſtagnans in abdomine, è tribus abſceſſibus hepatis diſruptis ortum trahens. Veſicula fellea præter bilem fuſcam, & viſcidam, octo pſeudo-lapides recondebat, quorum major ad fabæ magnitudinem accedebat. Stomachus, haud abſimili labe ſcatens varias inflammationis notas exhibebat. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

HEPAR.

OBS. 716. Quidam ante duos menſes globulo ligneo ad regionem hepatis validè percuſſus, in *febrem* lentam, *dolore* in *hypochondrio dextro* ſtipatam incidit. Quatuor elapſis menſibus ingruunt *lypothimiæ : cutis flavedine inficitur.* Dejectiones alvinæ fiunt bilioſæ, purulentæ & fœtidiſſimæ. Ac demùm tertio ante obitum die pus copioſum expectoravit æger.

Reperitur abſceſſus totam magni hepatis lobi concavam faciem occupans. Pus huc collectum omnem hepatis altitudinem pervadens diaphragma exeſerat : quo foramine patula erat via, ab abſceſſu hepatis ad pulmonem dextrum, etiam eroſum, hinc etiam ad bronchia. Nulla inſuper occurrebant veſiculæ felleæ veſtigia. CLAR. IMBERTUS.

OBS. 717. Quidam poſt *lapſum ex equo*, de immani lateris dextri dolore queritur ; hinc de coſtis fractis cogitatur. Accedunt *febris*, nauſeæ & *icterus.* Paulò poſt ingruit ſumma *ſpirandi difficultas*, cum tuſſi ferociori & ſputo cruento. Lotium excernebatur lateritium ; oculique erant torvi. Decimo ſeptimo à lapſu die *pars dolens tumida & dura* deprehenditur ; increſcente tumore cum fluctuatione, ſectione opus fuit, quâ erupit ſtupenda puris copia. Ingruit *alvi fluxus :* febris exacerbatur : ſufflaminatur lotium ; ac die vigeſimo ſeptimo à ſectione obiit.

Præter aquam in abdomine ſtagnantem, reperiebatur abſceſſus ingens in parte hepatis diaphragmati proſpiciente. Diaphragma verò coſtis & pulmonibus hærebat. MANGETUS.

OBS. 718. Miles viginti quinque annorum, per ſeſqui anni ſpatium, *febre intermittente*, nunc tertianâ, nunc quartanâ laboravit. Dein in *cachexiam* incidit cum ingenti *tumore in hypochondrio* ſiniſtro, qui hypogaſtricam regionem attingebat. Tandem *dyſenteriâ* lethali corripitur.

Omentum patet convolutum, nodoſum & tuberoſum. Hepar ingens & durum recondebat in parte convexâ abſceſſum pure albo repletum ad libram unam & ſemis. Cyſtis fellea tres & triginta calculos cum pauco liquore glutinoſo & nigricante continebat. Lien denique durus & mole maximus quatuor & ampliùs libras pendebat. CLAR. HAZENHORL.

OBS. 719. Vir quadrageſimum ſecundum ætatis annum agens, totus cholericus tuſſi corripitur, & *dolore in hypochondrio dextro*, cum cibi faſtidio. Accedit corporis languor, cum æſtu faciei & manuum, oriſque ariditate. Corpore dein extenuato & viribus decreſcen-

decreſcentibus decumbere cogitur. Erat febris erratica cum *tumore duro*, & tenſivo, in hepatis regione ad umbilicum uſque protenſo. Intereà exacerbatur dolor pungens & ulceroſus ; ac poſtremò accedentibus animi deliquiis, è medio tollitur. HEPAR.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, deprehendebatur vomica, in imâ hepatis parte ; ſatis magna, & aperta. COITERUS.

OBS. 720. Homo octo & quadraginta annorum, à pluribus menſibus *hepatitem*, uti videbatur, perpeſſus, horripilationibus veſpertinis ſuccedente calore, ſæpiùs affligebatur. Totus corporis habitus ex fuſco nigricante colore tingebatur. Urinam fuſcam excernebat; & de die in diem fiebat macilentior. Accedentibus tandem animi deliquiis, miſerrimam vitam morte finiit.

Inteſtina deprehendebantur flatulenta. Hepar ingens fovebat abſceſſum puris graveolentis copiâ repletum. Veſicula fellis bile nigricante mirè diſtenta, ad criſtam oſſis ilei ferè deſcendebat. CLAR. HAZENHORL.

OBS. 721. Vir quadraginta annos natus, poſt curatum *icterum*, de virium exſolutione querebatur. Dein de *dolore hepatis* in dies vehementiore, & demùm lacinante, cum febriculâ crebrò rigore ſtipatâ. Intereà dolor per totum abdomen propagatur, cum tumore & fluctuatione ; ac demùm obiit.

Exenterato cadavere inveniebatur colluvies lutulenta & purulenta in abdominis cavo ſtagnante. Omentum erat abſumptum. Hepar, ſi majorem molem excipias, nil morboſi extùs exhibebat: ſed in parte inferiori recondebat abſceſſum ingentem, pure ſordido repletum. Pars proximior coli putrida annotabatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 722. Ruſticus quadragenarius, poſt duos menſes ab inflicto *vulnere ad duram meningem* penetrante, *ictero* corripitur, cum quodam *graviditatis ſenſu* in *hypochondrio dextro*, doloris tamen experte. Intereà caput potentoſo *emphyſemate* deformatur, quod ad pectus deſcendebat. *Reſpiratio* erat *difficilis* & anheloſa cum ſibilo; quibus in dies ingraveſcentibus tandem occubuit.

Nihil in luſtrato capite notatu dignum occurrit ; emphyſema verò capitis inſolationi jure refertur : ſed hepar mole maximum ingentem puris copiam recondebat. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

HEPAR.

OBS. 723. Quidam juvenis poſt *contuſionem capitis vomitu* corripitur; *ſanguiſque è naribus & auribus erumpit*, ſalvis ſenſibus. Decimo die ingruit *febris* cum *ſomnolentiâ* & *doloribus capitis* acerbiſſimis; nonnullis indentidem accedentibus rigoribus. Arte chirurgicâ evacuatur ſanguis ſtagnans infra duram meningem ad unciam unàm circiter. Febris intereà exacerbatur; urget ſopor lethargicus; & die decimo ſeptimo obiit.

Cadaver examini ſubjectum, præter fracturam cranii, aliaſque capitis læſiones chirurgis notiſſimas, exhibebat abſceſſum in hepate. EX ACTIS CHIR. PARISIENSIS.

OBS. 724. In cadavere mulierculæ quæ ſpirandi difficultati obnoxia, pro *aſthmaticâ* habebatur, reperiebatur hepar tantæ molis, ut diaphragmate ſursùm, ad tertiam ſcilicet veram coſtam, repulſo, mirè anguſtaretur pectoris cavum. Fovebat prædictum viſcus abſceſſum ingentem, qui præter innumeras hydatides, quarum majores tres quatuorve pollices latæ occurrebant, maximam puris ſordidi & fœtidiſſimi copiam continebat. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 725. Quædam mulier ad dolores nephriticos prona, *febre hypochondrii dextri dolore* ſtipatâ quaſi ſubitò corripitur. Malo pergente & increſcente, die octavo ab invaſione fatis ceſſit.

Inter cadaveris ſectionem deprehenditur hepar ingentem puris copiam continens. Ren dexter planè abſumptus erat, ſolâ tunicâ ſuperſtite, quæ, marſupii inſtar, ſexaginta calculos recondebat. CHABREUS.

OBS. 726. Vir ſexagenarius jamdiù cachecticus de ſummo *dolore in hypochondrio dextro* ſemper querebatur; *ventre & cruribus œdematoſis*. Tandem fractis viribus, extremum diem clauſit.

Reperiebatur fœdiſſimus abſceſſus in hepate, pure viridi & teterrimi odoris turgens; atque diſruptus, cum fœdâ colluvie ſtagnante in abdominis cavo, quà inficiebantur omnia viſcera. HEURNIUS.

OBS. 727. Mulier viginti annos nata, toto graviditatis tempore, de *dolore hypochondrii dextri* querula tertio à partu die *pleuritide* ſiniſtri lateris corripitur, & nono interiit.

Reperta eſt puris copia in abdomine, à diſrupto hepatis abſ-

ceſſu hùc delati. Ciſtis fellea materiam etiam purulentam, cum bile mixtam continebat. Occurrit demùm colluvies ſordida in ſiniſtro pectore. COITERUS. HEPAR.

OBS. 728. Vir triginta annorum *febre* corripitur cum pulſu duro, *ſpiritu difficili* ac *dolore in pectore circà regionem hepatis.* Aderat *vomitus* biliofus cum *cardialgiâ* & *diarrhœâ*, ſiti & vigiliis. Tandem quindecimo die morbi magna puris graveolentis quantitas per alvum excernitur; & brevi ſequuta eſt mors.

Reſerato abdomine, ingens vomica, pure ſordido & fœtidiſſimo repleta, inventa eſt in hepate. PANAROLUS.

OBS. 729. Hominem juvenem & robuſtum, poſt celebratam, ob *capitis grave vulnus*, cranii terebrationem, invadit *febris*, quæ ſitim immanem comitem habet. Dein accedit *icterus* cum *dolore* & *tumore hypochondrii dextri*, quo elevantur coſtæ mendoſæ. Tandem ingraveſcente morbo obiit.

Occurrit hepar mole majus recondens in parte gibbâ, propè diaphragma, ingentem abſceſſum. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 730. In cadavere cujuſdam matronæ vigeſimum quintum ætatis annum agentis, & *hydrope* diuturno extinctæ, præter majorem aquæ copiam, tùm in pectore, tùm in abdomine contentam, deprehendebatur hepar in parte convexà aridum : inferior verò putrida & purulenta annotabatur; nullo remanente veſiculæ fellis veſtigio. Lien prætereà durus erat, & contractus. E DIARIO MEDICO.

OBS. 731. Quidam poſt *contuſionem capitis* cum fracturà cranii, *febre* corripitur, *ſomnolentiâ* & *delirio* ſtipatà. Dein accedit *icterus* cum *dolore* obſcuro in regione *hepatis*. Febris exacerbatur cum rigore & ſpirandi difficultate. Ac nono die obiit.

Præter duræ meningis putriditatem circà vulnus; hepar varios recondebat abſceſſus. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 732. Quidam dolore hypochondrii dextri jamdudùm laborabat, cum ventriculi & diaphragmatis compreſſione : quibus ingraveſcentibus nec in dorſum, nec in latus recumbere pote-

HEPAR. terat. Tandem atrocibus doloribus confectus extremum diem obiit.

Hepar magnum, multis abſceſſibus refertum, materia quàdam indurata & ſubluteâ ſcatebat. CATTIERUS.

OBS. 733. Adoleſcens ſexdecim annorum de acerbiſſimo *dolore cruris* dextri querebatur. Accedit *febris* acuta, cum delirio & urinâ fæculentâ. Tribus ante mortem diebus obſcuratum eſt lumen cum palpebris lividis. Dein dolet ſiniſtrum crus; & die decimo quarto obiit.

Abſceſſus erat in apice gibbæ partis hepatis, & muſculis obliquis. Secto crure invenitur pus album & craſſum in mediis muſculis. HOLLERIUS.

OBS. 734. Juvenis poſt *variolas confluentes*, elapſis tribus hebdomadis, *febre lentâ*, tuſſi moleſtiſſimâ & *ſpirandi difficultate*, cum difficili decubitu in utrumque latus, corripitur; quibus pergentibus poſt tres menſes obiit.

Pulmo dexter occurrit inflammatus; & aqua ſtagnabat in ſiniſtro pectoris latere. Hepar ingentem abſceſſum recondebat, tunicâ denſiſſimâ, ac ferè cartilageneâ inſtructum. LAUBIUS.

OBS. 735. Ruſticus, circà quadrageſimum ætatis annum, poſt *dyſenteriam* intempeſtivè ſuppreſſam, *doloribus ventris* per ſeptem hebdomadas continuis, conflictatus, tandem accedentibus exacerbationibus obiit.

Luſtratis interaneis, in conſpectum veniebat abſceſſus in hepate propè veſiculam fellis, qui pugni magnitudinem ſuperabat. Alius etiam inveniebatur in meſenterio, ſed minor. LA MONIERE.

OBS. 736. Quidam poſt *icterum*, *febre lentâ* nonnullis rigoribus ſtipatâ prehenditur. Dein ſævit *æſtus interaneorum*; accedente macie. Poſt ſex menſes in ſoporem lethalem incidit.

Hepar cui colon morbosè hærebat mole maximum occurrit; fovens abſceſſum pure fœtido repletum. Cyſtis fellea, & ductus biliares calculis ſcatebat; quorum majores ad nucem juglandem accedebant. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

HEPAR.

OBS. 737. Militem juvenem, poſt *vulnus manui inflictum*, invadit *febris*, cum inflammatione partis læſæ & motibus convulſivis in brachio. Poſt triduum de *dolore obſcuro in hypochondrio dextro* queritur. Variis fruſtrà adhibitis, ingraveſcit morbus; & vigeſimo die fatis ceſſit æger.

Secto cadavere deprehendebatur in ſubſtantià hepatis abſceſſus puris libram unam, & ampliùs continens. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 738. Quædam mulier variis ægritudinibus per duos annos conflictata; tandem *hydropica* evadit; & poſt quatuor menſes obiit.

Stagnabat aqua copioſa tùm in pectore, tùm in abdomine; jecur parte gibbâ admodùm exſiccatum ſe præbuit, in parte cavâ admodùm purulentum, nullo remanente cyſtidis felleæ veſtigio. Lien erat nonnihil ſcirrhoſus. BORELLUS.

OBS. 739. Quidam juvenis poſt *febrem intermittentem* contumaciſſimam, & præpoſteram curationem, incidit in *hydropem;* quo ſenſim increſcente tandem migravit ad Superos.

Præter aquæ ingentem copiam in abdomine ſtagnantem, annotabantur glandulæ meſenterii ſcirrhoſæ & purulentæ. Hepar varios abſceſſus fovebat. Lien erat durus, & quaſi gypſeus; cum renibus putridis. CUMMENUS.

OBS. 740. Vir conſiſtentis ætatis *febre intermittente*, è genere ſubintrantium, laborabat; cum capitis dolore & *cardialgiâ*. Tumebat corporis habitus cum pruritu immani; *ventre* etiam *protuberante*. Ingruit ſopor, cum delirio lethali.

Luſtrato cadavere; cerebrum, hepar, ventriculus & inteſtina colore atro rubro infecta ſe præbent. Hepar abſceſſum ranioſum recondebat; & cyſtis fellea bile atro-viridi turgebat. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 741. Potator quidam ſtrenuus febribus, & *rheumaticis inſultibus*, obnoxius, tandem incidit in *icterum;* qui ipſum, citrà febrem, tandem neci dedit.

Reſerato abdomine pars jecoris convexa, prati inſtar, virideſcens ſe obtulit: concava autem pure conſpurcata invenitur. Veſi-

HEPAR.

cula fellis bile craſſiori turgebat. Pulmo verò ſanioſus & purulentus obſervatur. G. PATINUS.

OBS. 742. Inter diſſectionem cadaveris cujuſdam, qui poſt *dolores* acerbiſſimos *in hypochondrio* dextro, cum *tumore & renitentiâ; vomitum purulentum*, cum dejectionibus alvinis ejuſdem indolis, paulò ante obitum paſſus fuerat, deprehendebatur ingens abſceſſus in hepate, continens duodecim circiter libras puris ſubcruenti, ſordidi & gravè olentis. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 743. Luſtrato cadavere cujuſdam juvenis qui poſt diuturnum & moleſtiſſimum *hepatis affectum* fatis conceſſerat, inveniebatur ſima hepatis pars ſphacelo correpta; quæ inſuper tantam puris albi & concocti copiam intùs continebat, ut ad viginti libras accederet. Accuratiori examini ſubjecto abdomine invenitur quoque ren dexter purulentus. PAWIUS.

OBS. 744. Quidam juvenis *anaſarcâ* jampridem laborans, ſubitò incidit in *morbum regium*. Dein pergente morbo erumpit *hæmorrhagia narium*. Demùm derepentè obiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, deprehenditur hepar ſubalbidum & tumidum, cum magno abſceſſu in parenchymate. Lien ſuprà modum maximus, lapillis albiſſimis ſcatebat. FONTANUS.

OBS. 745. Quidam piſtor, cum in gramine dormiviſſet, querebatur de *dolore* quodam obſcuro *in hepatis regione*; cum febriculâ. Sub hâc rerum conditione, tandem accedunt animi deliquia, interdum recurrentia, quæ paulò poſt mortem accerſunt.

Reperitur totum ferè hepatis parenchyma in pus merum degeneraſſe, intactâ & integrâ membranâ. HEURNIUS.

OBS. 746. Vir quadraginta annorum *febre erraticâ* per quatuor menſes laborabat, de *dolore in utroque hypochondrio* querulus; cùm erumpit *alvi fluxus* moleſtiſſimus, & domari neſcius, qui tandem mortem poſt ſe trahit.

Luſtrato cadavere reperiebatur omentum fere conſumptum. Hepar ingens recondebat in parte convexâ inſignem abſceſſum,

continentem maximam puris glutinoſi, & ſubcruenti, copiam. FANTONUS. HEPAR.

OBS. 747. Virgo paupercula *febre lentâ*, cum ſiti & *alvi fluxu* colliquativo per aliquot menſes conflictabatur; cùm erumpit *tumor* rotundus *in regione epigaſtricâ*, qui tactu exploratus apoſtema videbatur. Poſt ſolitum incrementum, & hinc oriundas moleſtias miſellam ægram neci dat.

Deprehenditur lobus hepatis, ſuprà ſtomachum, continens abſceſſum ingentem, & putidiſſimum. FORESTUS.

OBS. 748. Quidam *febre tertianâ* per annos, cum *tumore in hypochondrio dextro*, laborabat; quæ demùm in *quartanam* lethalem faceſſit.

Inter exenterationem cadaveris, deprehendebatur hepar inſigniter tumefactum, & quaſi retorridum; ac pure refertum. Lien quoque niger conſpiciebatur, & quaſi ambuſtus. CAR. PISO.

OBS. 749. Vir conſiſtentis ætatis *febre continuâ* prehenditur; non admodùm ardente; cum ſiti tamen, cibi faſtidio & *alvi profluvio* interdùm recurrente. Nullus erat in hypochondrio dolor; nullus tumor; nec difficilis erat decubitus.

Poſt obitum ſecto, animadvertitur hepar tuberculis & abſceſſibus, inſtar furunculorum, obſeſſum. FERNELIUS.

OBS. 750. Juvenis robuſtus, poſt *capitis gravem contuſionem*, & ter inſtitutam cranii terebrationem; *convulſus* tandem moritur.

Nil notatu dignum præter levem necroſim piæ meningis occurrit in capite: ſed occurrit in convexâ hepatis parte puſtula alba, quæ diſrupta puris malè olentis uncias ſeptem fundit; de quâ nulla fuerat ſuſpicio. EX ACTIS CHIR. PARISIENSIS.

OBS. 751. Nobilis mulier duodequadraginta annos nata; poſt numeroſiſſimos partus, iterùm gravida; cùm tempus pariendi fuiſſet præterlapſum, in mortis terrorem incidit; & paulò poſt *epilepſiâ* rapitur.

Reperitur fœtus mortuus in utero, cum putridis ſecundinis,

HEPAR. Hepar præterea quaſi totum corruptum, & inſtar lanæ diſceptibile; ingentem abſceſſum recondebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 752. In cadavere cujuſdam mulieris, quæ *prægnans credebatur*, reperiebatur totum hepar in empyema converſum; in pus ſcilicet album, craſſum & fœtidum, integrâ tunicâ; cum mole ad minimum triplo majore. Lien quoque magnus & induratus deprehendebatur. Inteſtina demùm occurebant flatibus ſuprà modum diſtenta cum ſtagnante copioſo ſero. HEURNIUS.

OBS. 753. Vir triginta annorum, qui à triennio *fiſtulam* patiebatur *in inguine* dextro, de *dolore* graviſſimo *hepatis*, præſertim ubi manu premebatur latus dextrum, conquerebatur.

Defuncti diſſecto corpore, in conſpectum veniebat ingens abſceſſus in ipſâ ſubſtantiâ hepatis; præter puris copiam, circà vicinia fiſtulæ inguinalis. BLASIUS.

OBS. 753. (*a*) In cadavere puellæ quatuordecim annos natæ, quæ *dolores* immanes *in ventre protuberante* paſſa erat, & inter febrem lentam *tabida* perierat, reperiebatur in hepate abſceſſus pure plenus. Hepar inteſtino colo, atque jejuno, celluloſitate præter naturam genitâ, arctè hærebat. Omentum evanuerat; & totum abdominis cavum pure erat repletum. CLAR. HALLERUS.

OBS. 754. Vir quidam ætatis conſiſtentis incidit in *dolorem lateris dextri pectoris*, & *hypochondrii ſiniſtri*, pungentem & lancinantem, cum febre ardente, quâ ſeptimo die interiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, præter pulmonis dextri purulentiam, reperitur magna puris copia in hepate. BALLONIUS.

OBS. 755. Quidam adoleſcens *ventris dolore*, *quaſi colico*, torquebatur. Solitis adhibitis præſidiis compeſcuntur dolores; & inter proximam ſanitatis ſpem, derepentè moritur, cum ore pure repleto.

Luſtratis interaneis, invenitur in cavâ hepatis parte incredibilis puris quantitas, ut nemo præſentium fœtorem potuerit tolerare. RIOLANUS.

OBS. 756.

HEPAR.

OBS. 756. Quidam poſt levem, uti videbatur, *tibiæ contuſionem*, dolorem acutiſſimum patitur, qui tamen congruis topicis brevi fugatur, nullâ remanente ecchymoſi. Decimo circiter die à contuſione, *febre* corripitur, quâ intrà quinque dies è medio tollitur.

Secto cadavere invenitur abſceſſus pure ſincero repletus, in ſubſtantiâ hepatis. EX ACTIS. CHIR. PARISIENSIS.

OBS. 757. Vir conſiſtentis ætatis *febre inflammatoriâ* prehenditur, cum *dolore* acerbiſſimo, & *tenſione hypochondrii dextri*; ac die decimo ſeptimo obiit.

Exenteratum cadaver exhibet hepatis tunicam à parenchymate ſeparatam; & intrà illud ſpatium quinque libras puris albi. SANCTORIUS.

OBS. 758. Quidam *arthriticus* in *febrem continuam* incidit, unà cum catarrho in pectus decumbente. De inſignibus præterea *doloribus internis* querebatur, quibus tandem confectus obiit.

Reſerato abdomine deprehenditur abſceſſus in hepate. Pulmo verò ſiniſter erat putridus. G. PATINUS.

OBS. 759. Cuidam puero erumpit *tumor* manifeſtus, digitis cedens, in eâ *abdominis* parte, quâ muſculi recti ad ſternum pertingunt.

Secto mortuo reperitur abſceſſus ingens in proximiori hepatis parte, pus viroſum, & graviter fœtens continens. HOLLERIUS.

OBS. 760. In cadavere cujuſdam nobilis, qui dùm viveret, *pertinaci vomitu* vexabatur, occurrebat pars convexa hepatis putrida: concava verò recondebat abſceſſum, pugni magnitudine, atque pure refertum. BONETUS.

OBS. 761. Quidam de *dolore & tenſione hypochondrii dextri*, per annum integrum, perpetuò querulus, tandem incidit in *febrem quartanam* continuam, & lethalem.

Inciſo corpore deprehendebatur hepar ſcirrhoſum cum parte ſuppuratâ. CAR. PISO.

HEPAR. OBS. 761. (*a*) In cadavere cujuſdam, *pro empyematico habiti* nil notatu dignum reperiebatur in utroque pectoris latere : ſed occurrit ulcus purulentum in hepate, ſub diaphragmate & coſtis ſpuriis lateris; undè ortum traxit medentium error circà locum affectum. CLAR. HALLERUS.

OBS. 762. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam qui *dolore hypochondrii dextri* per plures annos conflictatus fuerat; annotabatur hepar ingens, multis abſceſſibus refertum, & materiâ quâdam induratâ vitellos ovorum colore referente, infarctum. CATHERUS.

OBS. 763. In cadaveribus variorum *febre* quâdam *malignâ* epidemicâ ſublatorum, inter multiplices & notiſſimas læſiones, occurrebat hepar, partim purulentum, partim gangrænoſum, cum c, ſti felleâ bile viridi turgidâ. E DIARIO MEDICO.

OBS. 764. Quidam juvenis *febre continuâ*, cum exacerbationibus quotidianis, laborabat. Accedebat *crebra horripilatio*. Duodecimo morbi die periit.

Hepar ſe offerebat purulentiâ tactum; & ſtagnabat aquæ copia in pectoris cavo. CRENDAL.

OBS. 765. Quidam poſt febrem lentam aliquot annorum de *dolore in hypochondrio dextro; tumore hepatis* & *ſpirandi difficultate* querebatur. Quibus ingraveſcentibus fatis ceſſit.

Exenterato cadavere inveniebatur ingens abſceſſus in ſubſtantiâ hepatis. BARTHOLINUS.

OBS. 766. In corpore cujuſdam qui jampridem de *dolore in hypochondrio dextro* querebatur; erat hepar maximum, & diaphragmati præter naturam arctiſſimè connexum, ingens apoſtema recondens. BARTHOLINUS.

OBS. 767. Quemdam *febre lentæ* laborantem invadit *hæmorrhagia narium*, nullâ arte compeſcenda, *Ventrem* geſtabat *tumidum*, cum macie totius corporis.

Poſt obitum diſſecto, occurrit hepar tumidum, & abſceſſibus pure repletis ſcatens, cum cyſti felleâ inani. LAUBIUS. HEPAR.

OBS. 768. Quidam temperamenti bilioſi *dolore acuto circà regionem hepatis* laborabat, qui pro pleuritico habebatur. Intrà paucos dies extinguitur.

Secto cadavere, deprehendebatur vomica in hepate, cum maximâ puris coacervatione. PANAROLUS.

OBS. 769. In cadavere cujuſdam juvenis *inflammatione jecoris* extincti reperiuntur ulcera in hepate, ad interiora penetrantia. Prætereà latitabat abſceſſus qui dimidiam urnam puris fœtidi continebat. PAWIUS.

OBS. 770. Celebratâ ſectione cadaveris cujuſdam, qui dum viveret *urinam viridem* mingebat, quaſi bile æruginosâ infectam; reperiebatur abſceſſus in cavâ jecinoris parte. RHODIUS.

Ad hanc claſſem revocandæ ſunt obſervationes Libr. I. 8, 421, 565, 643, 945, 978, 1123, 1435. Libr. II. 389. Libr III. 39, 263 (*a*). Libr. IV. 87.

---

## *Hepatis exulceratio.*

OBS. 771. Quædam matrona *dolori hepatico* per triennium obnoxia, *febre acutâ* corripitur, cum *vomitu* bilioſo; & immani *hypochondrii dextri*, nonnihil *tumentis*, *dolore*. Dein evaneſcentibus hypochondrii tumore & dolore, permanente vomitu, cæteriſque in pejus ruentibus; mortali vinculo exſolvitur ægra.

Secto abdomine, reperitur in regione lumbari dextrâ magna puris ſanioſi & fœtidi copia; cum ulcere latiſſimo & fœdiſſimo in parte concavâ hepatis; eroſis & dilaceratis ductibus bilioſis, unà cum parte proximiore duodeni; in cujus cavo reperiebantur duodecim calculi biliares, quorum majores nucem ponticam æquabant. CLAR. IMBERTUS.

HEPAR.

OBS 772. Quidam poſt *violentam* in regione *ſtomachi contuſionem*, in *vomitum ſanguinis* immanem incidit; è quo evaſit, ſuperſtite tamen *dolore*, qui per plures annos ingraveſcens, *vomitum*, *dyſenteriam* aliaque graviora ſymptomata poſt ſe trahit; donec tandem tot miſeriis finem impoſuerit lethum.

Inter ſectionem cadaveris, magna deprehenditur hepatis pars ulcere cancroſo exeſa. Similem quoque labem contraxerat pancreas. CLAR. VAN-SWIETEN.

OBS. 773. Mulier *dolore* gravi *in dextro hypochondrio* torquebatur. Corpus *colore icteritio* infectum ſenſim extenuabatur: nec deerat febris, cum urinis ſaturatis. Dolor demùm nullis remediis cadens, vitæ finem fecit.

In hepatis convexâ parte, magnum, amplum & profundum conſpicitur ulcus; quod veriſimiliter inflammationi ſucceſſit. DODONEUS.

OBS. 774. Cuidam, cùm diù laboraſſet ab *hepate*, tandem circà ejus regionem *tumor* apparuit, quo maturo & aperto ſanies fluxit cum ægri levamine; qui tamen paulò poſt, inter ſanitatis ſpem, interiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, inveniebatur hepar quaſi maraſmo tactum, & ulcere cancroſo eroſum. BALLONIUS.

OBS. 775. In cadavere cujuſdam qui poſt diuturnos, & *immanes hepatis dolores*, ſubitaneâ morte raptus fuerat; in conſpectum veniebat, ulcus in convexâ hepatis parte, quod ad ſuppurationem devenerat. BRASSAVOLUS.

OBS. 776. In cadaveribus duorum juvenum *lue venereâ extinctorum*, animadvertebatur tota ferè jecinoris tunica exulcerata. CAPIVACCIUS & ALEX. BENEDICTUS.

In hâc ſerie recipi debent obſervationes Libr. I. 309, 523, 1572, 867 (*b*).

## *Hepar putridum.*

HEPAR.

OBS. 777. Vir quinquageſimum quintum ætatis annum agens, *aſthmaticus*, moleſtâ *cordis palpitatione* conflictabatur; non ſecùs ac de *pondere in hypochondrio dextro*. Sub hâc rerum conditione ingruunt dolores colici ab inteſtini incarceratione in ſcroto; urgent lypothymiæ, quibus tandem è medio tollitur.

Pulmones occurrunt putridi, cum nonnullis hærentiis. Diaphragma ſursùm, vel ad mediam thoracis partem ab inteſtino colo, flatulentiâ ultrà modum diſtento, compulſum erat. Hepar putridum, inſtar fungi, friabile ad minimum digitorum contactum. Præthereà in propatulum venit abſceſſus infrà jecur intrà duplicaturam peritonei, pure fœtido repletus. BONETUS.

OBS. 778. Quidam ſartor vorax, macilentus & diu valetudinarius, *vomitionibus bilioſis*, *ventris torminibus*, atque *dolore ventriculi* poſt aſſumptum cibum, affligebatur. Tribus ante mortem menſibus *ſanguinem* purum & copioſum *vomitu rejecit*; dein materiam nigram. Intereà accedit iſchuria cum frequentibus animi deliquiis. *Venter* poſtremò *in tumorem attollitur*; & ad plures migrat æger.

Præter colluviem nigram, & ſeroſam, in abdomine ſtagnantem; major ventriculi pars hepati accreverat, adeò ut pars hepatis ad latitudinem duorum digitorum ab ipſomet ventriculo continebatur, & putris erat. Hinc minimè mirum ſi ventriculus materiâ nigerrimâ ſcateret. C. BAUHINUS.

OBS. 779. Quidam juvenis jampridem laborabat febre lentâ, cum cibi faſtidio & *alvi fluxu*. *Dejectiones* erant *ſubcruentæ*, & loturæ carnium ſimiles. Procedente morbo, & *hypochondriis* flatulentiâ ultrà modum tumentibus, ſenſim vires deficiunt, donec tandem elapſis octo circiter menſibus ad Superos migraverit.

Summè diſtenta, & maculis nigris defœdata reperiebantur inteſtina. Hepar erat partim ſcirrhoſum, partim putridum. Pulmones inſuper coſtis accreti exanthemata, maculaſque lividas præ ſe ferebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

HEPAR. OBS. 779. (*a*) Quidam litteratus, poſt febrem acutam, in *varia* ac diuturna *hepatis mala*, *icterumque* flavum incidit. Ingruit *febris inflammatoria*, perpetuo vomitu ſtipata. *Icterus niger* tum innoteſcit cum ſenſu preſſionis in ſcrobiculo cordis. Rebus tandem in deteriora ruentibus obiit.

Veſicula fellea tota conſumpta deprehenditur, cum pſeudo-calculo in mediâ putrilagine, perfectè ovali & lignei coloris, modicè ſubaſpero & unciali longiore. Hepatis pars proximior etiam computruerat. CLAR. HALLERUS.

OBS. 780. Vir quinquagenario major poſt *febrem* continuam incidit in *hecticam* cum macie, *hæmorrhagiâ narium* frequenti, & ſudoribus nocturnis. Dein accedunt tuſſis, *ſpirandi difficultas* cum ſputo ſordido. His addere licet *vomitum* & *diarrhœam ;* cum cibi faſtidio, *cardialgiâ* & anxietatibus. Tandem maraſmo confectus occubuit.

In apricum veniebant pulmones plevræ agglutinati, & gangrænoſi. Dexter abſceſſum amplum recondebat. Pericardium, quaſi cartilagineum, cordis ambitui arctè hærebat. Epiploon erat putridum ; atque hepar aridum, gangrænoſum & friabile. E DIARIO MEDICO.

OBS. 781. Quidam cachecticus incidit in nauſeam & *vomitum biliosſum.* Accedit *dolor ventris* qui ægrum excruciavit per menſes aliquot ; & adeò *vehemens* fuit, ut dies noctesſque ejulare coactus fuiſſet. *Alvum conſtipatam* habebat, cum febre lentâ, tandem ad obitum vergente.

Hepar totum putrefactum invenitur; cum veſiculâ fellis omninò vacuâ. Inteſtina tenuia tam flava erant, ac ſi croco infecta fuiſſent ; cum nonnullis gangrenæ notis. BONETUS.

OBS. 782. Puella ſexannis, priùs *cachectica*, *dolore lateris dextri* ſub veris coſtis, calore & ſiti corripitur. Pedes œdematosè tument, cum urinis turbidis. Accedunt *febris* & inquietudines ; *venter* fit *tumidus ;* dolet regio lienis ; *ſputa ſiunt cruenta ;* ac demùm obiit.

Secto cadavere, hepar valde magnum, maculis inſectum, & ex parte corruptum deprehenditur. Abdomen ſero fœdo & fœtido ſcatebat. Pulmones erant purulenti & putridi. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 783. Vir ſexageſimum ætatis annum attingens de *dolore ſtomachi*, cum *obſtructione hepatis* & *ſpirandi difficultate* prehenditur. Dein ingruit icterus niger, ſenſim poſt ſe trahens tumorem crurum œdematoſum. Ingruentibus poſtremò animi deliquiis, moritur. HEPAR.

Invenitur orificium ventriculi quodam modo corroſum & ſyderatum. Occurrit hepar marcidum & putreſcens; cum veſiculâ fellis ultrà centum lapillos continente. Pancreas, omentum & meſenterium erant ſphacelata. HELVIGIUS.

OBS. 784. Vir nobilis incidit in *vomitum cruentum*, & pituitoſum; cum appetitu inſigni. Sanguinis rejectio ceſſaverat; ſed perſiſtebat vomitus; adversùs quem varia roborantia & adſtringentia incaſſùm præſcribebantur. Tandem *ægrè ſpiritum trahens*, occubuit.

Celebratâ cadaveris ſectione, in propatulum venit hepar gangrænâ penitùs corruptum, & putrefactum. MARTIUS.

OBS. 785. Quidam per biennium *doloribus ad ventriculi regionem* incredibilibus, præſertim noctu, aliiſque ſymptomatibus alvinis diſcruciatus erat. Pridie quàm moreretur *per os excrevit ſanguinem* atrabilarium.

Inventum eſt hepar planè albicans, & ſemiputre. Cartilago xiphoïdes valde induruerat; & inferiore ſui parte eminebat. BALLONIUS.

OBS. 786. Mulier quinquagenaria per ſeptennium laboraverat *aſcite*, à ſuppreſſis menſibus ortum ducente. Increſcente malo, cum ſiti clamosâ; corpore tabefacto; & ventre ſuprà modum tumente, tandem obiit.

Inventum eſt jecur putridum, ità ut ſolis digitis impoſitis difflueret. Occurrebant inter peritoneum & inteſtina numeroſæ veſicæ inter ſe junctæ, è quibus diſruptis emanavit aqua ſalſiſſima ad libras duodecim. ZACUTUS.

OBS. 787. Quidam *inflammationem hepatis* primùm patiebatur: hanc excipit *fluxus hepaticus*, quo per ſex menſes ad extremam maciem perductus, tandem occubuit.

Aperto corpore invenitur loco hepatis ſola membrana ipſum veſtiens, ſatis craſſa, inſtar ſacci, cui adhuc portio ſaniei, loturæ

HEPAR. carnium ſimili inerat, qualem ſcilicet tam longo tempore excreverat. BONTIUS.

OBS. 788. In cadavere cujuſdam *febre ardente*, delirio ſtipata ſublati, reperiebatur ventriculus materiâ viſcidâ ex viridi-nigricante repletus, major hepatis pars, propè ciſtim felleam, ab exundante bile acerrimâ eroſa, & putredine tacta conſpicitur. Simili labe afficiebantur aliæ partes, circà veſiculam ſitæ. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 789. Quidam diuturno morbo conſumptus, de *dolore in hypochondrio dextro* querebatur. In mortui cadavere repertum fuit hepar ità putridum & corruptum, ut integræ ſubſtantiæ vix quadrans ſupereſſet. Lien verò ſolito major, aliàs ſanus, deprehendebatur. COITTERUS.

OBS. 790. Quinquagenarius *dolore* quodam *ſtomachi* gravativo per ſex hebdomadas laborans, cum *vomitu* & difficili decubitu in alterutrum latus, tandem interiit.

Superior hepatis pars diaphragmati accreta putris occurrit. Pulmones etiam læſi conſpiciuntur. BALLONIUS.

OBS. 791. In ſecto quodam *hydropico* & *hernioſo*, inveniebatur hepar & lien vicinioribus partibus arctiſſimè adnata. Hepar extrinſecùs cruorem nigerrimum condenſatum referebat: ingens præterea ſtagnabat aquæ flavæ & fœdiſſimæ copia. PLATERUS.

OBS. 792. In cadavere viri quinquagenarii, *febre acutâ*, cum *dolore & tenſione hypochondrii dextri*, ſublati, cernitur hepar torridum, & quaſi aduſtum; cujus parenchyma univerſum abierat in putrilaginem, maximamque puris copiam effundebat; potiſſimùm in parte gibbâ. PAWIUS.

OBS. 793. Quidam in *dyſenteriam febre ſtipatam* incidit, quam excipit *fluxus hepaticus*, quo nunc purum ſanguinem, nunc loturæ carnium ſimilem excernebat. Exacerbatâ febre, die ſeptimo obiit.

Sectio

Sectio cadaveris oſtendit hepar univerſum putridum, & ferè diſſolutum, cum læſione vicinarum partium JORDANUS. HEPAR.

OBS. 794. Vir quinquagenarius *profluvio hepatico* à ſex integris annis laborabat; adeò ut viribus ſenſim decreſcentibus, extremum tandem diem obiit.

Inventus eſt minor hepatis lobus conſumptus & colliquefactus; ſuperſtite tantùm ambiente membranâ. BALLONIUS.

OBS. 795. Luſtratis interaneis cujuſdam mulieris *hydropicæ*; quæ ſe gravidam dicebat; abdomen continebat majorem aquæ fœtidæ, & purulentæ copiam. Omnia viſcera cruſtâ quâdam purulentâ obducta cernebantur. Hepar occurrit omninò putridum; omniaque ſphacelata videbantur. SALTZMANNUS.

OBS. 796. In cadavere vetulæ macie confectæ & *veterem aſcitem* geſtantis, præter maximam aquæ copiam in abdominis cavo ſtagnantem, reperiebatur epiploon in epigaſtrio contractum & ſcirrhoſum. Hepar erat exiguum & putridum, abſque purulentiâ conſpicuâ. Lien erat extùs cartilaginoſus. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 797. In variis cadaveribus *lue* quâdam *ſcorbuticâ*, & *epidemicâ* extinctorum reperiebantur meſenterium obſtructum; hepar putridum & varios abſceſſus recondens; lien juſto major & putris; purulentia demùm in aliis, tum pectoris, tum abdominis viſceribus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 798. Quidam per ſex hebdomadas de quodam *ventriculi affectu* querebatur; videlicet quoddam ſentiebat *pondus moleſtiſſimum*, & ſæpè *vomebat*. Ac demùm fatis conceſſit.

Secto cadavere deprehendebatur ſuperior hepatis pars planè putris & diaphragmati hærens. BALLONIUS.

OBS. 799. Quidam *morbo prorsùs ignoto* per quinque & quadraginta dies laborans, animo ſæpè deficiens tandem interiit.

HEPAR. Reſerato abdomine, totum hepar deprehendebatur penè putridum. Pulmones etiam erant corrupti. BALLONIUS.

OBS. 800. In corpore cujuſdam, ſpatio triginta horarum, quaſi anginâ *ſtrangulati*, nil præter naturam invenitur in larynge: ſed jecur in conſpectum venit putrefactum; adeò ut, quaſi gleba, diſſolveretur. GUARINONIUS.

OBS. 801. Examini ſubjectis interaneis cujuſdam qui per plures annos fuerat valetudinarius, cum *pravo cutis colore*, inventa eſt pars hepatis concava ferè putredine abſumpta. VESALIUS.

OBS. 802. Cadaver cujuſdam mulierculæ *hydropicæ*, quæ pro gravidâ habebatur, exhibuit præter magnam aquæ fœtidæ copiam, hepar penè corruptum. PAWIUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 23, 97, 139, 303, 409, 955, 977, 1313; Libr. II. 323, 723, 766, 930; Libr. III. 872; Libr. IV. 168. Præter quas vide *Viſcera putrida.*

---

## *Hepar gangrænoſum.*

OBS. 803. Quidam, poſt *caſum ab alto*, omni caret ſenſu, erumpente copioſo ſanguine è naribus, & ex auribus. Poſteà inſurgit *febris vehemens*, cum ſomnolentiâ & delirio. Caput erat œdematoſum, cum cranio detecto, ſed integro. Dum omnia benè ſe habere videbantur, ingruunt *vomitus* bilioſi, cum crebris *lypothymiis* & ſopore lethargico. Febris intereà exacerbatur; recurrit delirium; ac tandem *vulnere exhauſto*, die vigeſimo primo à caſu interiit.

Luſtrato cadavere, reperitur ſanguinis copia in baſi calvariæ inter meninges. Hepar erat mole maximum & gangrænâ tactum: ejus involucrum ſolito craſſius ſubalbicabat; ejuſque demùm ſubſtantia, partim putrida occurrit. EX ACTIS CHIR. PARISIENSIS.

OBS. 804. Senex quatuor & ſeptuaginta annorum, vinoſus, *ventris dolore* corripitur quem theriacâ ſumptâ expulit. Deinde incidit in *dolorem* gravativum & quaſi *erodentem in regione iliacâ dextrâ*, paululùm tumente. Intumeſcentia & dolor ad cæteras abdominis partes ſe extendunt. Pulſus ſit major, & vibratus; poſteà humilis obſervatur. Erumpunt ructus crebri amari, & acidi. Ingruit delirium; artus convelluntur, & fatis ceſſit. HEPAR.

Inveniebatur ſiniſter hepatis lobus prorsùs ſphacelatus. Ventriculus & inteſtina paſſim rubra & livida obſervantur, cum ſero purulento ſtagnante in abdominis cavo. VALSALVA.

OBS. 805. Vir trigeſimum quintum ætatis annum agens, temperamento melancholico, quatuor abhinc menſibus è *peſte* evaſerat; cum denuò hoc nefando morbo percutitur; tribus erumpentibus *anthracibus*. Pulſus erat debilis; urgebant nauſeæ; ac demùm acceſſit delirium lethale.

Cordis ſtupenda erat moles; ac præſertim auriculæ dextræ quinque digitorum tranſverſorum latitudinem æquantis. Pulmones maculis lividis erant ſignati. Hepar gangrænæ notas exhibebat. Simili labe affecta veſicula ſemi-lacerata atram bilem fovebat. Duodenum denique & rectum inflammata annotabantur. DEIDIER.

OBS. 806. Quidam de vehementi *dolore in regione hepatis* querebatur, cum *dejectionibus* perpetuò *nigris*. Tandem ſingultu correptus ad plures migravit.

Examini ſubjectis interaneis, invenitur ren dexter duplo major, altero planè deficiente. Hepar circà limbum planè nigricabat; & varias gangrænæ notas exhibebat. Simili labe non nihil afficiebantur lien & ren dexter. Inteſtina prosùs erant livida, propter contenta ſimilia illis quæ per totum morbum dejecit. Ventriculus erat inanis. Cor flaccidiſſimum; ac demùm veſica lapillum, fabæ magnitudinem æquantem, recondebat. SOLENANDER.

OBS. 807. Quidam poſt varia infortunia mœrore confectus delira loquebatur. Dein *cibum* & *potum averſatur;* cum pedibus œdematoſis. Pergente *inædiâ*, vires ſenſim deficiunt: corpore tandem planè emaciato è vita migravit.

Inciſo cadavere in conſpectum venit hepar undequaque nigrum & quaſi ſphacelatum, ac digitorum veſtigia retinens. DODONEUS.

HEPAR.

OBS 808. In cadavere cujuſdam mulieris quæ *ventris* inferioris *tumorem inſignem*, & penè incredibilem per ſeptem annos geſtaverat, reperiebatur ſtupenda aquæ putidiſſimæ copia in abdomine. Hepar; parte convexa; livido & nigro colore erat infectum. Occurrebat lienis ſubſtantia, quaſi colliqueſacta, illæâ capſula. SEBITZIUS.

OBS. 809. Reſerato abdomine cujuſdam monachi qui de *dolore coli inteſtini* cum ardore acutiſſimo partium vicinarum querebatur, hepar inventum eſt inflammatum, & gangræna correptum; quæ labes inteſtina, proximioreſque partes infecerat. BARTHOLINUS.

Ad hanc ſeriem revocandæ obſervationes Libr. I. 337, 342, 431, 458, 607, 1516, 1636; Libr. II. 319 868, 889.

---

*Hepar ſteatomatoſum.*

OBS. 810. Miles quinquaginta annorum, poſt validum & improbum corporis niſum in *hepatitidem* incidit, quem ſequitur *icterus*. Quibus ſuperatis, dum ſaniſſimum ſe crederet, *cholerâ* corripitur è quâ etiam evaſit. Icterus denuò recurrit & fugatur. Dein ingruit *dolor* acerbus in regione *ventriculi*, cum magnâ præcordiorum anxietate. Deprehendebatur *tumor in hypochondrio dextro*, dolore ſtipatus. Alvus erat dura, cum vomitu nonnunquam recurrente. Sub hâc rerum conditione tandem obiit.

Præter ſerum in abdomine ſtagnans; hepar occurrit maximum, intùs totum ſteatomatoſum, cum variis tuberculis in ſuperficie. Cyſtis fellea calloſa & ſicca multos calculos recondebat; ductus cyſticus ab impacto calculo planè obturabatur. Pancreas denique totum ſcirrhoſum deprehendebatur CLAR. BAADERUS.

---

*Hepar abſumptum.*

OBS. 811. Virgo quinque & viginti annos nata, *ictero pertinaciſſimo* laborans, incidit in hydropem *aſcitem*, qui poſt ſolitum incrementum ad ultimam rerum lineam ducit miſellam decumbentem.

Abdomen continebat aquæ turbidæ & quaſi lutulentæ libras ſex. Inteſtina livida flatulentia erant admodùm diſtenta. Epiploon annotatur quaſi abſumptum. Major hepatis lobus ſummè tumens deprehenditur; internus verò erat quaſi abſumptus, & vaſa duntaxat membranaſque exhibebat. Vaſa biliaria ultrà modum dilatata conſpiciuntur. Veſicula demùm fellis ampliſſima & à nativâ formâ degener, pondo quatuor vel quinque librarum, innumeris hydatidibus ſcatebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS. HEPAR.

OBS. 812. In cadavere fœminæ quatuor & triginta annorum, *hydropicæ*, præter ingentem aquæ craſſæ, & amurcæ ſimilis, copiam, reperitur jecur ferè totum conſumptum, venoſis ſolummodo ductibus, iiſque per paucis ſuperſtitibus. Lien & renes ſimili fermè modo afficiebantur. Ventriculus praſinam bilem continebat. Diaphragma aliquot in locis ſphacelo correptum conſpiciebatur. Uterus molam recondebat, quæ in materiam, melli ſimilem, converſa erat. PAWIUS.

OBS. 813. Quidam poſt grave *capitis vulnus*, nonnullis elapſis menſibus ab integrâ curatione, in *morbum hepatis* incidit. Primò ſcilicet ſe prodit *icterus*, cùm febre lentâ: ſequitur atrophia, *tumente* & indurata *hepatis regione*. Tandem accedit delirium, quod brevi mortem poſt ſe trahit.

Aperto abdomine, hepatis ſubſtantia ferè tota conſumpta, ipſiuſque loco putrilago & purulentia, tanquam in ſacco incluſa, inventa eſt. MERMANNUS.

OBS. 814. In cadavere cujuſdam *lentâ tabe* extincti, reperti ſunt in veſiculâ felleâ lapilli pluſquàm ferè ducenti, partim quadranguli, partim cineritii, partim ſubflavi, & auro quaſi micantes. Jecoris ſubſtantia planè erat exeſa. De dolore tamen gravativo dextri lateris nunquam conqueſta eſt. HORSTIUS.

De hâc læſione hepatis mentio etiam ſubjicitur in obſervatione Libr. I. 1031.

HEPAR.

## *Hepar deficiens.*

OBS. 815. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam viri *hydrope* extincti; cum ſub ſepto tranſverſo hepar & lien quærerentur, ne veſtigium quidem illarum partium invenitur. (Quod ſanè quidem omnem fidem ſuperat.) Subſtantia verò omnium inteſtinorum craſſa & carnoſa prorsùs deprehendebatur; multaque ſolidior quàm ipſa muſculorum caro; adeò ut denſitate cordis contextui ferè reſponderet. Inſuper vena cava ex inteſtinis ſuam originem ſumebat, eodem fermè modo quo vena portæ ſolet ipſis implantari. C. BAUHINUS.

## *Hepar aridum & exſuccum.*

OBS. 816. Quidam *febre* per ſpatium ſemeſtre afflictus, tandem in *delirium* incidit; quod ità exacerbatur, ut in furore animum efflaverit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat hepar mole ingens, & friabile; leviſſimo contactu in rimas & fiſſuras dilabens. Veſicula recondebat bilem craſſam, picis inſtar liquidæ. Pancreas ſcirrhoſum occurrit. Stagnabat copia humoris ſubcærulei in cerebro. Plexus choroïdes albicans, & quaſi glanduloſus annotatur. MANGETUS.

OBS. 817. Luſtrato cadavere cujuſdam mulieris quadragenariæ, *ictero* chronico extinctæ, in conſpectum veniebat hepar lividum, durum & exſiccatum, cum veſiculâ felleâ in ſeſe concidente & inani. Ventriculus & inteſtina livore affecta, flatu diſtendebantur. Occurebat lien mole amplior, & nonnihil putridus. Pancreas infarctum & tumidum cernebatur; non ſecùs ac epiploon craſſiſſimum & ſcirrhoſum, cum ſtagnante ſero copioſo & ſubflavo. Cæterùm oſſa cum cæteris partibus colore flavo tingebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 818. In variis *febre intermittente* epidemica mali moris enecatis, deprehendebantur cordis atria, & pulmonum vaſa, ſanguine nigro turgentia, cum aquâ effusâ in thoracis cavum.

Ventriculus flatulentiâ diſtendebatur. Hepar quaſi inuſtum vel albidum & exangue, ac nonnihil induratum conſpicitur. Pancreas erat ſcirrhoſum; cum liene putrido. CLAR. SENACUS. HEPAR.

OBS. 819. Inter ſectionem cujuſdam *inflammatione hepatis*, & *febre* continuâ cum *diarrhœâ* ſeroſâ, & bilioſâ, extincti, repertum eſt hepar inſigni tumore protuberans; cujus ſuperficies erat mollis; & interior ſubſtantia, ligni inſtar, dura & retorrida deprehendebatur. CAR. PISO.

OBS. 820. In cadavere cujuſdam juvenis qui *aſcite & anaſarcâ* laboraverat, præter aquam flavam, & ſubatram inviebatur hepar nigricans, duriſſimum, & tanquam corium torrefactum; adeò ut cultro incidi vix poſſet. GUARINONIUS.

OBS. 821. In cadaveribus plurium *ſcorbuticorum*, qui dum viverent, urinam excernebant rubicundam, deprehenſum fuit hepar exangue, & exſuccum; cum veſiculâ fellis, nunc inani, nunc amurcâ, vel lapidibus fœta. WILLISIUS.

OBS. 822. Reſerato abdomine cujuſdam mulieris quæ *ſiti intensâ* à teneris erat conflictata & dein variis morbis complicatis confecta, reperiebatur hepar intùs aridum, & velut ſemi-coctum. HILDANUS.

OBS. 823. Corpus ſectum cujuſdam fœminæ *ictero* & *hydrope* ſublatæ, exhibebat jecur aridum, atrum, exſuccum, & inſtar corrugati corii, ità in ſe contractum, ut vix æquaret geminum pugnum. TULPIUS.

OBS. 824. In cadaveribus variorum *cholerâ morbo* denatorum, aridum annotabatur hepar & exſuccum cum turgente veſiculâ felleâ. RIOLANUS.

OBS. 825. In cadavere cujuſdam *aſcitici*, inveniebatur hepar retorridum; cum inteſtinis ſyderatis, & altero rene putrido; præter aquæ copiam in ventre ſtagnantem. TULPIUS.

His addere licet obſervationes Libr. I. 180, 182, 265, 517, 558, 910, 1024, 1038, 1396, 1551, 1577; Libr. II. 186; Libr. IV. 209.

HEPAR.

## *Hepar fiſſum.*

OBS. 826. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam fœminæ, cui *crura ſummoperè inflata* erant, deprenhedebantur calculi innumeri in cyſti felleâ reconditi. Renes nigricabant, quibuſdam in locis adeò pertuſi & foraminibus patentes ut citrà diviſionem, digiti in cavum intendi poſſent. Hepar prætereà hinc indè fiſſum, & variis hydatidibus obſitum, annotabatur. PLATERUS.

OBS. 827. Exenterato cadavere cujuſdam juvenis *febre ardente* extincti hepar deprehendebatur aridum, & quaſi combuſtum, cum quatuor rimis in parte convexâ conſpicuis. HESSIUS.

OBS. 828. Rimas & hiatus, in hepate quorum labia invicem annectebantur, ope tenuis pelliculæ, poſt varias ægritudines, pluries vidit GLISSONUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr I. 616, 655, 1016; Libr. II. 614, 869.

## *Hepar calculoſum.*

OBS. 829. In cadavere cujuſdam mulieris, de *dolore & æſtu hepatis* perpetuò querulæ, comperiebatur in inferiore parte lobi hepatis accreta cyſtis, longa, denſa &ità dura, ut vix forcipe ſcinderetur; cujus cavitas repleta erat tumore glutinoſo, ex nigro ſplendente; in cujus meditullio repertus fuit lapis paulò minor, ovo gallinaceo, qui ſecuri per medium fractus reſplendeſcebat; ac ſi nitro repletus fuiſſet. GREISELIUS.

OBS. 830. Quædam mulier diuturno & moleſtiſſimo *hepatis dolore* angebatur; quo demùm invaleſcente è vita migravit.

Repe-

Reperiebantur in decliviori hepatis parte lapilli figurâ & colore diverſi, qui ſua gravitate ex tunicâ ſacculum, longitudine palmi, latitudine verò duorum digitorum, effecerant. BENEVENIUS. HEPAR.

OBS. 831. Quidam crebras *preſſiones* & *punctiones dextri lateris*, ſub nothis coſtis ſentiebat. Accedunt *febris* & *dyſenteria*, quibus brevi è medio tollitur.

Luſtratis interaneis in conſpectum veniebat totum hepar tartaro induratum. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 832. Vir quidam qui *nuſquam conqueſtus fuerat de hepate*, poſt obitum, exhibebat calculum, ovi columbini magnitudine, lobo jecinoris adnatum; eique ſub finem parenchymatis appenſum. HENR. AB HEERS.

OBS. 833. In cadavere fœminæ *derepentè extinctæ*, repertus fuit lapis ad ovi anſerini magnitudinem accedens, ponderis leviſſimi, intùs candicans, & hærens hepati. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 834. Hepar cujuſdam viri *hydrope* extincti, arenâ copioſâ refertum conſpiciebatur. LUCIUS.

OBS. 835. Poſt varios morbos concretiones lapideas in ſubſtantia hepatis narrant ſe vidiſſe FALLOPIUS, BLASIUS. &c,

In hac ſerie recipi queunt obſervationes Libr. I. 303, 458, 530, 633, 654, 659, 904, 1011, 1576, 1706; Libr. III. 549.

## *Vermes in hepate.*

OBS. 836. Quidam melancholicus gravi *hepatis obſtructione* laborans, in *icterum* incidit; dein accedit *febris lenta* cum *alvi fluxu* pertinaciſſimo; quibus tandem abſumptus obiit.

Bb

HEPAR. Secto cadavere, inveniuntur vermes in ipſamet hepatis ſubſtantiâ, qui cellulas, tanquam diſtinctas cryptas, & luſtra, ſibi excavaſſe videbantur; minimi ſanè; ſed tamen oculis nudis conſpicui, capite nigricante, ſex pedibus erant inſtructi: totius animalis habitu, ad rotundum, cimicis inſtar, accedente. BIANCHUS.

OBS. 837. Exenterato cadavere cujuſdam viri, qui intricatiſſimo vel prorsùs *ignoto* quodam *affectu* laboraverat; in propatulum veniebat, intrà hepatis ſubſtantiam, inſignis vermium fœtura. GEMMA.

## *Hepatis adhæſio morboſa.*

OBS. 838. Quidam *febre ardente* correptus, ſpumantem *ſanguinem ore rejiciebat*, cum *hypochondrii dextri dolore*. Pergente morbo, & ingraveſcente, tandem occubuit.

Inter diſſectionem cadaveris, deprehendebatur hepar fibris quibuſdam, vel contextu fibroſo, connexum cum nothis coſtis; ut inde vix avelli potuerit. DURETUS.

OBS. 839. In cadavere cujuſdam qui quaſi perpetuò de inſigni *dolore in hypochondrio dextro* conquerebatur, viſendum ſe præbet hepar totâ ſuâ ſuperficie diaphragmati proximiori adnatum. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 840. Cultro anatomico ſubjectis nonnullorum corporibus qui *dolore lateris dextri*, ſpeciem pleuritidis referente, conflictabantur; inventum fuit hepar variis fibris coſtis ſpuriis hærens. ZECCHIUS.

OBS. 841. Luſtrato cadaverculo infantis bimuli, qui *diſpnϾâ* laboraverat, occurrebat hepar durum & albicans, arctè coſtis mendoſis & diaphragmati accretum. BARTHOLINUS.

OBS. 842. In cadaveribus variorum *aſthmaticorum*, deprehendebatur hepar diaphragmati præter naturam agglutinatum. CAR. PISO.

Haud abſimilem caſum ſiſtunt obſervationes Libr. I. 108, 268, 441, 520, 599, 701, 1011, 1111, 1516; Libr. II. 17, 54; Libr. III. 147. HEPAR.

## *Hepar cruſtâ obductum.*

OBS. 843. Introſpectis cadaveribus variorum *hydrope* variæ indolis extinctorum, in apricum veniebat crusta quædam, è materiâ quadam albâ pituitosâ, & incraſſatâ, inſtar albuminis ovi cocti, undequaque cingens hepatis ambitum, & nonnunquam lienis, cæterorumque viſcerum. BARTHOLINUS, PANAROLUS, &c.

Hujuſce læſionis exemplum proſtat in obſervatione Libr. I. 341.

## *Cyſtis fellea bilem atram continens.*

OBS. 844. Vir quinquageſimum quintum ætatis annum agens horrore corripitur, quem excipit *febris acuta*, immani *vomitu*, & virium defectu, ſtipata. Erumpit *bubo peſtilens* ex axillâ ſiniſtrâ, cum nonnulla remiſſione. Quinto à primo inſultu die ſiti intensa vexatur æger; & *ſpirandi difficultate* premitur. Poſtridie exanthematibus atro-purpureis deturbatur pectus, & paulò poſt rebus humanis vale ſupremum dixit.

Exenterato cadavere, in conſpectum veniebant inteſtina phlogoſi tacta. Hepar inculpatum ſe præbet; ſed veſicula fellea bile glutinosa & nigricante diſtendebatur; nec ab ſimili colluvie ſcatebat ventriculus. Pulmones inſuper maculis purpureis ſignati, coſtis hærebant. COUZIERS.

OBS. 845. Inter ſectionem cadaveris pueri undecim annos nati, & *peſte* ſæviſſima rapti, in conſpectum veniebat veſicula fellea, bile atra & glutinosa turgens; quæ etiam ventriculum conſpurcabat; varias præterea gangrænæ notas præ ſe ferentem. COUZIERS.

Vulgatiſſimæ hujuſce læſionis exempla proſtant in obſerva-

HEPAR. tionibus Libr. I. 424, 440, 441, 450, 580, 606, 608, 612; 653, 709, 722, 742, 807, 816, 826, 1017, 1620; Libr. II. 312, 315, 316, 758, 758; Libr. III. 30, 70, 142, 262, 381; Libr. IV. 86, 88.

---

## *Cyſtis fellea porraceâ & æruginosâ bile turgens.*

OBS. 846. Luſtratis interaneis cujuſdam puellæ duodecim annos natæ, poſt *alvi fluxum* contumaciſſimum & æruginoſum extinctæ, deprehendebatur hepar ſanum; ſed veſicula fellea ingens, vel ovi gallinacei magnitudinem ſuperans; bile æruginosa repleta. DIEMERBROEK.

OBS. 847. Reſerato abdomine pueri decennis poſt *choleram*, *febre leipyriâ* correpti, & *inflammatione hepatis* extincti, occurrit veſicula fellis ovum gallinaceum magnitudine æquans, bile ſaturatè viridi repleta, quâ etiam tumebat porus choledocus. BONETUS.

OBS. 848. In cadaveribus variorum infantum inter *choleram* morbum extinctorum, in conſpectum veniebat folliculus felleus bile æruginosà ſcatens DIEMERBROEK.

In hac ſerie locum aſſequi valent obſervationes Libr. I. 683; 449; Libr. II. 539, 540, 930; Libr. III. 33.

---

## *Humor degener in cyſti felleâ.*

OBS. 849. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam mulieris, jamdiù *cachecticæ*, & ad varias ægritudines proclivis, deprehendebatur in veſiculâ felleâ, latex quidam ſeroſus & pallidus; non ſolùm minimè amareſcens; ſed etiam inſipidus, dulcique proximus; à genuinè ſcilicet bile planè degener. GLISSONIUS.

OBS. 850. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam viri cachectici & *leucophlegmatiâ* diuturnâ extincti, in conſpectum ve-

niebat veſicula fellea humorem albicantem & merè lacteum continens; à merâ bile planè alienum; inculpatis cæteris viſceribus. RIVALERIUS.

HEPAR.

OBS. 851. Luſtrato cadavere cujuſdam hydrope *aſcite* defuncti, præter colluviei ſeroſæ, flavæ & corruptæ copiam, deprehendebatur omentum ferè abſumptum. Hepar verò occurrebat valdè induratum & ſcirrhoſum, intuſque croceum; veſiculâ felleâ ſanguinem atrum, craſſum & fæculentum continente. PAWIUS.

OBS. 852. Cadaver cujuſdam conſiſtentis ætatis intrà triduum *peſte*, *vomitu bilioſo*, & anthracibus, ſtipatâ, ſublati, occurrunt ventriculus & inteſtina flatu turgida. Veſicula fellis triplo major bile ſeroſâ nigerrimâ replebatur. Ventriculus cordis ſiniſter ingentem polypum recondebat. LE MOINE.

OBS. 853. In cadavere cujuſdam nutricis *peſte* intrà triduum raptæ, annotabatur inteſtinum ileum nonnihil inflammatum. Hepar verò mole maximum, veſiculam felleam ſero quodam nigerrimo turgentem exhibebat. LE MOINE.

Hanc claſſem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 12, 394, 620, 903, 983; Libr. II. 98, 422.

## *Cyſtis fellea pure ſcatens.*

OBS. 854. Vir quinquageſimum & quintum ætatis annum agens, vini intemperans, *dolore pectoris* cum *ſpirandi difficultate* antè annum tentabatur; pulſus fit inæqualis; lotium parcè fluit, cum pedibus œdematoſis. Sub hac rerum conditione, erumpit media nocte per totum corporis habitum quædam *effloreſcentia*, cum calore & immani pruritu; qua intempeſtivo frigore repulſa, derepentè interiit.

Inter cadaveris anatomen, deprehendebatur hepar mole majus. Veſicula fellea, forinſecùs albicans, & intus ulceroſa, ſincerum pus continebat. Cor erat prægrande, cùm auricula dextra ampliſſima. Ventriculi cerebri modica ſeri turbidi quantitatem recondebant. LANCISIUS.

HEPAR. Haud abſimilis purulentiæ exemplum præbet obſervatio Libr. I. 710.

---

## *Veſicula fellis mire tumens.*

OBS. 855. Puer duodecim annos natus, poſt *caſum ab alto*, & *hypochondrii dextri* gravem *contuſionem* queritur de *dolore* obſcuro & gravativo in parte læsa. Nonnullis elapſis menſibus ſolito triſtior evadit, deficit appetitus. Tandem accedit macies cum *vomitu* & *dolore ſtomachi*. Sequitur *febris lenta*, cum ſiti & cute arida. Sedes rariores albicant; & tument crura. Sub hoc rerum ſtatu, erumpit *tumor* durus *in hypochondrio* dextro, qui poſt certum incrementum ad latus ſiniſtrum pertingit. Dein in altum elevatur abdomen, cum manifeſta fluctuatione. Urget *ſpirandi difficultas*, & planè impeditur decubitus, uſque ad mortem.

Reperiebatur omentum inteſtinis adglutinatum. Hepar variis tuberculis ſcatebat. Veſicula fellis mirè diſtenta libras octo bilis continebat; ejus cavum variis cellulis erat diſtinctum. Prætereà in parte ſiniſtra abdominis occurrit ſaccus lieni adnatus, aquæ limpidæ libras ſex continens. EX ACT. EDIMBURGENSIB.

OBS. 856. Vir quadragenarius per quatuor menſes *febre duplici tertianâ* laborabat, quæ in tertianam ſimplicem mutata, tandem in *quartanam* deſiit. Tùm *corpus* fit *œdematoſum*: paulò poſt tumor evanuit & ſupervenit moleſtiſſima *tuſſis*. Poſtremò macie confectus in motus convulſivos lethales incidit.

Secto cadavere, occurrunt in ſuperficie cordis hydatides concreſcibili ſero turgidæ. Pulmones erant phlogoſi affecti. Veſicula fellis ingentis erat magnitudinis: intrà cujus tunicas recondebatur materia quædam compacta & gelatinoſa, undè horum laterum craſſities digitum æquabat. Meatus demùm cyſticus calloſus ab eadem concreta materia obſtruebatur. FANTONUS.

OBS. 857. Vir quinque & quadraginta annorum, poſt nonnullos *febris intermittentis* paroxyſmos, & defluxionem catarrhalem, in marcorem incidit, tuſſi ſicca & pravis digeſtionibus ſtipatum. Dein *ictero* corripitur cum *duritie*, doloris experte, circà regionem *hepatis*. Lotium erat turbidum & ſubrubrum, cum de-

jectionibus albicantibus. Paulò poſt deſficit appetitus; proſternuntur vires; & obiit æger. HEPAR.

Reſerato abdomine inveniebatur veſicula fellea mirum in modum tumens, & peritoneo accreta; quæ ſcilicet bilis viſcidæ & glutinoſæ libram unam & amplius, continebat, cum ſexaginta pſeudo-lapidibus, multiformibus & diverſæ molis. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 858. E quodam juvene *hydropico* duodecim educebantur libræ lymphæ virideſcentis, ope paracenteſis; ac poſtridie moriebatur.

Triplici cauſæ fuit adſcribenda ventris moles; 1° aſciti; 2° hydropi lienis, qui ſupernumerariam à peritoneo accipiens membranam; inter hanc & propriam tunicam aquæ limpidæ & inodoræ, ſed muriaticæ libras ſex continebat; 3° immani veſiculæ felleæ amplitudini, quæ in varios loculos diviſa octo libras bilis ſpiſſioris gerebat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 859. Quidam puer *cephalalgiâ* ſæviſſimâ, & *paraphrænitide*, laborabat; ſubſequente tandem *ſopore*, nulla arte fugando, ad plures migravit.

Inciſo cadavere, nullum occurrit vitium notatu dignum in cerebro; ſed veſicula fellea bile ſubfuſcâ mirum in modum diſtendebatur, & portentoſa apparebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 860. Inter ſecandum *ictericum* cujus *alvus*, dum in vivis ageret, erat *obſtructa*, in propatulum veniebat folliculus fellis, ſtupendæ magnitudinis, & ingentem bilis copiam retinens. BARTHOLINUS.

In hoc cenſu collocari debent obſervationes Libr. I. 811; Libr. II. 487.

---

## *Pſeudo-lapides biliares.*

OBS. 861. Vir ſextum & ſexageſimum ætatis annum agens, gravibus *ad ventriculum cruciatibus* correptus eſt, cum llioſo & copioſo *vomitu*, *alvi obſtructione* & *febre*. Opportunis præ-

HEPAR. ſidiis fugatus morbus, paulò poſt denuò recurrit, cum pulſu parvo & intermittente; atque appetitu proſtrato. Dein nigerrima per alvum redduntur, atram antiquorum bilem referentia. Accedit grave animi deliquium; & ſubdelirare cœpit æger, de acerbiſſimo *capitis dolore* querulus. Ac tandem ſexto à morbi initio menſe deceſſit.

Luſtrato abdomine, veſicula fellis triplo major quàm par eſſet, bilem nigerrimam, amurcæ inſtar continebat; cum octodecim pſeudo-calculis diverſæ molis & multiformibus, quorum minores ipſis veſiculæ parietibus quaſi hærebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 862. Quidam ſexagenarius de inſigni *corporis debilitate*, appetitu proſtrato, & noctibus inquietis querebatur. Pulſus erat durus & celer. Urina ſabulum rubrum deponebat. *Gravitatem circà præcordia*; & veſperè *calorem cum oris ſiccitate* experiebatur. Noctu verò ſymptomatico ſudore plectebatur. Sic paulatim ad extremum diem ſe compoſuit.

Luſtrato cadavere, lien reperitur prorsùs marcidus. Veſicula fellea bile exinanita, lapillis quaſi ſiliceis diverſæ magnitudinis ſcatebat, quorum major cicerem exſuperans porum biliarium obturabat. Renes arenulas rubras recondebant. Pericardium omni humore orbatum ſe præbet. Aperto cranio invenitur proceſſus falciformis ad ſui dimidiam longitudinem penitùs oſſeus. BONETUS.

OBS. 863. Matrona triginta annorum ad *colicam hepaticam*, nonnunquam immanem, prona, cum *tumore cyſtis felleæ*, tandem incidit in inſultum ferociorem; ſub quo totum *abdomen protuberat*, & ſenſus per biduum obnubilantur. Poſteà dolores leniuntur & ſolvitur alvus, cum dejectionibus bilioſis & purulentis. Poſt ſeptem elapſos annos ab hoc inſultu, cujuſvis doloris neſcia ægra, *febre malignâ* corripitur, quâ ad ultimam rerum lineam ducitur.

Hepar & veſicula fellea morboſè hærebant inteſtino colo, non ſecùs ac peritoneo. Veſicula exigua pſeudo-lapidem, nucis moſchatæ magnitudinem æquantem recondebat. Lateribus veſiculæ adeò hærebat prædictus lapis; ut ne quidem bilis guttam continebat illud receptaculum. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 864. Vir ſeptuagenario major ad *dolores colicos*, viginti abhinc annis, erat valdè proclivis; ſub quorum paroxyſmis, dolor

lor primùm ſæviebat in hypochondrio dextro, dein ad dorſum & cartilaginem enſiformem propagabatur, cum *pectoris anguſtiâ* & ſpirandi difficultate. Accedebat *vomitus* materierum ſtypticarum, quibus dentes ſtuporem contrahebant. Intrà quatuor horas circiter continebantur paroxyſmi; ac bis, terve in menſe recurrebant. Tandem accedit peripneumonia quâ è medio tollitur. HEPAR.

Præter pulmones inflammatos, ſanioſos, & ſphacelatos, reperiebatur folliculus felleus ſolito amplior, & undetriginta calculis biliaribus repletus, quorum plerique nucem avellanam magnitudine æquabant. E DIARIO ERUDITOR.

OBS. 865. In cadavere cujuſdam fœminæ *doloribus colico-hepaticis* obnoxiæ, & poſt excretionem variorum lapidum biliarium per ſedes extinctæ, deprehendebatur in veſiculâ felleâ calculus ad nucis juglandis magnitudinem accedens, intensè flavus & ſatis fragilis. Notatu dignum inſuper occurrit ductûs choledoci orificium in inteſtino duodeno: hoc enim oſtium, quod cæteroquin nonniſi accuratâ inſpectione detegi poteſt, adeò amplum animadvertitur, ut minimum digitum facillimè admitteret; procul dubio à calculis majoribus, qui anteà exierant, eò uſque dilatatum. HEISTERUS.

OBS. 866. Virgo viginti annos nata *ictero*, levi dolore in regione hepatis ſtipato, à menſe laborabat; cùm quaſi ſubitò corripitur *cordis palpitatione* & *reſpiratione anhælosâ*. Accedit pedum intumeſcentia œdematoſa; quam preſſo pede ſequitur *hydrops pectoris*, quo inter ſex hebdomadas occubuit.

Præter aquæ copiam in pectore ſtagnantem, reperitur hepar mole majus. Veſicula fellis plus æquo diſtenta binos pſeudo-calculos ad nucis moſchatæ, magnitudinem accedentes recondebat. Alter calculus, fabæ magnitudine, ductum cyſticum obturabat. CLAR. IMBERTUS.

OBS. 867. Inter exenterationem cujuſdam *phthiſici*, qui dum viveret plures inſultus *colicæ hepaticæ* paſſus fuerat, in conſpectum veniebat folliculus felleus mirum in modum diſtentus; continens ſcilicet centum & triginta lapillos bilioſos anguloſos & multiformes, quorum nonnulli majores nucis avellanæ magnitudinem æquabant; minoribus verò piſum æmulantibus. Ne minimam humoris bilioſi guttam recondebat prædictum receptaculum. Reſerato pectore pulmones conſpiciebantur pure infarcti, & putridi. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

HEPAR.

OBS. 867. (*a*) In cadavere cujuſdam fœminæ *hydrope* extinctæ, præter aquæ ingentem copiam occurrit hepar ſcirrhoſum, cum amplâ veſiculâ felleâ quæ multum liquoris albidi, & penitùs inſipidi, continebat, cum enormi farragine calculorum; numero ſcilicet quadraginta & centum. Ductus cyſticus tribus lapillis obturabatur; choledocus verò bile flavâ & amarâ turgebat, cui ingreſſus ad veſiculam planè denegabatur. CLAR. HALLERUS.

OBS. 867. (*b*) Luſtrato cadavere cujuſdam mulieris *ictericæ*; deprehenditur omentum corporis carnei naturam referens. Hepar ulcere eroſum ſe præbebat. Cyſtis fellea quindecim calculos continebat, quorum quatuor majores nucem avellanam ſuperabant; reliquis parvis: anguloſi omnes erant cum aliquâ cubi ſimilitudine. Unius roſtrum in ductum cyſticum, hinc obturatum producebatur. Bilis reliqua pauca parùm amara, & parùm flava. CLAR. HALLERUS.

OBS. 867. (*c*) In cadavere cujuſdam latronis, laqueo ſuſpenſi, cujus *firma* erat *valetudo*, deprehendebantur in veſiculâ felleâ duo pſeudo-calculi albo-lutei, ex granulis compoſiti. Alter major ovatus cœcum finem ſiccæ veſiculæ replevit; alter parvus in principio ductûs cyſtici, infrà obicem ſummè dilatati, arctè hærebat, & hinc impediebat quominùs bilis ab hepate ſecreta ad veſiculam appelleret. CLAR. HALLERUS.

OBS. 868. Quidam arthriticus in *morbum regium* incidit; qui dein hydropem aſcitem poſt ſe trahit. Quo pergente varia & graviora caput exerunt ſymptomata, cum quibus ultrà ſex menſes colluctatus tandem leniter expiravit.

Occurrit calculus biliaris totam veſiculam felleam replens. Hepar croceo colore partim tinctum conſpiciebatur. Inteſtina maculis lividis & nigris hinc inde diſtincta cernebantur. Renes prætereà parvi & flaccidi nucis juglandis molem vix æquabant. TIMÆUS.

OBS. 869. Nobilis mulier inter præpoſtera adversùs ſterilitatem remedia, *vomitu bilioſo*, permoleſto & quaſi continuo corripitur. Tandem accedit *pleuritis*, quæ brevi decumbentem mittit illuc undè negant redire quemquam.

Cultro anatomico ſubjectum cadaver exhibebat veſiculam felleam ſummè extenſam; vel planè obſtructam propter decem

pſeudo-lapides[1], ſatis grandes, & glandis faginæ figuram exactè referentes. CAMERARIUS. HEPAR.

OBS. 870. Quædam mulier ſexageſimum ætatis annum ſuperans jampridem *morbo regio* laborabat, & continuo *vomitu* excruciabatur. Quibus pergentibus, & ingraveſcentibus, tandem ad plures migravit.

Inter corporis exenterationem multi reperti ſunt calculi in veſiculâ felleâ, quorum unus prægrandis meatum choledocum ſubierat; adeò ut undequaque obſtructus annotaretur prædictus tubus. COITERUS.

OBS. 871. Quidam ſeptuagenarius multis abhinc annis, quoties in lecto ſe convolveret, *magnum*, moleſtumque *pondus*, ex unâ in alteram partem delabens *circà regionem hepatis* percipiebat.

Huic poſt obitum diſſecto, inventi ſunt duo lapides ingentis magnitudinis in veſiculâ felleâ, hinc ſummè diſtentâ. Hepar, & cætera viſcera abdominis, inculpata videbantur. FABR. HILDANUS.

OBS. 872. Adoleſcens novem & viginti annorum de *ſtomachi & hypochondrii dextri læſionibus*, cum nauſeâ querebatur. *Alvus* erat *adſtricta* & noctes inſomnes. Tandem macilentus, & mœrore confectus, obiit.

Corpus ſectum exhibuit cor tabidum. Veſicula fellis duo & viginti calculos anguloſos & magnitudine diſpares recondebat; quorum minimi piſis, & maximis fabis, reſpondebant. KENTMANNUS.

OBS. 873. Vir quadragenario major *colicæ hepaticæ* obnoxius; dejectis per ſedes variis pſeudo-lapidibus biliaribus diverſæ molis: tandem ingruente inſultu longiori & ferociori extinguitur.

Hepar ſanum occurrit: ſed veſicula fellea innumeris lapillis atro-viridibus & anguloſis ſcatebat; quorum bini in ductum communem deturbati; hunc canalem, ad crepaturam ultrà obicem diſtentum, obturabant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 873. (*a*) In cadavere cujuſdam, ad *fatuitatem* hypochondriaci, *lienoſo morbo*, & frigore enecti, occurrebat hepar maximum, proprio proceſſu ad lienem extenſum. Bilis pauca, & vix

Hepar. amara coacervabatur in folliculo felleo, qui recondebat calculum totum ferè ſpatium replens, formâ oblongâ, è colore fuſco variegatum, & elegantiſſimum. Clar. Hallerus.

OBS. 873. (*b*) Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam fœminæ, quæ *ictero nuſquam laboraverat*; ventriculus reperitur circà pylorum valdè contractus. Veſicula fellea alba, abſque bilis veſtigio, fovebat duos albos calculos, avellanæ mole; ſub cortice ſaturatè virides, quæ viriditas in flavedinem abibat. Quemlibet ſua quaſi capſula continebat. Clar. Hallerus.

OBS. 873. (*c*) Introſpecto cadavere cujuſdam *fœminæ centum annorum*, in propatulum veniebat veſicula fellea continens, præter bilem paucam vix amaram, calculum biliarem, exiguum & anguloſum ſub primâ valvulâ orientis ductûs cyſtici, quo planè obturabatur hic tubus. Alter conſpiciebatur, avellanæ molem ſuperans, circà fundum veſiculæ, cum pluribus aliis minoribus. Clar. Hallerus.

OBS. 873. (*d*) Inter ſectionem mulieris laqueo ſuſpenſæ, quæ *ſaniſſima*, dum viveret, videbatur, inteſtina, ut ſolent in ſtrangulatis, deprehendebantur ruberrima. Veſicula fellea continebat undecim pſeudo-lapides; quorum unus latitabat in choledoco ductu; & tres in canali cyſtico. Omnes mori formâ è multis quaſi acinis conflari videbantur. Bilis erat pauca & vix amara. Clar. Hallerus.

OBS. 874. Quidam *icterum* cum *dolore immani ventriculi* priùs perpeſſus, *febre* corripitur cum *dolore hepatis*. Intereà *abdomen* in altum *protuberat*; reſpiratio fit difficilis, & adventat mors.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, veſicula fellis ſolito amplior quinque & octoginta calculos biliares complectebatur; ab uno quorum transfixi erant veſiculæ parietes. Clar. Imbertus.

OBS. 875. In cadavere cujuſdam mulieris ſummè obeſæ quæ ex *hydrope univerſali* deceſſerat; præter aquam, tum in pectore, tum in abdomine patet veſicula fellea plus æquo tumida bile lentâ & viſcidâ, cui innatabant quatuor calculi magnitudine impares. Ex Instit. Bononiensi.

OBS. 876. Inter anatomen cujuſdam mulieris *morbo regio* extinctæ, deprehendebatur hepar decolor, & durum. Veſicula fellea tres lapides recondebat nucis juglandis molem æquantes & colore gagatem referentes; cum pluribus aliis minoribus ductus biliares diſtendentibus. DEODATUS. HEPAR.

OBS. 877. Vir quatuor & ſexaginta annorum *arthriticus* & *aſthmaticus ictero* corripitur. Accedentibus demùm gravioribus ſymptomatibus obiit.

Inveniebantur bina tubercula in pulmonibus. Veſicula fellea & porus choledocus duo & ſeptuaginta lapides, piſorum & fabarum magnitudinem æquantes, recondebant. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 878. Quidam *dolore* ferè *perpetuo*, compreſſivo & tenſivo *præcordiorum*, jampridem querebatur. Quo demùm ingraveſcente, extinguitur.

Luſtratis interaneis occurrit veſicula fellea bile turgens, & lapidem biliarem, nucem moſchatam magnitudine ſuperantem, continens. WEPFERUS.

OBS. 879. Cadaver cujuſdam mulieris quæ ſpatio quatuordecim annorum moleſtiſſimo *alvi fluxu* laboraverat veſiculam felleam ultrà dimenſionem naturalem diſtentam à pſeudo-lapide duro, & inæquali, totam cavitatem accuratè replente. CRETERUS.

OBS. 880. In corpore cujuſdam ſeniò & morbis confecti, inveniebantur in folliculo fellis duo inſignes lapides cœrulei, quorum alter ovi columbini magnitudinem æquabat. Laboraverat quidem diù *morbo regio*, & ultimò *febre* correptus occuburat. FERNELIUS.

OBS. 881. Quidam ferociori *colicâ hepaticâ* frequenter tenebatur. Tandem incidit in *febrem continuam* cum dolore, in totâ abdominis parte dextrâ. Nono die ſupervenit *icterus*, quem brevi ſequitur mors.

Reſerato abdomine reperta eſt veſicula fellea lapillis biliaribus plena, cum hepate albicante. BALLONIUS.

HEPAR. OBS. 882. In cadavere fœminæ quæ per ſeptem annos *morbo* prorsùs *ignoto* laboraverat; reperiebantur in cyſti felleâ ultrà triginta lapides, variæ figuræ & diverſi coloris; inter quos unus animadvertitur qui nucem moſchatam magnitudine ſuperabat. DECKERS.

OBS. 883. Quædam vetula; quæ benè ſe habere videbatur caſu ab alto ſubitò enecatur.

Luſtrato cadavere, annotatur veſicula fellis nullam bilem continens; ſed replebatur pſeudo-lapide pondo duarum unciarum & ſemis, qui è congerie ſexaginta minorum calculorum conflari videbatur. EX ACTIS PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 884. Cadaver cujuſdam *icterici* & *hydropici* exhibebat hepar grande, colore nigricante. Veſicula fellis bile turgebat. Porus biliarius lapide huc adacto omninò obturatus conſpiciebatur; præter colluviem ſeroſam in abdomine ſtagnantem. BONETUS.

OBS. 885. Quidam adoleſcens jamdiù querebatur de *ſtomachi* & *hyponchondrii dextri doloribus*, ferè continuis; quibus demùm exaſperatis fractus deceſſit.

Exenteratum cadaver exhibebat duo & viginti calculos in veſiculâ felleâ contentos. KENTMANNUS.

OBS. 885. (*a*) Secto cadavere cujuſdam jam ſeneſcentis, & dyſuriâ calculosâ ſublati; qui *nuſquam ictero*, *vel colicâ hepaticâ* laboraverat, reperiebantur centeni pſeudo-calculi piſi-formes in cavo folliculi fellei. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 885. (*b*) In cadavere infanticidæ, *laqueo ſuſpenſæ*, veſicula fellea paucam bilem, vix amaram continebat: ſed fovebat pſeudo-calculum, mori formâ, ſubnigrum, rotundum & undique tuberculoſum. CLAR. HALLERUS.

OBS. 886. Quædam virgo continuis ſub *dextro hypochondrio doloribus* conflictabatur, quibus tandem ultrà modum ſævientibus fatis ceſſit,

Folliculus fellis ob pondus incluſi lapidis in ſubſtratum inteſtinum, & attritum, incumbebat. BALLONIUS. HEPAR.

OBS. 887. Quidam litteratus per multos annos de gravibus *lateris dextri doloribus* querulus, tandem in hydropem lethalem incidit.

Reperiebantur novem lapides biliares, prægrandiores, in veſiculâ felleâ reconditi. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 888. In cadaveribus variorum qui dum viverent de *nullo dolore in hypochondrio dextro* conquerebantur, reperti ſunt plures calculi, uſque ad ſeptem & ſexaginta in veſicula felleâ latitantes. HELWIGIUS.

OBS. 889. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam *aſthmaticæ* cujus *alvus* erat *adſtricta*, reperiebatur lapis pondere quatuor drachmarum, qui accuratè replebat veſiculam; bile planè deficiente. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 890. In cadavere cujuſdam *diarrhæâ biliosâ* per tres ſeptimanas perſeverante extincti, deprehendebatur veſicula fellea arefacta, & lapillos tres duriſſimos recondens. RIOLANUS.

OBS. 891. Reſerato abdomine cujuſdam principis, qui inter alia mala ex *alvi ſuppreſſione* & *vomitu* pertinaciſſimo obierat, ſex inveniebantur lapides nigri in cyſti felleâ. CRUCCIUS.

OBS. 892. Inter diſſectionem cujuſdam qui per ſeptennium *ictero* laboraverat, deprehenſus eſt lapis totam veſiculam felleam occupans. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 893. In cadavere cujuſdam qui *ictero nigro* laborabat inveniebantur novem & nonaginta lapides in cyſti felleâ, piſorum magnitudinem æquantes. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

HEPAR. OBS. 894. Luſtrato abdomine cujuſdam matronæ quæ *dolori gravativo* laborabat *in regione hepatis* tumente inveniebatur maxima calculorum copia in veſiculâ felleâ. STIEBERUS.

OBS. 895. In corpore cujuſdam *morbo regio* jamdiù laborantis, & *hydrope* extincti deprehendebantur plures pſeudo-lapides, diverſæ molis & figuræ in folliculo felleo. MŒBIUS.

OBS. 896. Multi rerum medicinalium ſcriptores de lapidibus biliaribus in veſiculâ repertis poſt *colicos dolores*, *icterum* & *hydropem*, mentionem fecerunt uſque ad ſatietatem. Addere licet innumeras noſtras obſervationes quas tradere ſuperfluum ferè judicavimus. E NOSTR. ADVERSAR.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 26 (*a*), 273, 329, 410, 602, 620, 705, 711, 712, 717, 720, 738, 785, 814, 857, 1086, 1087, 1130, 1168, 1317, 1318, 1319 1572; Libr. II. 40, 77, 136, 147, 232, 235, 342, 614, 859; Libr. III. 39, 42, 55, 179, 226, 406.

## *Ductus biliares obſtructi.*

OBS. 897. Fœmina à tribus ſeptimanis fœdo *ictero* afficiebatur; oculi nempè, labia, palatum, lingua & ungues eodem colore tincta percipiebantur. Tandem inveteraſcente malo, & accedentibus gravioribus ſymptomatibus, ad Superos migravit.

Omnia viſcera; vaſa & membranæ croceo colore erant imbuta, Stagnabat ſerum luteum in ventriculis cerebri. Cartilagines & oſſa intùs, & extùs etiam flava deprehendebantur. In hepate nihil præter colorem accuſari potuit: ſed occurrebat in ductu cyſtico calculus durus & inæqualis, piſum majorem ſuperans; adeò pertinaciter impactus, ut ſectione duntaxat potuerit extricari. In cavitate verò veſiculæ felleæ fuit pauca bilis, eaque lenta & granuloſa. CLAR. STORCK.

OBS. 898. Mulier ſexagenaria per triginta fermè annos, atrociſſimos *dolores in abdomine* per intervalla patiebatur. In *hydropem* demùm

demùm incidit; qui opportunis, uti videbatur, præſidiis curatus; poſteà recruduit; & vitæ impoſuit finem. HEPAR.

Præter aquæ ſtupendum proventum, hepar ſe obtulit ingens, & nonnihil ſcirrhoſum. Veſicula fellis calculos recondebat, quorum unus arctè hærebat veſiculæ cervicis, adeo ut vix detrahi potuerit. Prætereà meſenterium ſcirrhoſum & eroſum deprehendebatur. Pulmones verò toti erant purulenti, tuberculis nigris & cæruleis referti. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 899. Recens natus horrendo ejulatu omnibus moleſtus erat. Accedebant leviores *inſultus epileptici*. *Tuſſis* erat continua, & *vomitus* frequens. Materiam ſpumoſam & nigricantem per ſedes dejiciebat. Quibus tandem pergentibus & ingraveſcentibus octavo ætatis menſe occubuit.

Stupenda bilis copia ſtagnabat in abdomine. Veſicula fellea ingens deprehendebatur. In ductu biliari occurebat obſtructio, adeò ut ſufflaminatâ bile, & veſiculâ ad crepaturam turgidâ, bilis per diapedeſim in abdomen effundebatur. BLASIUS.

OBS. 900. Quidam vegetæ ætatis, & inter bibones celebris, *febre acutâ*, prævio horrore, corripitur; quâ intrà paucos dies è vivis eripitur.

Luſtrato cadavere, occurrit veſicula fellea inanis, vel tantillùm aquæ limpidiſſimæ continens. Ejus cervix pſeudo-lapide nigricante planè obturata deprehenditur. Vaſa biliaria, infrà obicem, ſtupendâ bilis copiâ turgebant: ſed ſupra obicem nullum intùs & extùs flavedinis veſtigium apparebat. E NOSTRIS ADVERSAR.

OBS. 901. In cadavere viri quinquaginta annorum, qui inter pravam victûs rationem, poſt pertinacem *diarrhœam*, in *aſcitem* inciderat; præter plures aquæ ſubcruentæ menſuras, inveniebatur omentum grandinoſum; partim in ſcrotum delapſum. Hepar totum albicabat: veſicula quidem fellis ad ovi gallinacei magnitudinem diſtenta puram lympham nullâ flavedine tinctam continebat. Ductus cyſticus càlculo arctè occludebatur. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 902. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam virginis *aſciticæ*, reperiebatur hepar induratum. Veſicula fellis admodùm magna, aquoſo, at nullo modo amaro aut bilioſo, hu-

HEPAR. more repleta conſpicitur; in cujus ductu cyſtico calculus occurrebat, ciceris majoris magnitudine, qui meatum accuratè obturabat. RUYSCHIUS.

OBS. 903. In cadavere mulieris triginta annorum, *aſcite* extinctæ inveniebatur folliculus fellis omninò candidus, intùs foriſque, & nullam bilem continens; ſed minorem duntaxat humoris candidi copiam. Vaſa biliaria, intrà cervicem lapide obturatam, bile ultrà modum tumebant. DIEMERBROEK.

OBS. 904. Quædam matrona jamdudum *tumore* moleſto *hypochondrii dextri* laborabat: tandem *ictero* correpta, intrà aliquot dies fatis ceſſit.

Hepar ingens, & pondo duodecim librarum, diffiſſum, durum, flavum, & calculis flavis hinc indè ſparſum invenitur. Veſicula fellis lapides, & arenulas recondebat; meatus verò hepaticus lapide obturabatur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 905. In cadavere fœminæ *ictero nigro* extinctæ, hepar nihil conſideratu dignum offerebat: ſola veſicula fellea, uſitato grandior, aſpectu tetrior, è cinere concretis continebat globulos; quibus etiam porus biliarius infarctus deprehendebatur. Parvus præterea & exiguus erat lien. VESALIUS.

OBS. 906. Secto corpore cujuſdam *ictero* extincti inveniebatur porus choledochus versùs hepar ſummè, vel ad crepaturam dilatatus; & propè inteſtinum ſummè anguſtatus, & conſtrictus, in quod ſcilicet hiabat meatu capillari. Obex erat in medio canali à lapide biliari arctè inibi hærente. CABROLLIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 856, 862, &c.

## *Vaſa biliaria lumbricis obturata.*

OBS. 907. Puer quatuordecim annorum in *febrem* acutam, variis torminibus ſtipatam, incidit. Ubertim fluebat ſaliva. *Tu-*

*mebat* abdomen, & præſertim *hypochondrium dextrum*. Facies & ipſimet oculi *ſubicteritium colorem* præ ſe ferunt. Sæviunt *cardialgiæ*; pulſus inæqualis exploratur; albicant dejectiones alvinæ; ac demùm ingruunt inter *ferociores dolores*, convulſiones lethales.

Hepar tumidum & croceum occurrit. Cyſtis fellea bile ultrà modum turget. Ductus communis à lumbrico proceriori, hac educto, repletur & obturatur. Ventriculus & inteſtina vermibus ſcatebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 908. Inſtitutâ ſectione cujuſdam puellæ, *hydrope* extinctæ; præter colluviem ſeroſam, vulgatiſſimaſque viſcerum læſiones; inventi ſunt duo vermes, quorum unus adhærebat poro choledocho declivi; & alter penetraverat in hepar. WIERIUS.

## *Cyſtis fellea perforata & diſrupta.*

OBS. 909. Mulier ſexagenaria major, hyſteri & *colicæ hepaticæ* obnoxia, *tumore ſcirrhoſo* in latere dextro abdominis conflictabatur, qui in dies creſcendo, à coſtis ſpuriis ad os ilium protendebatur. Ferociores, recurrunt inſultus colici, cum febre & vigilis. Dolor, anteà nullus, tumorem invadit, qui intrà duos menſes, ſummam opem conferentibus topicis, in ſuppuratum abit. Ab ſpontaneâ puris eruptione intrà plures menſes evaneſcit tumor; remanente fiſtulâ, quæ proceſſu temporis non ſolùm materiam purulentam, ſed etiam bilioſam eructabat. Tandem accedente febre, & fractis viribus occubuit.

Deprehenditur abſceſſus inter muſculos obliquos abdominis, cui proſpiciebat fiſtula. Veſicula fellis à formâ naturali degener, perforata occurrit. Hinc bilis per peculiarem canalem, quinque pollices longum, in ſubſtantiâ quâdam ligamentoſâ excavatum, viam ſibi paraverat ad fiſtulam. EX ACTIS CHIR. PARISIENSIBUS.

OBS. 910. Puer duodecim annorum poſt violentam *contuſionem in latere dextro*, admodùm queritur de hypochondrio, præſente manifeſtâ *hepatis duritie*. A medicis curatur, ac ſi ex illius inflammatione laboraret; ac intrà quatriduum extinctus eſt.

Omnia viſcera felle tincta apparebant. Hepar inſtar ſilicis

durum & exangue obſervabatur, cum veſiculâ fellis diſruptâ. SALMUTHUS.

HEPAR.

OBS. 911. Exortâ inter conjuges lite, *mulier baculo percuſſa*; illicò reſoluta, rebus humanis vale ſupremum dixit.

Exenterato cadavere, deprehenditur veſicula fellis inanis, & diſrupta, bile effuſa in abdomen. HOFFMANNUS.

Haud abſimilis læſionis exemplum præbet obſervatio Libr. I. 1769.

---

## *Cyſtis fellea exhauſta & inanis.*

OBS. 912. Introſpectis cadaveribus nonnullorum, *morte ſubitaneâ* ſublatorum, maximam bilis effuſionem in inteſtina, exhauſtà & planè inani veſiculâ felleâ, vidit BALLONIUS.

De vulgatiſſimo hoc caſu mentio ſubjicitur in obſervationibus Libr. I. 58, 120, 290, 392, 605, 648, 650, 651, 693, 769, 783, 817, 867, 1169, 1516, 1582. Libr. II. 61, 306, 308, 311, 417, 459, 619. Libr. III. 89.

De Hepate à lumbricis eroſo, vide obſerv. Libr. I. 309.
De Hepate extrà ſedem, vide obſerv. Libr. II. 873.
De Hepate falsò incuſato, vide obſerv. Libr. II. 385.

De Cyſti felleâ abſumptâ, vide obſerv. Libr. I. 718, 732, 740, 781 (*a*).
De Cyſti felleâ amurcâ argilloſâ repletâ, vide obſerv. Libr. I. 642.
De Cyſti felleâ inflammatâ, vide obſerv. Libr. I. 1682.

# SECTIO SEPTIMA.

## DE LIENE.

### *Lien ingens.*

OBSERVATIO 913. Quidam poſt diuturnas *febres intermittentes tumore inſigni lienis* laborabat ; cum ſtranguriâ & lotio purulento. Accedunt cibi faſtidium, *vomitus bilioſi*, noctes inſomnes & macies cum tumore teſticuli ſiniſtri. Intereà erumpit è peritoneo *tumor* durus, dolorificus, latus & oblongus ; è quo tandem aperto prodit pus ſteatomatoſum. Alvus dein exſurgit tumor in regione renis ſiniſtri qui nullum ſuppurationis indicium exhibebat. Poſtremò tumente abdomine, omnibuſque in pejus ruentibus, ad plures migrat.

Aperto cadavere lien & hepar inveniuntur ſtupendæ magnitudinis : ille ſextuplo ad minimum major ; hoc extrinſecùs ſtratum. Ren ſiniſter erat etiam ſolito amplior, & totus purulentus. DORINGIUS.

OBS. 914. Juvenis viginti annorum linum carminans, hypochondriacorum more, de levibus ventris & thoracis affectionibus querebatur. Tandem ſe prodidit *tumor in hypochondrio ſiniſtro*, cum ponderis ſenſu, & *difficili* inter ambulandum *reſpiratione*. His repentè acceſſit largus *ſanguinis vomitus*, cum virium debilitate, tumoris incremento & febre. Poſt remiſſionem trium menſium, recurrit vomitus cruentus cum febre, ſiti, utriuſque hypochondrii dolore, pondere & tenſione ; quibus tandem nono die ſublatus eſt.

Lien ingens, & pondo quinque librarum, in nonnullis locis durus, hepatis magnitudinem ſuperabat. Hepar pallidum conſpiciebatur ; non ſecùs ac cætera viſcera. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 915. Juveni melancholico *prominebat abdomen*, ob tumorem partem ſiniſtram occupantem, à coſtis mendoſis ad pelvim protenſum. *Hæmorrhagiæ narium*, hæmorrhoïdibus tumentibus, & *cordis palpitationi* animi deliquio erat obnoxius. Accedit gravis *ſpirandi difficultas* cum dolore lateris, & ventris torminibus. Ingruit febris cum delirio ; & ad plures abit.

LIEN.

Reperiebatur monſtroſus lien, qui ſuſpenſus lance libras quatuor & ſemis pendebat. Hepar etiam erat maximum, & paſſim ſcirrhoſum. A liene & hepate compreſſus ventriculus ſuâ ſede extrudebatur. Siniſter pulmonum lobus, hepatis inſtar compactus, nigro, cruentoque tabo ſqualebat. RIVALERIUS.

OBS. 916. Mulier octo & quadraginta annorum melancholica; poſt diuturnas ægritudines incidit in *tumorem abdominis*, *in ſiniſtro latere*. Dein annotatur gingivarum, & totius oris corruptio, cum dolorificâ corporis laſſitudine, & *alvi duritie*. Tumor in dies incrementum ſumit, cum gravitate & mobilitate ſingulari: adeò ut decumbens in alterutrum latus, corpus quoddam durum in ventris cavo, de loco in locum moveri manifeſtè ſentiret; animalculum ventrem pererrare credens. Tandem poſt tres annos placidè obiit.

Secto cadavere, repertus fuit lien inſignis admodum magnitudinis, latus ſiniſtrum & totum epigaſtrium occupans. Laxatis ligamentis pendulus hærebat; adeò ut pro variâ corporis agitatione diverſi modè moveri potuerit. BLASIUS.

OBS. 917. Vir quidam poſt *poſt lapſum ab alto* in latus ſiniſtrum, levem *dolorem in hypochondrio ſiniſtro* patiebatur; qui congruis remediis compeſcitur. Paulò poſt tamen latus læſum in *tumorem* attollitur, cum febre lentâ & *ſpirandi difficultate*. Quibus demùm ſenſim ingraveſcentibus, poſt quindecim menſes à lapſu, obiit.

Inter exenterationem cadaveris, in conſpectum veniebat lien maximus & induratus; qui ſuâ mole diaphragma ſursùm repellebat. Cætera inſuper viſcera integra, & inculpata, deprehendebantur. KERCKRINGIUS.

OBS. 918. Mulier duodetriginta annorum infœcunda; febre interdùm laborabat, cum *liene tumido*. Menſibus à biennio deficientibus *ulcus in crure ſiniſtro* contumaciſſimum geſtabat. Cum ſubitò de *præcordiorum anguſtiâ*, & ſummâ pectoris anxietate, queritur. Verbum proferre vix poteſt: multam ſpumoſam & cruentam materiam expuit; & intrà horam moritur.

Lien ingentis molis totum ſui lateris ventris cavum occupabat; & libras octo cum ſemiſſe pendebat. Vaſa ſanguine ultrà modum tumebant; & lympatica erant ſummè conſpicua. Poſtremò ovaria reperiuntur ſcirrhoſa. CLAR. MORGAGNUS.

LIEN.

OBS. 919. Vir quidam poſt contumaciſſimam *febrem intermittentem* incidit in affectum abdominalem : *venter* ſcilicet erat *durus* & *tumidus*, præſertim *in latere ſiniſtro* à nothis coſtis ad umbilicum. Erumpit *hæmorrhagia narium :* dein ſupervenit dyſenteria cum dolore oſſis ſacri. Intereà labuntur vires, & adventat mors.

Reſerato abdomine, animadvertitur totus lien durus, magnus, craſſus, uncias ſcilicet quadraginta pendens. Materiam copioſiſſimam, inſtar fæcis vini rubri, continebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 920. Juvenis quinque & viginti annorum, à ſex circiter menſibus *febre quartanâ* laboraverat, cùm accedit *cachexia*, tumorem œdematoſum pedum & crurum comitem habens. Languet appetitus & proſternuntur vires; ac tandem à vehementiori inſultu febrili è vivis eripitur.

Lien præter ſolitum triplo major, & nigro ſanguine infarctus deprehendebatur; cum majori glandularum copiâ circà ramos venæ portæ. Pulmo ſiniſter plevræ & diaphragmati ádnatus occurrit; cum colluvie ſeroſâ in dextrâ thoracis cavitate. HEURNIUS.

OBS. 921. Vir triginta annos numerans, *ſiniſtri lateris tumore & dolore*, multis abhinc annis, laborabat; quo morbo tandem emaciatus, *colorem ictericorum* induit. Urinæ ægrè fluunt; & accedente genuinâ ſtranguriâ, triennio elapſo, mortalitatem exuit.

Lien erat inſolitæ magnitudinis, & longitudinis duarum ſpithamarum, ſuprà renum ſiniſtrum, ad cavitatem oſſis iſchii extenſus; & quatuor libras ponderans. Steatoma adipoſum, nucis magnitudine recondebat; cum tunicâ craſſiſſimâ, & corio bovino ſimili. BARTHOLINUS.

OBS. 922. Quædam mulier jampridem variis morbis obnoxia, *tumorem in ſiniſtro abdominis latere* geſtabat, durum oblongum & ex inferiori parte rotundum, qui ad ilia uſque ſe extendebat; comprehendentem ſimul regionem umbilici, unà cum nothis coſtis lateris dextri. Tandem ingruentibus gravioribus ſymptomatibus è vivis diſceſſit.

Luſtratis interaneis reperiebatur hepar ingens. Splen quoque occurrebat portentoſus, vel immenſæ magnitudinis, durus & inferiori parte versùs ilium rotundus. FABR. HILDANUS.

LIEN.

OBS. 923. Vir trigeſimum ætatis annum agens, crapulæ deditus, jam duodecim abhinc annis ingenti *ventris tumore; crurum inflatione* & *anhelitûs difficultate*, laborabat. Pro vero hydropico habitus; tandem inter ærumnas & medicamina, obiit.

Aperto abdomine, reperitur lien ingentis molis; adeò ut totum impleret abdomen & viginti libras ponderaret: & aliàs ſanus videbatur, etiam ſectâ ſubſtantiâ. GARNERUS.

OBS. 924. Quidam inter varias ægritudines *tumorem* geſtabat *in hypochondrio ſiniſtro*, propè lumbos, qui contrectantium manibus ità cedebat, quaſi humorem contineret.

Corpore poſt obitum diſſecto in propatulum veniebat lien tumidus, cujus pars ima à ventriculo & inteſtinis flatulentis ad latus protuberans propellebatur, in macilento corpore. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 925. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam mulieris *tympanitide* extinctæ, lien deprehendebatur maximus, in epigaſtrio ſitus, membranis contextus denſis; inter quas aquæ limpidiſſimæ portio aſſervabatur. Baſis verò hujuſce viſceris fuit caro rubicundiſſimi coloris, ſolidæque ſubſtantiæ & ponderis unius libræ. ANT. DE POZZIS.

OBS. 926. Puella undecim annorum *vomitu cruento* laborabat; ſanguine per *anum erumpente* cum *ventris torminibus;* & *dolore in hypochondrio ſiniſtro;* cum febre putridâ lethali corripitur.

Lien cujus vaſa erant ſanguine craſſiſſimo diſtenta major ſolito invenitur. Ren ſiniſter lapidem fovebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 927. Quædam muliercula poſt *febrem intermittentem* contumaciſſimam *tumore in hypochondrio ſiniſtro* laborabat. Poſt plures annos in *colicam* ſæviſſimam incidit, quâ brevi ſublata fuit.

Reſerato abdomine, occurrit ingens lienis moles, cum nonnullis inflammationis & putriditatis notis BARTHOLINUS.

OBS. 928.

OBS. 928. Quidam immodico *fluxu cruento per ſedes*, ab anno integro, conflictabatur, cum ſummâ virium debilitate; tuſſi & *difficili reſpiratione.* Tandem ſuperveniente inappetentiâ moritur. LIEN.

Inſtitutâ cadaveris ſectione occurrit lien ſcirrhoſus, & mole maximus. Simili modo afficiebatur pancreas. HARTMANNUS.

OBS. 929. Quidam per ſex dies *dolore capitis gravativo* acerbiſſimo laborabat, & biduò ante obitum *ſpirandi difficultate* corripiebatur.

Nil notatu dignum conſpicitur in capite. Pectus maximam aquæ copiam recondebat. Lienis erat portentoſa moles. CRENDAL.

OBS. 930. Vir quadragenarius affectu hypochondriaco per aliquot annos mirè divexabatur. Maximè de *dolore hypochondrii ſiniſtri* conquerebatur.

Poſt obitum cultro anatomico ſubjectus, lienem magnum, lividum, & flaccidum exhibuit. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 931. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam *hypochondriaci*, in conſpectum veniebat lien ſolito major; vel ponderis quatuor librarum, & inſuper durus. Cæteris viſceribus inculpatis. BLASIUS.

OBS. 932. In cadavere cujuſdam *diariâ febre* demortui, inventus eſt lien ingentis magnitudinis ac ponderis duodecim librarum: occupabat enim totum ſub epigaſtrio ventris ſpatium. HELWIGIUS.

OBS. 933. Cadaver mulieris quæ per ſeptemdecim annos *ventrem protuberantem* geſtaverat, ſiſtit lienem in tantam molem excretum, ut totum ferè abdomen repleret. Pendebat tres & triginta libras. BOSCUS.

OBS. 934. Luſtrato cadavere cujuſdam diuturno *hypochondrii ſiniſtri tumore* laborantis; reperitur lien quadratus, durus; & capitis humani magnitudinem æquans. DIEMERBROEK.

LIEN.

OBS. 935. In cadavere virginis cujus *ventris moles*, nunc pro graviditate, nunc pro aſcite habebatur, occurrit lien ſtupendæ molis, & totum abdomen ferè occupans. BOSCUS.

In hunc cenſum veniunt obſervationes Libr. I. 252, 389, 438, 440, 525, 578, 587, 620, 622, 652, 697, 720, 913, 948, 981, 1000, 1061, 1225; Libr. II. 74, 86, 102, 171, 421, 478, 621, 698, 848, 866, 874, 906; Libr. III. 55.

---

## *Lien exiguus & marcidus.*

OBS. 936. Quidam melancholicus & macilentus, Baccho indulgens, *affectione hypochondriacâ* per viginti annos conflictabatur, inter creberrimum remediorum uſum. Aliquot ſeptimanis antè obitum graviſſimas deſtillationes è capite in aſperam arteriam ſubitò irruentes paſſus eſt. Emergit demùm *ſpirandi difficultas*, haud raro impendente ſuffocationis diſcrimine.

Aperto mortui cadavere deprehendebatur purulentia in ipſis pulmonibus, & extrà pulmones. Lien inveniebatur admodùm puſillus & lividus, vix ad unciam accedens. THONERUS.

OBS. 936. (*a*) In cadavere cujuſdam *aſcite* demortui præter ſummam hepatis & pancreatis indurationem lien adeò exiguus annotabatur ut vix nucis moſchatæ æquaſſet volumen: textura ejus valdè alterata apparebat; involucro enim quaſi oſſeo obvolvebatur; & intùs numeroſiſſimæ concretiones grano milii ſimiles nidulabantur. PORTAL.

OBS. 937. In cadavere cujuſdam *cachectici* derepentè inter lypothymiam ſublati, obſervatur lien ovi columbini magnitudinem haud excedens; adeò durus & compactus, ut ferè lapidis duritiem æmularetur. VIDUS VIDIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 543, 862, 1016, 1937, 1551; Libr. II. 179, 342.

---

## *Lien inflammatus.*

OBS. 938. Quidam juvenis poſt varias ægritudines in *febrem*

incidit vehementiſſimam, maximâ *hypochondriroum tenſione* & *urinæ ſuppreſſione* ſtipatam; quâ brevi extremum diem clauſit. LIEN.

Inter exenterationem cadaveris deprehenditur lien, cum lobo dextro hepatis, inflammatus. Renes prætereà occurrunt ingentes; cum veſicâ ad crepaturam diſtentâ. RUMLERUS.

OBS. 939. Luſtrato cadavere cujuſdam juvenis *febre ardente* cum ſiti immani, è vivis erepti, in conſpectum veniebat lien inflammatione tactus; hepate, cæteriſque viſceribus inculpatis. BOSCUS.

Hujuſce læſionis exemplum proſtat in obſervatione Libr. I. 1572.

## *Lien obſtructus & ſcirrhoſus.*

OBS. 940. Quidam miles qui diù pravis cibis uſus fuerat, *fluxu cæliaco, cum ventris torminibus* corripitur. Quo per plures menſes perſiſtente, & ingraveſcente, tandem emaciatus occubuit.

Secto cadavere ſeſe obtulit lien magnus, durus & ater. Pancreas nimis tumidum, durum & cinerei coloris conſpicitur. Glandulæ meſenterii erant etiam mole majores; nonnullis equidem avellanæ magnitudinem ſuperantibus. DIEMERBROEK.

OBS. 941. In cadavere cujuſdam principis qui *vomitu contumaciſſimo* conflictatus fuerat, ſequentia obſervata ſunt. Habitus nempe corporis œdematoſus: abdomen flatibus diſtentum: ventriculus ſuprà modum extenſus: hepar plumbei coloris & totum ſcirrhoſum: lien denique atro carbone nigrior, & durus. HORSTIUS.

OBS. 942. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam pueri *inſultibus epilepticis* admodùm obnoxii, conſpicere licet lienem lividum & nigrum; ſubſtantiâ admodùm induratum, ſcirrhoſum & ferè lapideum. Cæteris viſceribùs planè inculpatis. TILINGIUS.

OBS. 943. In cadavere mulieris quæ *hypocondriacas moleſtias*, & *lienis tenſiones*, annuatim quaſi, vel circà ſolſtitia, & equi-

LIEN. noctia, patiebatur; in propatulum veniebat lien induratus & ſcirrhoſus, appendice ovum columbinum æquante inſtructus. HORSTIUS.

OBS. 944. Quidam *hypochondriaco affectu* jampridem laborabat; ac *nephriticis doloribus* identidem divexabatur; ſub quâ rerum conditione vires ſenſim collabuntur; & obiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione in conſpectum venit lien durus & ſcirrhoſus. HORSTIUS.

OBS. 945. In cadavere *icterici*, *hæmorragiâ narium* ſublati, hepar ſubalbidum abſceſſum fovebat. Lien cernebatur magnus, ſcirrhoſus, ac lapillis albiſſimis refertus. (Plura alia proſtant exempla hæmorrhagiæ narium à liene ſcirrhoſo; æquè ac ab hepate.) FONTANUS.

OBS. 946. Inter ſectionem cujuſdam *hydropici*, præter aquam flavam & fœtidiſſimam in abdomine ſtagnantem, deprehendebatur lien maximus & induratus PAWIUS.

Hoc hiſtoriarum agmen ſubire queunt obſervationes Libr. I. 259, 520, 637, 642, 643, 644, 663, 1031, 1163, 1769; Libr. II. 125, 155, 172, 231, 307, 387, 446, 565, 675. Inſuper vide *Viſcera ſcirrhoſa*.

## *Lien tuberculoſus.*

OBS. 947. Puer duodecim annorum *febre lentâ* laborabat; cum habitu corporis œdematoſo. Languebat appetitus; vireſque deficiebant. *Venter* intereà *tumidus* evadit, cum fluctuatione in poſterùm manifeſtâ. Accedente demùm *dolore in regione epigaſtricâ*; & exacerbatis cæteris ſymptomatibus, è vivis eripitur.

Venter majorem aquæ lutulentæ copiam continebat. Viſcera abdominalia; inteſtina præſertim & meſenterium cruſtâ quâdam gelatinosâ obducebantur. Lien duplo major, tuberculis albicantibus obſitus deprehenditur; ejuſque ſubſtantia putrida ſimilibus corpuſculis ſcatebat. Eâdem labe hepar afficiebatur; ſed mitiori

gradu. Pectus inſuper, & caput, colluviem ſeroſam recondebant. E NOSTR. ADVERSAR.

LIEN.

Similem caſum ſiſtit obſervatio Libr. I. 645.

## *Lienis tumores & appendices.*

OBS. 948. Vir ſeptem & quadraginta annorum arduis laboribus aſſuetus inter vehementiorem conatum de *dolore pectoris* queritur, qui poſteà remiſit, ſuccedente *fluxu hæmorrhoïdali* copioſo, cum flatulentiâ moleſtiſſimâ. Dein reſpiratio fit difficilis. Exſurgit febris lenta cum *dolo e punctorio in hypochondrio ſiniſtro*. Urina craſſa mingebatur, alvo durâ. Habitus fit œdematoſus & abdomen inſigniter tumet. Tandem ſævientibus doloribus accedit lethum.

Præter aquæ fœtidæ copiam conſpicitur omentum emaciatum & gangrænoſum. Hepar ingens ſe præbebat, aliàs uti videbatur ſanum. Lien verò etiam erat maximus, cum tumore cyſtico, ad nucis juglandis magnitudinem accedente; materiam ſebaceam recondente, inferiori prædicti viſceris parti adnato. CLAR. BAADERUS.

OBS. 948. (*a*) Nobilis quinquageſimum ætatis annum agens, *obſtructione hypochondriorum* ab adoleſcentiâ laborans, tandem in *hydropem* lethalem incidit. Dum contrectarentur à medicis præcordia obvius fiebat *tumor globoſus* in epigaſtricâ regione, ad lævam deflectens, cuti concolor, indolens, nucis juglandis molem ſuperans, quam antè plures annos ſe geſtare aſſeruit.

Poſt obitum diſſecto, reperiebatur lien ingens, & hypogaſtricam regionem attingens; cui adnatus erat tumor extùs protuberans. BONETUS.

OBS. 949. Quidam per triennium carcere detentus, in *icterum nigrum* incidit; quo tandem gravioribus accedentibus ſymptomatibus, extinguitur.

Luſtratis interaneis, patet lien exiguus, cum corpore quodam adipoſo gibbæ parti adnato, inſtar candidiſſimi, duriſſimi que lapidis, concreto. VESALIUS.

His ſubnectere licet obſervationes Libr. I. 855, 943, 26 (*a*).

## *Lienis purulentia.*

LIEN.

OBS. 950. Fœmina quinque & viginti annorum, poſt *febrem acutam*, cum *tumore* & dolore *in hypochondrio ſiniſtro*, incidit in hydropem *aſcitem ;* quo venter ſenſim in ſtupendam magnitudinem attollitur, donec urgente ſpirandi difficultate, fatis ceſſit.

Abdomen trecentas aquæ libras continebat, ſtagnantis inter peritoneum & muſculos abdominales. Viſcera mirum in modum contracta, & inculpata, deprehendebantur; ſi excipias lienem peritoneo morboſè hærentem, & variis ulceribus fiſtuloſis confoſſum. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 951. Adoleſcens octodecim annorum, poſt *febrem quartanam* contumaciſſimam, incidit in *cachexiam.* Procedente morbo, acerbiſſimis *doloribus in abdomine* corripitur, cum *febre acutâ. Venter* intereà *tumebat* cum notabili fluctuatione : reſpiratio difficilis evadit; & brevi ſequitur lethum.

Secto cadavere occurrit lien ſitu, mole & formâ monſtroſus, ac ferè totum abdomen replens; qui ſcilicet triginta circiter puris libras recondebat. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 952. Quidam *apoſtemate* laborabat *in ſiniſtro abdominis latere ;* è quo aperto educitur materiæ coctæ & fœtidiſſimæ, nonnihil cruentæ maxima copia. Diù protelato hoc fluxu purulento, franguntur vires; & accedit interitus.

Reſerato abdomine, omnia pure conſpurcata inveniebantur. Lien ad inguina devolutus, & purulentus deprehenditur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 953. Quidam à calculo veſicæ enectus, triennio antè obitum *febre* affectus fuit *cum dolore in hypochondriis* per duas ſeptimanas, à quo tempore ſemper pondus in eo loco ſenſit.

Illi lien compactus inveniebatur, qui diſſectus multum puris fudit; quod amplam cavitatem exederat. HŒCHSTETTERUS.

OBS. 954. In cadavere cujuſdam matronæ *hydropicæ* lienem apoſtemate infectum, preſſumque puris copiam effundentem, obſervavit Dodonæus. LIEN.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 421, 1739.

---

## *Lien putris & gangrænoſus.*

OBS. 955. Vir quadragenarius, gracilis & melancholicus, *ventris doloribus* crebrò conflictatus, incidit in *febrem acutam*, cum vigiliis & *hypochondrii ſiniſtri dolore* acerbiſſimo, ad humerum uſque tendente. Tandem futilibus omnibus præſidiis, morbo ſuperatus naturæ ſatisfecit.

Secto cadavere reperitur omentum in ſe circumvolutum, & in formam orbiculi conglobatum. Lien totus erat putrefactus, & parte internâ penè abſumptus; vel in putrilaginem, picis inſtar nigram, & fœtidiſſimam converſus. Hepar quoque, ſimâ parte, in conſortium malignitatis raptus erat; ubi putredine corripi incipiebat. Lossius.

OBS. 956. Juvenis quinque & viginti annorum, enormem patitur *ſanguinis vomitum*, quo, etſi robuſtus, ad exitium fermè deductus eſt. Hunc excipiunt ingentes *pectoris & lateris dolores*, ad dorſum etiam diffuſi. Exacto bimeſtri, recurrit vomitus cruentus; à quo vires labefactantur. Poſt biennium inter haſce moleſtias fatis ceſſit.

Hepar ſe obtulit inſignis molis, quod diſciſſum ſeri flavi libras duos emiſit. Lien verò putriditate diffluebat. Pulmones etiam hâc labe tacti, quamquam libera toto morbi decurſu fuerit reſpiratio. Bonetus.

OBS. 957. Vir quadrageſimum ætatis annum agens, pravæ victûs rationi indulgens, inter curas & ſollicitudines, de virium lapſu queritur. *Reſpiratio fit difficilis*, cum *tuſſi ſiccâ*. Accedit *febris ardens* continua, toto *abdomine in altum protuberante*. Urgent ſitis & vigiliæ, pulſuſque fit debilis & intermittens, uſque ad obitum.

Quando abdomen inciſione hiavit illicò prorupit ingens humoris

LIEN.

fœtidiſſimi copia. Luſtratis viſceribus, lien deprehendebatur putridus. BONETUS.

OBS. 958. Quidam uxoris morte ità perculſus, & proſtratus, eſt ut ex ſummo animi mœrore in *febrem continuam* inciderit. Septimo morbi die fit quædam remiſſio cum ſanitatis ſpe; ſed die undecimo omnia mirum in modum exaſperata ſunt: ac demùm viribus attritis die decimo octavo, morte immaturâ eripitur.

Exenterato cadavere inveniebatur lien tumidus, lividus & vireſcens, qui diſſectus magnam ſaniei, picis inſtar nigerrimæ, copiam profundit. PLANTIUS.

OBS. 959. In quodam pictore *apoplexiâ* derepentè ſublato, inter *febrem intermittentem* mali moris, cor ingens deprehendebatur. Alter pulmo conſpicitur planè corruptus, remanente ſacculo fæce putidiſſimâ repleto. Lien verò ſimili labe deturpabatur, ſuperſtite duntaxat capſulâ. Aperto cranio occurrit pia meninx craſſitie & denſitate, duram matrem æquans; cæteris partibus inculpatis. FANTONUS.

OBS. 960. Vir quinquagenarius per aliquot ſeptimanas *dolore hypochondrii ſiniſtri*, & cibi faſtidio, laborabat. Poſteà *dejiciebat ſanguinis atri copiam*, unà cum fæcibus alvinis; & multa fruſta carniformia ſolida, caſtaneæ magnitudine; & nullâ aquâ ſolubilia.

Mortui aperto cadavere repertus eſt lien, primâ facie integer; ſed tota diſſecti ſubſtantia, inſtar amurcæ, effluxit. SENNERTUS.

OBS. 961. Sexagenarius immanibus *ventriculi doloribus* per aliquot annos vexatus fuit, qui terebræ perforantis ſpeciem referebant. Dein erumpebant *vomitus bilis, atramento ſimillimæ*, cum quodam levamine. Tandem obiit.

Ventriculus integer reperitur. Lien lividus & nigricans, ſummâ parte truncatus, quaſi mordicùs amputatus eſſet. BONETUS.

OBS. 962. Quidam *dolores in hypochondriis*, & præſertim ſiniſtro,

tro, patiebatur. Manifeſta erat *pulſatio in regione lienis*, haud ſine ſuſpicione anevriſmatis.

In defuncti cadavere invenitur lien putris, cum magnâ copiâ ſanguinis grumoſi in hypochondrio ſiniſtro. BALLONIUS.

OBS. 963. Quidam *melancholicus* ad varias ægritudines proclivis, & atris curis divexatus, ſe ipſum è clavo feneſtræ ſuſpendit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione in conſpectum veniebat lien, inſtar craſſæ amurcæ, diffluens. BARTHOLINUS.

OBS. 964. Mulier *febre quartanâ* laborans, quam parùm curabat, ſolitis & demandatis muniis addicta, repentè concidit mortua.

Deprehendebatur lienis ſoluta compages; cum multâ ſanguinis copiâ, per abdomen effuſa. CLAR. SENACUS.

OBS. 965. In cadavere *ſcorbutici*, lienis ſubſtantia, inſtar fæcis vini rubri, diſſolvebatur; adeoque liqueſcebat, ut præter multas fibrillas, & tenuia veſicula, ferè nihil ſolidi intrà membranas ejus contineri videretur. DIEMERBROEK.

OBS. 966. Quædam puella, poſt hauſtum *venenum*, incidit in *vomitum cruentum*, *cum cardialgiâ* & ſiti intenſâ. Totus dein corpus intumuit & brevi moritur.

Ventriculus totus lividus comparuit. Lien erat gangrænoſus, & partim corruptus. HARDERUS.

OBS. 967. Quidam *dolore lateris* corripitur; & ſexto mobi die è vivis diſceſſit.

Sectum corpus exhibèt ſerum ſtagnans copioſum, cum purulentiâ in utroque pulmone. Lien putridus peritoneo morboſè hærebat; & abdominis cavum copiam ſeri ſanioſi continebat. CRENDAL.

OBS. 968. Viro cuidam qui à frequenti *ſanguinis vomitu aſciticus* factus eſt, lien ſanguini concreto ſimilis repertus eſt; qui

LIEN. ſubſtantiæ ſoliditatem haud retinens facidè in partes ſolvebatur. DODONEUS.

OBS. 969. Quidam, poſt crapulam, *ictero* corripitur, quo ſenſim totum corpus virore defœdatur: Tandem in dementiam lapſus obiit.

Inteſtina erant tenuia. Lien verò mollis & diffluens cernebatur. Pericardium omni humore carebat. ZACCHIAS.

OBS. 970. In cadavere cujuſdam *peripneumoniâ* intrà ſeptem dies ſublati. Occurebat uterque pulmo purulentiâ defœdatus, cum aquæ copiâ in pectore. Lien erat gangrænoſus & putridus. CRENDAL.

OBS. 971. In quodam ruſtico triginta annorum *hydrope* denato; præter aquæ copiam invenitur lien corruptus, & tota fere ipſius ſubſtantia pici liquatæ ſimilis. Jecur ſanum deprehendebatur. RIVERIUS.

OBS. 972. In cadavere cujuſdam *anaſarcâ* extincti, inveniebatur hepar mole maximum; ſed inculpatum. Lien verò occurrebat ſemiputris, & velut in ſaniem converſus. RHODIUS.

OBS. 973. In quodam viro *febre quartanâ* pertinaciſſimâ extincto, deprehenſum fuit lienis parenchyma in ſuccum quemdam piceum, ac fulgentem diſſolutum. CAR. PISO.

OBS. 974. In cadaveribus binorum *edaciſſimorum* repertus fuit lien putridus & diffluens. BALLONIUS.

Huc pertinent obſervationes Libr. I. 45, 126, 247, 264, 409, 454, 489, 647, 799, 808, 818, 1205; Libr. II. 46, 146, 240, 328, 337, 343, 860; Libr. IV. 126, 168.

## *Lien abſumptus.*

OBS. 975. Quædam mulier, toto novennio, *cruciatibus abdominis* torquebatur, cum ſenſu ardoris acerrimi. Erumpunt poſteà *vomitus acidi & nigri* : quibus pergentibus tandem fatis ceſſit.

Luſtrato abdomine in conſpectum venit ventriculus ampliſſimus. Nullum erat lienis veſtigium præter materiam quamdam putridam, locum lienis occupantem : fæces, vel quædam ramenta, lienis ſubſtantiam redolentia videbantur. Similis inſuper materiæ copiam recondebat fundus ventriculi. HENR. AB HEERS.

OBS. 976. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam *podagrici* deprehendebatur lien planè exſuccus & omni pulpâ carens, marſupii in modum inanis, & ſiniſtris hypochondriis affixus. MOCCIUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 75, 581, 632, 810, 812.

## *Lien fiſſus & diſruptus.*

OBS. 977. Vir triginta annos natus, per quindecim menſes *febre quartanâ* laborabat, cum variis tamen, uti mos eſt, intermiſſionibus. Bene ſe habens, ut videbatur, omnique metu depoſito, poſt largiſſimam cœnam, duabus aut tribus elapſis horis, *ſubitò exanimis* corruit.

Reſerato abdomine patet ingens concreti ſanguinis maſſa, omnia quaſi viſcera recondens; ſublatâ hac maſſâ in conſpectum veniebat lien portentoſus & diſruptus, vel mali granati inſtar hians. Cætera viſcera erant inculpata. CLAR. FOURNIER.

OBS. 977. (*a*) Quidam diù conquerebatur de totius corporis imbecillitate, præſertim verò de *hypochondrii ſiniſtri dolore*, cum ſiti & cibi faſtidio. Tandem inter uſum mercurii fixi, cum antimonio præparati, fatis ceſſit.

Luſtratis interaneis, in propatulum veniebat hepar ſemi-putridum,

LIEN.

conſpiciebatur lien ſimili modo læſus, cum aliquot inciſuris. Utrumque viſcus arctè alligatum, ità ut vix ſeparari potuerit. Prætereà interior ventriculi tunica omninò corroſa reperiebatur & totus ventriculus putridus erat. SALTZMANNUS.

OBS. 978. In cadavere cujuſdam juvenis viginti annorum, poſt diuturniorem *febre intermittente dyſenteriâ* extincti, hepar maximum, & variegatum, abſceſſum in parte poſticâ fovebat. Lien, capſulâ hiulcâ, putris & tactu diffluens annotatur. Inteſtina flatu tumida, maculis lividis ſignantur. Colon denique, intùs exulceratum, & extùs lividum deprehenditur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 979. Reſerato abdomine cujuſdam *icterici*, reperiebatur aquæ flavæ & nonnihil cruentæ copia. Lienis membrana erat tenerrima, & in exiguâ parte dilacerata, è quâ fiſſurâ profluxerat ſanguis. Ventriculus & inteſtina tumentia flavebant; atque hepar obſcurè vireſcebat. Folliculus fellis ſolito major bile tumebat; nullo tamen obice in ductibus biliariis. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 980. Juvenis quatuordecim annorum, inter Ludicra puerilia *ictus fuit* ſcipione, in *regione lienis.* Hinc emerſit *dolor* tam *immanis*, ut poſtridiè ejus diei, frequenti accedente animi deliquio, vitam cum morte commutaverit.

Inveniebatur lien in parte cavâ, tantâ rimâ dilaceratus, ut in illâ facilè duos occultaſſes digitos. TULPIUS.

OBS. 981. Juvenis melancholicus, & *famelicus*, *febre quartanâ* pertinaciſſimâ detentus erat, cum *dolore ad hypochondrium ſiniſtrum.* Fugatâ febre, *arthriticus* evadit, cum toto corpore ſcabie infecto. Urget dolor hypochondrii ſiniſtri, cum difficili in utrumque latus decubitu; atque mors repentè ingruit.

Inveniebatur lien ſtupendæ magnitudinis, putridus & ſemilacerus. BALLONIUS.

OBS. 982. Quidam juvenis athleticus *pugnis* cum altero *ſeſe exercens*, *inexpectatâ morte* rapitur. Aperto cadavere reperiebatur abdomen ſanguine effuſo repletum. Lien verò parte quæ ventricu-

lum reſpicit, in medio diſruptus obſervatur. EX ACTIS PETROPOLITANIS. LIEN.

Conſimilem fermè caſum præbet obſervatio Libr. II. 850.

---

## *Lien calloſus & cartilagineus.*

OBS. 983. Cuidam *hydropicæ* celebratur paracenteſis, quam anxiè efflagitabat, quâ per triduum, diſtinctis vicibus, & temporis interſtitiis, derivatur lympha, vel amurca, ad libras ſex. Ritè, uti videbatur, ſuccedente hâc evacuatione, fatis ceſſit ægra.

Luſtrato cadavere deprehendebatur lien ſubalbicans & cartilagineus. Veſicula fellea aquâ limpidâ replebatur, hepate parùm læſo. Omentum poſtremò erat planè abſumptum. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 984. Vir quidam cujus *artus inferiores* per duos menſes, *tremore & palpitatione* continuâ agitabantur; tandem ſuperveniente totius corporis ſtupore, interiit.

Aperto cadavere obſervatur lien exactè quadratus, trium palmarum latitudine; craſſitie quatuor digitos æquans; & undequaque cartilaginosâ ſubſtantiâ incruſtatus. RIOLANUS.

OBS. 985. Vir ſeptuaginta annorum *de dolore & æſtu* intenſiſſimo querebatur *in hypochondriis*: tandem ingruente iſchuriâ ad plures abit.

Sectò abdomine, lien occurrit cartilaginoſus: reneſque obſervantur purulentiâ tacti; cum ureteribus ſummè dilatatis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 986. In cadavere cujuſdam qui de *tumore & tenſione hypochondrii ſiniſtri* jam diù querebatur, in conſpectum veniebat lien ex mediâ ſui parte, ſubſtantiâ quâdam cartilagineâ incruſtatus. HELWISIUS.

OBS. 987. Exenterato cadavere cujuſdam *fœminæ hypochondriacæ*;

LIEN. reperiebatur lien, eâ parte quæ arteriam reſpicit, cruſtâ cartilagineâ, & ferè lapidoſâ donatus. MANGETUS.

OBS. 988. Lienem in quodam *eunucho*, tam denſâ & durâ cartilagine incruſtatum, ut indè adimeretur, inſtar craſſioris alicujus corticis, vidit TULPIUS.

OBS. 989. Cadaver cujuſdam ſenis qui de *tenſione & moleſtiâ hypochondriorum* jamdudùm conflictabatur; occurrit lien mole major, & extùs merè cartilagineus. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 990. Lienem maximum, vel pondo viginti librarum, quem cartilago exteriùs obvolvebat nonnunquam ſe vidiſſe refert. COLUMBUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 2, 155, 264, 531, 798. Libr. II. 362, 864. Libr. III. 477.

## *Lien oſſeus.*

OBS. 991. In cadavere cujuſdam mulieris diuturnâ *viſcerum obſtructione* ſublatæ, repertus fuit lien tantæ duritiei, ut vix cultro magnâ vi intruſo cederet. Equidem inter ſecandum non diſſimilis audiebatur ſonitus, quem animadvertitur in lignis ſpongioſis diſciſſis. BARTHOLINUS.

OBS. 991. (*a*) In cadavere cujuſdam *hydropici* ſexaginta annorum præter decem menſuras aquæ fœtidæ & flaveſcentis, occurrit lien exiguus partim oſſeus, partim exulceratus. Omentum erat ferè abſumptum. Inteſtina paſſim eroſa, nonnullas gangrænæ notas præ ſe ferebant. Peritoneum maculis lividis & nigris erat notatum. CLAR. BAADERUS.

OBS. 992. Inter exenterationem cujuſdam *octogenarii*, optimè dum viveret ſe habentis, & caſu ab alto ſublati, reperitur lienis capſula tota oſſea. Eamdem duritiem contraxerant arteria cœliaca, & ſplenica; non ſecùs ac larynx & trachea, cum arteriis coronariis. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

In hac ſerie admitti queunt obſervationes Libr. 225, 227, 603, 1648.

LIEN.

## *Lien lapideus & calculoſus.*

OBS. 993. Quidam *tumorem circà umbilicum* durum & renitentem, ſeptem abhinc annis, geſtabat. Accedit *anaſarca*, cum *dolore in hypochondrio ſiniſtro & ſpirandi difficultate.* Sequitur *vomitus ſanguinis*, cum dejectionibus fœtidiſſimis & nigricantibus. Urget intereà dolor hypochondrii; ac tandem ingruit *febris* continua, quâ die octavo extinguitur.

Præter magnam aquæ copiam in abdomine ſtagnantem, reperitur epiploon ſemi-putridum. Hepar in ſtupendam molem dimidiam ventris partem, replentem, accreverat; ſcilicet ad pelvim uſque deſcendebat, cum putriditate in parte poſticâ. Lien triplo major lapidis inſtar induruerat. Ventriculus & inteſtina latice nigro ſcatebant. CLAUDERUS.

OBS. 994. Juvenis triginta annorum jamdudùm *cachecticus* de *ſpirandi difficultate* querebatur cùm ingruit *febris lenta hypochondriis tumentibus* & inappetentiâ ſtipata. Dein urget flatulentia, & accedit corporis ſegnities cum *artuum torpore.* Poſtremò œdematoſa fiunt crura; mens obnubilatur, & obiit.

Hepar mole majus, decolor & grandis exaſperatum occurrit. Lien verò contractus, durus & quaſi lapideus annotatur. Epiploon ſemi-putridum vicinioribus partibus hærebat; nec illæſum videbatur pancreas. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 995. Fœmina juvenis, *plenilunii tempore*, graviſſimo *dolore in ſiniſtro latere* ad triduum uſque affligebatur; quo exacto dolor eò uſque remittebat, donec novum plenilunii punctum inſtaret.

In mortuæ cadavere reperiebatur lapis in liene, caſtaneæ magnitudine, alabaſtri mollitie; ſubalbidus; laminis, ovorum putaminibus invicem cruſtatim involutis, ſimilibus, concretus, ad uncias tres pondere accedens. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 996. Vidua quatuor & quadraginta annorum gravi *dolore dorſi*, & ſiti immani, vexata, urinis ſuppreſſis fit *hydropica.* Natura,

LIEN.

ſpretis omnibus medicamentis, debitum ſuum perſolvens, ægram cultro decernit anatomico.

Præter aquæ copiam lien quaſi convolutus, calculis plenus conſpicitur. Inſuper ren dexter lapidem recondebat totam pelvis cavitatem implentem. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 997. Juvenis cum diù *anaſarcâ* laboraſſet, ſubitò incidit in *icterum*; deinde in *hæmorrhagiam narium*; poſteà verò in ſubitaneam mortem.

Inſecto corpore apparuit hepar ſubalbidum, ac abſceſſum ingentem recondens. Lien conſpicitur ſuprà modum magnus, & lapillis albiſſimis refertus. FONTANUS.

OBS. 998. In *ſcorbuticorum & hypochondriacorum* penitioribus lienis meatibus; non ſecùs ac lateribus arteriæ ſplenicæ, & cœliacæ, materiam multam tartaream, & ſabuloſam, adhæreſcentem vidit CHARLETON.

OBS. 999. In luſtrato cadavere cujuſdam caſu ab alto enecati; qui aliàs *pro ſano*, & hilari, *habebatur*, reperitur lien planè lapideus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 14, 530, 579, 741, 745, 942, 945, 949, 1383; Libr. IV. 171.

---

## *Lien extrà ſitum.*

OBS. 1000. Mulier poſt doloroſum & difficilem partum, *duritiem in hypogaſtrio* contraxit, non ſine dolore vehementiſſimo; quo tandem incaſſum adhibitis variis præſidiis ad plures abiit puerpera.

Lien reperitur octuplo major, & quatuor libras pendens, in pelvim prolapſus; in cujus naturali loco comparuit corpus lieni analogum, caſtaneæ majoris magnitudine, colore & ſubſtantiâ lienem exactè referens. RUYSCHIUS.

OBS. 1001. Ruſticus quinquagenarius macilentus, & ejulans ob *dolorem* graviſſimum *circà lumbos* à ſex menſibus continuum; cibi faſtidio & pertinaci vigiliâ corripiebatur, cum renitente hypochondrio ſiniſtro, ferè ad oſſis ilii ſpinam. Poſt nonnullam intermiſſionem recrudeſcente dolore, intrà quatriduum, obiit. LIEN.

Secto cadavere occurrit lien ſcirrhoſus è ſede depulſus; & reni ſiniſtro incumbens. BOGDANUS.

OBS. 1002. Inter anatomem cujuſdam qui *tumorem* geſtabat *in dextro inguine*, præter herniam ſiniſtri lateris; lien ad inguen dextrum, ponderis trium librarum invenitur. Annexus erat ventriculo per quemdam quaſi funem à peculiari vaſorum contorſione conflatum. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1003. Ex introſpectis cadaveribus patet ſitum lienis interdùm mutari; dum ſcilicet laxatis ligamentis & utriuſque ſortis vaſis, pondere proprio deorsùm propendit; vel planè diſruptis ligamentis procumbit in epigaſtrium; quod quater ſe vidiſſe teſtatur RIOLANUS.

OBS. 1004. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam diuturno *morbo*, & *ignoto* defuncti, deprehendebatur lien, ab omnibus ligamentis ſolutus: ideò natans per totam imi ventris capacitatem. CABROLIUS.

OBS. 1005. Ruptis ligamentis viſus fuit lien ad hypogaſtrium prolapſus, ſuprà uterum; qui per biennium *molæ ſpecie* medicos fefellit. Quod cernere licebat in aperto cadavere cujuſdam mulieris. RIOLANUS.

OBS. 1005. (*a*) In cadavere cujuſdam mulieris, quæ *tumorem* dum viveret in *hypograſtrio* geſtabat; reperitur lien prolapſus in hypogaſtrium, utero & vicinis partibus hærens; ac decem libras pendens. CABROLIUS.

Ad hanc claſſem revocandæ obſervationes Libr. I. 180, 216, 952, 1589.

---

*Lien duplex.*

OBS. 1006. Quidam ſexagenarius hypochondriacus, flatibus in

LIEN. ventriculo laſcivientibus perpetuò torquebatur, quos multos eructabat. Tandem vomitu nigro, acidiſſimo & diutiùs protracto exhauſtus animam expiravit.

Occurrit duplex lien, alter in ſede naturali; alter inter pylorum & vas choledocum, adnatus ſcilicet principio duodeni, peculiaribus ligamentis membranaceis è lumbis ortum ducentibus firmatus, vaſiſque nomeroſiſſimis rigatus. Colore & fabrica lieni tam ſimilis viſus eſt ut nihil magis; cæterùm nigriori paulò colore ſaturatus, odorem acidum ſpirabat; non ſecùs ac acetum naribus admotum. LAUTHIER.

## *Lienis defectus.*

OBS. 1007. Quædam mulier *atro colore* ità fuit tincta & defœdata, ut ejus aſpectus horrorem omnibus obviis incuteret. Tandem accedente & crebrâ recurrente *leipothymiâ*, inter *continuam febrem* interiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, & luſtrato abdomine, ne veſtigium quidem lienis reperitur. ZACUTUS.

OBS. 1008. Introſpectis interaneis cujuſdam fœminæ, *atro colore tinctæ*, & inquinatæ; ac perpetuò mœſtæ, abſque febre, deſideratur lien. BONETUS.

Haud abſimilem caſum exhibet obſervatio Libr. I. 815.

## *Lien inculpatus in melancholiis.*

OBS. 1009. In quinquaginta, & ultrà, cadaveribus *melancholicorum* vix unquam ſe lienis vitia deprehendere potuiſſe teſtatur. FR. SYLVIUS.

OBS. 1010. In pluribus melancholicis poſt obitum exenteratis, lien ſanus & inculpatus repertus fuit. GLISSONIUS. HYGMORUS.

De Liene cruſtâ obducto, vide obſervationem Libr. I. 843.
De Liene veſiculoſo, vide obſerv. Libr. I. 702.
De Lienis hydrope, vide obſerv. Libr. I. 868.

# SECTIO OCTAVA.

## DE PANCREATE.

### *Pancreas ſcirrhoſum.*

OBSERVATIO 1011. Vir triginta annorum *ventriculi dolore* laborabat, cujus ſævitie tandem lecto affigitur. Inſomnes erant noctes, *alvo ſummè adſtrictâ.* Hic dolor contumaciſſimus ſedem habebat inter mucronatam cartilaginem & umbilicum; ac paſtu exacerbabatur. Selectioribus remediis obſurdeſcit prædictus dolor, adeò ut poſt plures menſes inter ærumnas ad opium confugiatur, morbo conclamato. Ultimas vitæ hebdomadas ululando egit; donec ſtupendâ macie confectus, turbatâ mente, ſupremum diem obierit.

Sectis marcidis & nigreſcentibus abdominis muſculis, vix apparent omenti reliquiæ. Fœdi erant aſpectûs inteſtina. Omni labe carens. Ventriculus ad ſiniſtra devolutus latebat ſub hepate immenſo & lieni continuo. Tuberculoſa hepatis ſuperficies duritiem quaſi lapideam referebat: cultro vix cedens cartilagine durius deprehenditur; hinc inde ex annulis crepitans; cujus reſectum fruſtum marmoris gravitatem æquabat. Cyſtis fellea contracta parùm bilis nigerrimæ continebat. Lien æquo paulò major atro ſanguine turgebat. Pancreas verò triplo majus quàm par eſſet, hepate durius & magis arenaceum, atque ejuſdem gravitatis, præcipuam dolorum cauſam oſtendebat. CLAR. TISSOT.

OBS. 1011. (*a*) Miles quinque & triginta annorum, poſt multos & arduos labores, de *doloribus* acerbiſſimis *in abdomine* conquerebatur; quibus tandem victus lectulo ſeſe commiſit, ſex menſes, ante obitum. Dolor erat in hypochondriis, lumbis & toto abdomine: ſævit poſteâ in coxis, cum totius corporis proſtatione. *Vomitus* erat *bilioſus*, & frequens; urgebat *febris aſſidua*, cum ſiti inexhauſtâ & vigiliis. Supervenit *tumor* circà *nothas coſtas* ſiniſtri lateris, versùs cartilaginem enſiformem, cum punctorio & immani dolore. Tandem ſyncope prehenſus, fato conceſſit.

PANCREAS.

Secto cadavere reperitur hepatis lobus nigricans, orificio ventriculi ſuperiori, diaphragmati & nothis coſtis ita affixus, ut nonniſi fuſtulatim inde avelli potuerit. Pancreas ingens & ſcirrhoſum conſpicitur. Pylorus & meſenterium ſimili labe inquinabantur. Adeps tum pectoris, tum abdominis duritiem ſcirrhoſam etiam mentiebatur. Prætereà pulmones purulento ichore erant infarcti. PLATERUS.

OBS. 1012. Vir quinquagenarius *dolore* corripitur *in abdomine ſuprà umbilicum;* poſt varias remiſſiones, per duos menſes, cutis *colore icteritio* defœdatur. Dolores intereà fiunt acerbiores, & quarto ab ictero die *tumet hypochondrium dextrum.* Dein ferociora urgent *tormina;* miſelluſque æger clamans & ejulans in convulſiones lethales incidit.

Inter ſectionem cadaveris reperitur ductus biliferus mirum in modum à bile ſtagnante dilatatus; adeò ut venæ portæ amplitudinem ſuperaret. Veſicula fellis ab ſtatu naturali minimè recedebat; ſi excipias cervicem contractam quæ appellenti bili additum præcludebat. Pars dextra pancreatis, protuberans & premens ductûs cyſtici oſtium, dura & ſcirrhoſa deprehenditur; ſiniſtra verò putrida. Duodenum hujuſce mali conſors calloſum deprehenditur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1013. Fœmina octodecim annorum aliàs ſana, inter menſium fluxum *vomitu violento* corripitur quo fluxus menſtruus retentus eſt. Accedit *pectoris anguſtia*; frigent extrema, & *palpitat cor.* Dein ingruunt anxietates, pergente cordis palpitatione; quos excipiunt *animi deliquia. Ad fundum ventriculi* percipiebatur continua *pulſatio*, cordis motui correſpondens, & dein *tumor.* Intereà ægra de *moleſto pondere in epigaſtrio* querebatur: alvus erat adſtricta, & urgebant noctes inſomnes. Poſt quatuor circiter menſes inter haſce ærumnas erumpunt vomitus æruginoſi, & alvi fluxus bilioſus, quas brevi ſequitur lethum.

Luſtrato abdomine in conſpectum venit pancreas maximum, & ſcirrhoſum, tredecim libras pendens & recondens ſaccum ſanguine grumoſo repletum. CLAR. STORCK.

OBS. 1013. (*a*) Virgo quinquagenaria ob tenuem & pravum victum, in œdema crurum incidit, quod brevi ſequitur *ſpirandi difficultas.* Dein innoteſcit *aſcites.* Poſt nonnullas inducias ingra-

veſcit morbus ; cor palpitat ; & urget *dolor circà ſcrobiculum cordis* ubi *tumor durus* perſentitur. Pulſus exploratur intermittens ; & ſæviebat tuſſis. Omnia demùm exacerbantur uſque ad obitum, prævio omnium ingeſtorum *vomitu pertinaciſſimo.* PANCREAS.

Præter aquam fœtentem in abdomine, lien occurrit durus & cartilaginoſus. Pancreas reperitur ingens & ſcirrhoſum. Similem labem exhibebant meſenterium & appendices inteſtinorum. Pectus inſuper & pericardium aquâ ſcatebant, pulmonibus nonnihil purulentis. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1014. Muliercula laborabat *palpitatione cordis ; torminibus ventris*, & appetitu proſtrato. Accedit *dyſpnœa*, cum tuſſiculâ. Poſt quatuor annos, macie confecta ; ſtupore & frigore in manu ſiniſtrâ correpta eſt : ſuccedente, abſque dolore ; *ſyderatione*, quâ ſenſim digiti fiunt inſtar carbonum nigri & frigidiſſimi. Poſt *brachii abſciſſionem*, gangræna truncum invaſit ; adeò ut paucos poſt dies è vita diſceſſerit.

Aperto cadavere, deprehendebatur præter aquam ſtagnantem in abdomine, pancreas maximum & ſcirrhoſum. Hepar erat durum & pallidum. Pulmo dexter purulentus & ſcirrhoſus concretiones lapideas recondebat. Cor erat parvum, & ſanguine planè exhuſtum ; arteria venoſa in monſtroſam amplitudinem extenſa annotabatur. FABR. HILDANUS.

OBS. 1015. Ruſtica quædam quinquagenaria, jamdiù poſt ſubitaneam catameniorum ſuppreſſionem, de graviſſimis *doloribus circà præcordia* conquerebatur. *Diſtentum erat epigaſtrium*, cum crebris *vomitibus*. Tum ſeſe obtulit tactu explorantibus *corpus* quoddam *mobile in regione ventriculi*. Alius percipiebatur tumor in parte dextrâ, quem digitis tangere, ſinè atrocioribus doloribus vix licebat. Tandem exhauſtis viribus obiit.

Præter tres menſuras ſeri flavi in abdomine contentas, conſumptum erat omentum. Pancreas undique ſcirrhoſum & tumidum annotabatur. Pylorus inſigniter tumebat cum nonnullis abſceſſibus. Interna facies ventriculi, undique ſcatebat glandulis induratis, albicantibus, & diverſæ molis. HARDERUS.

OBS. 1016. Quidam nobilis mœrore confectus, de *dolore in epigaſtrio* per quadriennium queritur. Nec tumebant, nec dolebant hypochondria. Tandem quâdam affulgente curationis ſpe, ſubitò *gangrænâ* corripitur à pede dextro ad ſuperiora celeriter

PAN-CREAS.

reptante, ex decubitu ſeroſi humoris crura & tibias inflantis; cum diris cruciatibus, intrà ſex horas expiravit.

Aperto cadavere deprehenditur jecur induratum, inſtar corporis ſphærici rotundum, fractum & transfixum gypſeâ pituitâ, ſevum referente. Pancreas totum ſcirrhoſum, amplitudine ſuâ, & pondere jecur ipſum æquabat. Lien ità erat exiguus, ut vix unciam ponderaret. RIOLANUS.

OBS. 1017. Matrona quatuor & triginta annorum, cœpit in puerperio *vomitu* laborare, quo rejectus fuit quidam globus duos pollices diametro ſuperans, & mollis. *Vomitus perſtitit* ad mortem uſque; id eſt, *quatuor & viginti annos* perduravit; redibat quotidie duabus horis à prandio. *Alvus* erat *adſtricta*, cum pulſu ſub poſtremis menſibus intermittente. Noviſſimo vitæ menſe decumbere cogitur; ingruit *febris;* gravis accedit *cordis palpitatio*, & tandem mors.

Inter exenterationem cadaveris, ventriculus occurrit contractus. Pancreas erat ſcirrhoſum, & veſicula fellis craſſiſſimâ bile atrâ turgebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1018. Vir ſexagenarius vino ſuprà modum deditus, & ad tabem vergens, ſubito in *icterum* incidit. Tum vires deficiunt, arcetur ſomnus; accedunt *nauſeæ* cum *ventris doloribus*. Dein manus *tremore* debilitantur, ſubſequente totali impotentiâ, quæ artus inferiores etiam invadit. Tandem exolutis viribus occubuit.

Luſtratis interaneis deprehendebatur pancreas tumidum, univerſali, & obfirmato ſcirrho induratum. Cætera viſcera, non ſecùs ac cutis, bile infecta videbantur. MANGETUS.

OBS. 1019. Quidam à tribus menſibus de *dolore circà regionem ventriculi* acerbiſſimo, & continuò ſæviente conquerebatur; ità ut præ dolore & pertinaciſſimis vigiliis ad ultimam maciem perductus fuiſſet. Quâ demùm confectus interiit.

Reſerato abdomine, deprehenditur ſcirrhus ingens totum pancreas cum parte haud exiguâ meſenterii, occupans, & jejuni principium ambiens. Materiâ alimentorum plenus erat ventriculus; cujus orificium inferius tam arctè erat occluſum, ut vix aliquid excerni potuerit. BLANCARDUS.

PAN-
CREAS.

OBS. 1020. Aurifaber à tribus menſibus, *dolore circà ventriculum* acerbiſſimo, & indeſinente, laborabat; adeò ut tandem doloribus victus fatis ceſſit; multis incaſſùm adhibitis præſidiis, vel exquiſitioribus.

Secto cadavere occurrit pancreas ingens & ſcirrhoſum, cum proximâ meſenterii parte ejuſdem mali conſorte. Hic ſcirrhus pancreatis non apparebat tactui, quia ſub ventriculo & inteſtinis latitabat. RIVERIUS.

OBS. 1021. Quædam mulier *ingenti ventriculi dolore* ſubitò correpta fuit, ſubſequente vomitu quem excipit febris cum anxietatibus & vigiliis pertinaciſſimis; perſiſtentibus doloribus. Poſt viginti circiter dies omnia bene ſe habere videbantur, adeò ut paulò poſt in publicum prodierit ægra. Ipsâ die, ſub veſperum denuò adoriuntur dolores, vomitus, febris & anxietates, inter quæ obiit.

Pancreas erat ingens, durum & undique ſcirrhoſum. Ren ſiniſter in colliquamentum abierat. CAR. SPONIUS.

OBS. 1022. Juvenis ſexdecim annorum, *ſcrophuloſus* & *ſcorbuticus*, *degultiendi difficultate* laborabat; cùm tandem macie confectus, obiit.

Inveniuntur pancreas & meſenterium ſcirrhoſa, & duriſſima. Cyſtis fellea bile atrâ & glutinosâ replebatur. Pulmones aridi occurrebant, & purulenti. Quædam glandula ſcrophuloſa, inter alias paſſim annotatas, nucem juglandem magnitudine ſuperans, pharyngem comprimebat. DEIDIER.

OBS. 1023. Virgo viginti annorum poſt deſtillationem ferinam ad pectus dilabentem, *febre duplici tertianâ* mali moris corripitur. Nulla erant ſputa cruenta nec purulenta; atque reſpiratio nonniſi ultimis vitæ temporibus, difficilis evaſit.

Secto cadavere, hepar ingens obſervatur, & utrumque ferè hypocondrium occupans. Pancreas erat ſcirrhoſum, cum ſtagnante ſero in abdomine. Uterque pulmo abſceſſum recondebat. HARDERUS.

OBS. 1024. Mulier ſeptuagenaria, à quindecim retrò annis, de languente appetitu & *anxietatibus* querebatur. Senſim contabeſcens, tandem fato ceſſit.

PANCREAS.

Omentum erat breve & tenuiſſimum ; cum inteſtinis ſummè contractis. Pancreas ſcirrhoſum , æquè ac meſenterium ; cum hepate ſicco & friabili. Principium aortæ erat paſſim oſſeum ; omniaque oſſa ſummè fragilia deprehendebantur. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 1024. (*a*) Puer octo annos natus, ſanus & robuſtus *febre putridâ* corripitur. Pergente morbo , exacerbantur ſymptomata ; & aphonus per intervalla evadit; ac demùm *emaciatus* è vivis deceſſit; inſtitutâ cadaveris ſectione omnia abdominis viſcera inculpata deprehendebantur, ſi excipias pancreas mole majus & ſcirrhoſum. CLAR. DULAC.

OBS. 1025. Puella quindecim annorum *cachectica* , & macilenta, de *dolore circà præcordia* querebatur , cum ventre tumido. Dein exſurgit tuſſis ſicca , cum pulſu celeri. Poſtremò ſputa erant purulenta.

Aperto abdomine, patet omenti putredo. Meſenterium gelatinam cum glandulis ſubatris & induratis exhibuit. Pancreas ſcirrhoſum deprehenditur, & purulentum. Pulmones ſimili labe afficiebantur. HARDERUS.

OBS. 1026. Quidam, inter *febrem acutiſſimam* , *hepaticum fluxum* , *lienteriam*, & diarrhæam bilioſum patiebatur. Accedunt *vomitus & torpor ;* quibus perſiſtentibus, incaſſùm adhibitis remediis ; imò & ipſâmet in uſum vocatâ transfuſione , tunc temporis celebri, ad Superos migravit.

Inciſo cadavere inveniebantur inteſtina livida , gangrænoſa & ſummè fœtida. Pancreas erat ſcirrhoſum ; ac demùm cor valdè ſiccum & quaſi toſtum. BONETUS.

OBS. 1027. Puella *pravis alimentis* ſæpiùs ſe ingurgitabat, cùm malè ſe habere incipit. Deficit appetitus ; languent vires ; & accedit *vomitus cum diarrhœâ pertinaci*. Hinc *febris lenta* & macies ; ac tandem mors.

Inſtitutâ cadaveris ſectione hepar mole majus deprehenditur. Pancreas omni ex parte induratum, & planè ſcirrhoſum annotatur. Glandulæ meſentericæ etiam infarctæ reperiebantur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1028.

PANCREAS.

OBS. 1028. In cadavere pueri decennis, qui de *doloribus in ſiniſtrâ abdominis parte* & in univerſo ventre, aliquot annis ante obitum conqueſtus fuerat; in conſpectum venit ventriculus exiguus, cum inteſtinis flatibus mirè diſtentis. Pancreas verò ſcirrhoſum, vel calculi inſtar induratum, occurrit. Ren demùm ſiniſter putredine tactus, lapidem recondebat. PAWIUS.

OBS. 1029. Quidam *febre tertianâ* laborabat, cum *tumore duro circà regionem hepatis*: quâ demum ingraveſcente, gravioraque poſt ſe trahente ſymptomata, ad plures abiit.

Inciſo cadavere, præter hepar ſcirrhoſum, & oppidò grande; obſervatæ fuere glandulæ omnes dextri lateris, unà cum pancreate, ingentes, retorridæ, duræ & quaſi lapideæ. CAR. PISO.

OBS. 1030. Vir robuſtus *vomitu* corripitur, ſiti ſtipato. *Dolorem acerbiſſimum in regione ventriculi* patiebatur; & crebris animi defectionibus conflictabatur; quibus tandem poſt undecim dies occubuit.

Hepar ſe ſiſtit maximum, ſed ſanum. Pancreas conſpicitur æquo majus tuberculoſum & inæquale duritie ad cartilaginem accedens. Præterea plurimum aquæ ſubcruentæ ſtagnabat in pericardio. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1031. Puer biennis, macie confectus laborabat *exulceratione in muſculo maſtoïdeo*, quæ ad venam jugularem penetrare videbatur.

Mortui corpore diſſecto invenitur in dextro cordis ventriculo puris haud exigua copia ſanguini permixta. Lien erat magnus & induratus. Occurrit pancreas magnum & ſcirrhoſum; hepate ferè conſumpto. KERKRINGIUS.

OBS. 1032. In cadavere puellæ duodecim annos natæ, & hectica, quæ per octennium *mira ſymptomata* patiebatur, adeò ut à populo crederetur incantata, reperiebatur aquæ virulentæ copia intrà pericardium. Pancreas mirum in modum intumuerat, & lapidis duritiem aſſequebatur. PAWIUS.

PANCREAS.

OBS. 1033. Quidam de *doloribus immanibus in abdomine* querulus, *gangrenâ* corripitur, quæ à pedis digitis ad ſuperiora brevi propagatur, quâ intrà paucos dies occubuit.

Reperitur hepar ſcirrhoſum. Pancreas occurrit ingens & ſimili labe affectum. BONETUS.

OBS. 1034. Quædam mulier poſt *tertianam intermittentem* pertinaciſſimam, incidit in *febrem continuam*, *lentam*, ſæviſſimis *doloribus*, duas treſve horas ab aſſumpto cibo, ſtipatam; quâ diù perſiſtente tandem conficitur.

Luſtratis interaneis, in propatulum veniebat pancreas ingens, induratum, vel ſcirrhoſum. CAR PISO.

OBS. 1035. In cadavere pueri decimum quartum ætatis annum agens, *morbo* lento, vel *ignoto* extincti, reperiebatur pancreas ingentis molis, & ſcirrhoſum; cum meſenterio ſimili labe affecto. Inſuper inteſtina paſſim gangrænoſa conſpiciebantur, & invicem coaleſcentia. BLASIUS.

OBS. 1036. In quâdam vetulâ herniosâ, & *aſcite* extinctâ; detegitur inſignis portio omenti in umbilico ſacciformi. Hepar erat nonnihil ſcirrhoſum & flavis punctis notatum. Pancreas durum & ſcirrhoſum etiam deprehenditur; cum ſtagnante ſero. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1037. Inter exenterationem cujuſdam *febre intermittente epidemicâ*, & mali moris extincti, animadvertuntur cor & vaſa ſanguine nigro ſcatentia; hepar exangue; pancreas verò induratum & ſcirrhoſum. CLAR. SENACUS.

OBS. 1038. Secto quodam juvene, qui *vomitu* contumaci, cum *dejectionibus nigris*, uſque ad obitum laboraverat; in conſpectum veniebat pancreas ſcirrhoſum, & quaſi cartilagineum. RHODIUS.

OBS. 1039. Quædam vetula *quotidianum vomitum*, poſt paſtum patiebatur. In *atrophiam* lethalem incidit.

Aperto corpore, pancreas ita durum inventum eſt ut lapidem æmularetur. PANAROLUS.

PAN-CREAS.

OBS. 1040. In cadavere cujuſdam qui per quatuor annos de *ſæviſſimis ſtomachi doloribus* querebatur, occurrit pancreas ſolito majus & ſcirrhoſum. CAR. PISO.

OBS. 1041. Inter exenterationem cujuſdam viri, conſiſtentis ætatis, *anaſarcâ* enecti, deprehenditur pancreas durum & grandinoſum. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1042. Luſtrato cadavere pueri novennis, *atrophiâ* extincti, invenitur pancreas induratum & ſcirrhoſum. BLASIUS.

OBS. 1043. Secto quodam *melancholico*, diuturno morbo, extincto reperiebatur pancreas durum & ſcirrhoſum. HEISTERUS.

His adde obſervationes Libr. I. 17 (*a*), 76, 155, 159, 178, 211, 254, 265, 275, 329 339, 405, 408, 523, 590, 642, 669, 816, 817, 818, 828, 940, 1500, 1647, 1648, 1649, 1726; Libr. II. 407, 413, 415, 417, 446, 622, 664 (*a*), 743, 863, 864, 922; Libr. III. 67, 472. Vide inſuper *Viſcera ſcirrhoſa*.

---

## *Tumor è pancreate.*

OBS. 1044. Juvenis vigeſimum ſecundum ætatis annum agens, à tredecim menſibus febre lentâ correptus; tuſſi, *pectoris oppreſſione* & *hæmophthiſi* afflictus, in marcorem, dein in *hydropem* incidit. Ultrà modum *protuberat abdomen*: ac tandem exolutis viribus fatis ceſſit.

Secto abdomine effluxit ſerum ſubflavum ad ſeptem vel octo pintas. Meſenterium ſcirrhoſum conſpicitur. Occurrit tumor ad capitis infantis magnitudinem accedens, & pancreati adnatus; è pluribus invicem unitis corporibus compactus, & quaſi racemoſus; materiâque quâdam ſebaceâ ſcatens. Alter occurrit in pectore tumor ſcirrhoſus, diaphragmati hærens, nucis juglandis magnitudinem æquans. Pericardium multo ſero turgebat. Pulmones denique plevræ accreti, materiebus ſabuloſis, ſebaceis, aliiſque viſcidioribus, erant infarcti. BONETUS.

Haud abſimilem fermè caſum præbet obſervatio Libr. I. 1637.

PANCREAS.

## *Pancreas calculoſum.*

OBS. 1045. Vir triginta annos natus, *melancholicus* & ad defluxiones catarrhales proclivis, fructuum horariorum intemperanti uſu incidit in *vomitum* & *alvi fluxum*, quibus per intervalla ſubſequebatur *fluxus ſanguineus.* Quibus perſiſtentibus ſenſim collabuntur vires, & valetudinariam, moleſtiſſimamque vitam cum morte commutavit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniebant ſeptem vel octo calculi, ad ciceris magnitudinem accedentes, in parte dextrâ pancreatis, circà exitum ductûs pancreatici in duodenum. GRAAF.

De Hâcce læſione mentio ſubjicitur in obſervatione Libr. I. 545.

## *Pancreas purulentum.*

OBS. 1046. Quidam *melancholicus* incidit in *febrem*, cum *dolore ad dorſum* & lumbos, quem paucis poſt diebus ſequitur *fluxus hæmorrhoïdalis;* accedente totius *corporis tremore* inſolito. Intereà febris exacerbatur, cum fœtore totius corporis. Deficiunt vires, & ſupremum diem obiit æger.

Luſtratis interaneis, deprehendebantur pulmones ſero putri & fœtido infarcti. Cerebrum colluvie ſeroſâ & ſubviridi, cujus portio in ſpinam dorſi decidua, ſcatebat. Prætereà in propatulum venit abſceſſus ingens in pancreate, cum multo pure, & fœtore intolerabili. BARTHOLINUS.

OBS. 1047. Juvenem, cui perperàm *exſectus* fuerat *teſtis*, *febris quartana* prehendit, tam acerbis *doloribus in lumbis*, & abdomine, ſtipata, ut ſit ipſi quaſi interdicta omnis decumbendi copia; etiam urgente maximâ dormiendi neceſſitate. His oppreſſus miſeriis non invitus è vita diſceſſit.

Inciſo corpore deprehenditur hepar inflammatum, cum inteſtinis

vitellinis, & ventriculo atrâ bile perfuſo. Inſuper pancreas ſolito majus pure ſordido erat infarctum. TULPIUS.

PANCREAS.

OBS. 1048. Quidam de *vigilis pertinaciſſimis* conquerebatur: cùm enim dormire conabatur, tum in leipothymiam & totius faciei frigidum ſudorem incidebat. Dubitantibus medicis, varia incaſſùm adhibentur auxilia. Tandem cùm prorsùs nil dormire poſſet, miſer interiit.

Inſtitutâ ſectione cadaveris, in conſpectum veniebat pancreas abſceſſu putrefactum. AUBERTUS.

OBS. 1049. Juvenis à *febre quartanâ* in eas redactus anguſtias, ùt nequiverit unquam in cubili quieſcere; *interdictâ* ipſi quaſi *omni decumbendi copiâ*; tandem exolutis viribus ad ſuperas migravit.

Inter cadaveris exenterationem, deprehendebatur, præter alias læſiones, pancreas extuberans, & pure ſordido infarctum. TULPIUS.

OBS. 1050. Quidam incidit in *febrem* continuam, *dolore dorſi* & lumborum ſtipatam, quâ tandem è medio tollitur.

Inventus eſt ingens abſceſſus, in toto pancreate latitans, cum multo pure ſubviridi & fœtidiſſimo. GUID. PATINUS.

## *Pancreatis exulceratio.*

OBS. 1051. Fœmina quadragenaria major, à tribus annis catameniis carebat; *enormeſque ventris dolores* patiebatur, pluries intrà nycthemeri ſpatium recurrentes. Inter paroxyſmum mirum in modum ſe contorquebat; in omnes latus ſeſe vertebat, levamen dolorum quæſitura: modò gemitu, modò ejulatu mali acerbitatem exprimebat. Tandem *erumpente ſanguine ex ore & naribus*, animam efflavit.

Ventriculus & inteſtina ſanguine grumoſo pleniſſima inveniebantur. Pancreas erat omni ex parte durum & ſcirrhoſum, ulcuſculis cancroſis hinc indè obſitum; quæ etiam ventriculi ſubſtantiam eroſiſſe videbantur. CLAR. HASENOHRL.

PANCREAS.

OBS. 1052. Quædam mulier octo & viginti annorum, obeſa; jamdiù *doloribus nephriticis*, & *vomitui* violento obnoxia; tandem in *febrem* continuam *acutam* incidit, quæ lethum accerſit.

Exenterato cadavere, reperitur pancreas exulceratum, cum proximioribus ventriculi & inteſtinorum partibus ſphacelatis. Occurrit prætereà in pelvi renis corpus teſtaceum, materiâ quâdam mucosâ obductum. EX ACTIS. LIPSIENSIBUS.

OBS. 1053. In nobili fœminâ quæ annos retrò plures *epilepſiâ* & *paſſione hyſtericâ* laborabat; & tandem poſt dolores & cruciatus exquiſitos, vitam cum morte commutavit; ſolum pancreas male affectum, & exulceratum, inveniebatur. HIGMORUS.

OBS. 1054. Quædam per plures annos ad *affectus convulſivos* proclivis, tandem incidit in *ventris tormina* vehementiora, quibus perſiſtentibus, è vivis eripitur.

Reſerato abdomine, in apricum venit pancreas exulceratione defœdatum. BLASIUS.

In hâc ſerie recipi queunt obſervationes. Libr. I. 10, 774.

## *Pancreas putridum.*

OBS. 1055. Quidam in *febrem tertianam* incidit pertinaciſſimam; ſæpiuſque recurrentem; donec fractis viribus, ad plures migraverit.

Secto cadavere, reperiebatur peritoneum, pancreas & meſenterium nonnihil corrupta, & ſanioſa. Hepar quoque durius quàm ſecundùm naturam eſſe conſuevit, annotatur. BONETUS.

OBS. 1056. Quidam ſartor nil retinebat aſſumptorum, alimentorum, potuumve; & etiam pituitam craſſam *evomebat*. Variis incaſſùm adhibitis remediis, brevi periit.

Reſerato abdomine, pancreas comperitur totum corruptum; imò & ſphacelatum. BARBETTE.

OBS. 1057. In corpore cujuſdam *tabidi* membranam pancreatis craſſiorem, à parenchymate abſceſſiſſe, & veluti ſaccum quemdam conſtituiſſe teſtatur. RIOLANUS. PANCREAS.

OBS. 1058. Luſtrato cadavere cujuſdam *hydropici*, inter alias læſiones, pancreas ſemi-putridum obſervatur. GLASERUS.

Hanc claſſem ſubeunt obſervationes. Libr. I. 12, 129, 249; 258, 781. Vide *Viſcera putrida.*

---

## *Pancreas ſideratum.*

OBS. 1059. Vir qiudam, quadrageſimum ætatis annum ſuperans, ad *dolorem colicum* pronus, de frigore interno conquerebatur; quem excipiebant *animi deliquia*: quibus ſpatio octodecim horarum è medio tollitur.

Aperto cadavere, omnia viſcera piuguedine quaſi obruta conſpiciebantur. Omentum annotabatur pingue ſcirrhoſum & globoſum. Occurrebat pancreas planè ſphacelatum: ac ſimili labe inficiebantur viciniores partes. GREISELIUS.

---

## *Pancreas abſumptum.*

OBS. 1060. In cadavere puelli *aſcite & tympanitide* ſublati, ſequentia notata ſunt. Præter ingentem aquæ fœtidæ copiam in abdomine ſtagnatis omentum cernebatur penitùs putrefactum. Pancreas ità erat conſumptum, ut nullum ejus veſtigium animadvertere liceret. Lien occurebat monſtroſus & induratus, ac tribus appendicibus inſtructus. Pericardium aquâ fœtidâ diſtendebatur: cor demùm inane, ne guttulam ſanguinis continebat. BONETUS.

Conſimiles caſus præbent obſervationes. Libr. I. 252, 1599; Libr. II. 135, 150, 545.

PAN-
CREAS.

### *Ductus pancreaticus duplex.*

OBS. 1061. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viri quadraginta circiter annos nati, qui dum in vivis ageret, *fame* quaſi *caninâ* laborabat; acerbiſſimiſque *ventris torminibus* divexebatur; in conſpectum veniebat, inter alia notatu digna, ductus pancreaticus duplex; planè inculpato ipſomet pancreate BLASIUS.

### *Ductus pancreaticus lumbrico obturatus.*

OBS. 1062. Inter exenterationem cadaveris mulierculæ annoſæ, *febre* quâdam *malignâ* epidemicâ extinctæ præter varias & vulgatiſſimas læſiones, reliquias febris inflammatoriæ exhibentes, deprehendebatur vas ſecretorium pancreatis lumbrico huc adacto planè obturatum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Aliud exemplum hujuſce læſionis proſtat obſervatione, Libr. I. 264.

# *SECTIO NONA.*

## DE RENIBUS ET CAPSULIS.

### *Renes ingentes.*

OBSERVATIO 1063. Matrona trium & triginta annorum, vitam agens ſedentariam, queritur de *tumore* in *ſiniſtro hypogaſtrio*, qui ſenſim ad latus dextrum ſe propagavit. Poſt annum, & innumera remedia, tantum incrementum ſumpſit venter ut nec ſtare, nec decumbere poſſet; nec ſomnum capere. Lotium parcè fluebat ventre ultrà modum tumente emaciebatur corpus,

corpus, haud exceptis cruribus. Tactu deprehendebantur *bini tumores in hypochondriis ſiti*, & *alius in regione renis dextri.* Educitur paracenteſi, & partitis vicibus, aqua ad libras quadraginta & centum. Paucis tandem ab hâc evacuatione diebus & circà quartum à primo inſultu annum obiit. RENES.

Ren dexter ingens, ampullæ inſtar, reperitur; qui præter aquæ copiam plures hydatides recondebat. Ren ſiniſter colliquatus erat, & fuſus. Epiploon penè conſumptum, infimo hypogaſtrio affixum; & meſenterium ſcirrhoſum conſpiciebatur. Utraque demùm uteri tuba in immenſam molem extenſa binos tumores præbebat, qui majorem ſeri copiam continebant. SPONIUS.

OBS. 1064. Quidam ſexagenarius, viginti abhinc annis, poſt exercitium immodicum *ſanguinem* copioſum emiſit *per uretram.* Duravit fluxus per octo dies. Elapſis decem annis, interdùm recurrente prædicto fluxu *ingruunt dolores in renibus. Venter tumet*, & ſenſim crevit in immenſam molem, emittebat ſubinde per uretram majorem copiam hujus materiæ, quæ poſt ejus obitum in corpore reperta eſt.

Secto corpore invenitur tumor totam propè modum ventris capacitatem occupans; quo aperto exierunt materiæ conſiſtentiâ & colore diverſæ; inter quas annotabantur calculi aſperi diverſæ figuræ; quorum nonnulli pollicis craſſitiem æquabant. Tota hæc materia, è tumore effuſa ſexaginta libras & ultrà pendebat: involucrum verò ad novem accedebat. Nil aliud erat quàm ren ſiniſter. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1065. Cujuſdam mulieris ſeptem & quadraginta annorum, mentem in violentos impetus præcipitem agebat grave infortunium; undè emerſit languor, cum febre lentâ & macie. Intereà tactu explorabatur *tumor durus in hypogaſtrio.* Menſibus ſuppreſſis, *totum tumebat abdomen* cum quâdam *ſpirandi difficultate*, à nimiâ ſcilicet ventris mole. Paracenteſi pluries incaſſùm adhibitâ, crura œdematoſa fiſſuras patiebantur; undè profluebat copioſum ſerum; cum nonnullo levamine reſpectu pectoris. Pergente demum *febre lentâ*, macie confecta, obiit.

Reſerato abdomine inveniebatur ren ſiniſter in immenſam molem auctus, & pondo quinque & triginta librarum; cum aquæ copiâ in abdominis cavo. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

RENES. OBS. 1066. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam viri conſiſtentis ætatis, qui jam pridem *doloribus* implacabilibus, *intrà regionem lienis*, circà umbilicum torquebatur. Deprehenditur ren ſiniſter ingens, loco dimotus, & ad regionem lienisquaſi detruſus. BALLONIUS.

OBS. 1067. In cadaverculo fœtûs recens nati, cui erat *ingens tumor ſub hypochondrio ſiniſtro*, in conſpectum veniebat ren ſiniſter ſtupendæ magnitudinis, ob ſeri copiam, quam continebat, uretere impervio. E MISCEL. CURIOSIS.

In hoc tractu collocari debent obſervationes Libr. I. 938, 1122; Libr. II. 854.

## *Renes flaccidi.*

OBS. 1068. Luſtratis interaneis cujuſdam qui per totam vitam à *Veneris uſu*, & omni fœminarum conſortio *abſtinuit*, reperiuntur renes flaccidi, & adeò parvi, ut nucis juglandis magnitudinem vix æquarent. TIMÆUS.

OBS. 1069. Quædam virgo octodecim annos nata, aliquot antè obitum annos, *diabete* laboraverat. Huic renes annotantur ſolito flaccidiores & cinerei. PAWIUS.

Similem fermè caſum ſiſtit obſervatio Libr. I. 868.

## *Renes inflammati.*

OBS. 1070. Puer ſeptennis, aliàs ſanus, per unum aut alterum diem cephaleâ affectus eſt; ſucceſſit *lumborum dolor* cum *febre* conjunctus; ſicut etiam *urinæ retentio*, ità ut ne guttulam ferè excernere poſſet; quâ demum, fruſtrà omnibus tentatis, ſeptimo morbo die enecatur.

Secto cadavere, deprehenditur ingens & inſignis renum, par-

tiumque circumjacentium inflammatio, cum variis gangrænæ notis. HILDANUS.



OBS. 1071. Quidam *nil lotii mingebat*, niſi ope cateteris. Conſpicuus erat *tumor durus*, ab anno integro, *circà pubem*. Exſurgit intereà *febris* cum gravi circà pubem pondere. Tandem inter uſum cantharidum obiit.

Reſerato abdomine, patet ren ſiniſter cum appenſo uretere inflammatus. Veſica erat craſſiſſima; tunicis ad medii digiti craſſitiem ferè accedentibus; & continens materiam lentam & cruentam. GUARINONIUS.

OBS. 1072. Vir quinquagenarius *febre continuâ* corripitur, cum exacerbationibus ſerotinis. Superveniunt *maculæ in toto corpore* latiores, & violacei coloris. *Senſum & motum utriuſque cruris amittit. Lotium ſupprimitur*, & quatuordecimo die obiit.

In conſpectum venit ren ſiniſter inflammatus & ſyderatus. Læſa etiam erat medulla ſpinalis in eodem latere. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 1073. Puer ſeptennis *iſchuriâ* correptus interiit. Inciſo abdomine inventi ſunt renes, cum vicinis partibus, inflammati, & gangrænâ tacti. HILDANUS.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 1166, 1752; Libr. III. 270.

---

## *Renes ſcirrhoſi.*

OBS. 1074. Vir quidam *dolorem* acerbiſſimum *in teſte ſiniſtro tumido* patiebatur. Nil conferentibus remediis ſectus fuit æger, & *teſtis ademptus*. Paulò poſt integram curationem & ſanationem vulneris, de *lumborum dolore & gravitate* querebatur. Dein erupit *in pube tumor cum dolore*, circà cicatricem. Lotium erat ſabuloſum. Tandem accedentibus aliis ſymptomatibus, mors ſequitur.

Secto tumore pubis, humor effluxit aquoſus & copioſus,

RENES. Ren ſiniſter admodùm durus erat & juſtâ quantitate major; parenchymate candidiori, & concreti puris faciem referente. DODONEUS.

Vix abſimilis caſus proſtat in obſervatione Libr. II. 477.

---

## *Renes cartilaginoſi.*

OBS. 1075. Vir quinquagenarius, crapulæ deditus, *iſchuriâ* ſubitò corripitur. Fruſtrà adhibetur cateter; nullus enim dolor, nec tumor in veſicâ. *Dolor* erat *gravativus in ſiniſtro rene.* Dein, vel poſt ſeptemdecim dies, accedit *vomitus; corpus intumeſcit;* læditur memoria impeditur loquela; ac tandem ſuffocatus obiit.

Exenterato cadavere; loco renis dextri invenitur corpuſculum induratum & cartilagineum, ovi gallinacei minoris magnitudine. Quo diſſecto intùs apparuere grumi ſanguinis, cum hydatidibus, & exiguâ portiunculâ ſubſtantiæ renis putridæ. Siniſter naturali triplo major, ſemi-cartilaginoſus, in parte convexâ reperitur. SCHROLCKIUS.

Hujuſce læſionis mentio ſubjicitur in obſervationes Libr I. 1213.

---

## *Renes tuberculoſi.*

OBS. 1076. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam calculo veſicæ laborantis, & *iſchuriâ* ſublati, deprehendebantur renes exſiccati, obſcuri & undequaque tuberculis referti. De dolore renum, quandiù ægrotavit, nuſqam conqueſtus fuit. EUSTACHIUS.

OBS. 1077. Secto corpore cujuſdam à *mictu abolito* interempti; in conſpectum veniebant renes internè puſtuloſi, lividiſque carunculis obſiti. Veſica erat ſanie defœdata; & callus enormis annotabatur ſub ejus collo. SEVERINUS.

## *Renum tumores & hydatides.*

OBS. 1078. Quædam virgo, à longo jam tempore, intolerabilibus torquebatur *doloribus circà regionem renum ;* ut ineffabile ſit. Paroxyſmos ferociſſimos comitabantur *mictus ſanguinei*, ſæpè redeuntes. Variis incaſſùm adhibitis præſidiis, tandem migravit ad Superos.

Exenterato cadavere, nullus reperiebatur lapis in renibus; ne quidem arenulæ : ſed ſuperficies utriuſque renis omninò inæqualis deprehenditur, & quaſi multis particulis durioribus coagmentata. Simillimi caſûs aliud exemplum præbuit vir quidam adultus. RUYSCHIUS.

OBS. 1079. Quidam melancholicus novemdecim annorum, de *dolore hypochondrii ſiniſtri* perpetuò querebatur; vigente *fluxu hæmorrhoidali ;* quo ſuppreſſo, bis intrà ſemeſtre ſpatium, hæmophthiſi corripitur; cujus demùm reditu, unà cum ſanguine, animam vomit.

Inter ſectionem cadaveris, occurrit lien magnus & flaccidus. Venæ meſeraïcæ & gaſtro-epiploïcæ varicoſæ atro ſanguine turgebant. Ren dexter cyſti donabatur ad magnitudinem pilæ luſoriæ, ſero, flaveſcente turgidâ. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1080. Cadaver cujuſdam viri triginta annorum, intrà nychtemeri ſpatium *peſte* ſublati, exhibebat hepar mole maximum & ſcirrhoſum. Stomachus maculis & puſtulis gangrænoſis defœdabatur. Inteſtinum jejunum inflammatum vermibus ſcatebat. Pancreas erat ſcirrhoſum. Occurrit demùm tumor, carbunculi inſtar, in parte externâ renis ſiniſtri. COUZIERS.

OBS. 1081. Quidam *doloribus nephriticis* obnoxius, tandem incidit in *iſchuriam* lethalem.

Reſerato abdomine, reperiebantur renes variis hydatidibus obducti; pelvis verò multis lapidibus ſcatebat. MERCLINUS.

RENES. Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 1121, 1175, 1286 1516; Libr. IV. 151.

---

## *Renum hydrops.*

OBS. 1082. Inter exenterationem nonnullorum *hydrope* extinctorum, deprehendebatur ingens aquæ copia, in alterutro rene, mirum in modum diſtento. WILLISIUS.

Similis casûs exemplum præbet obſervatio Libr. I. 1065.

---

## *Renum ulcus & purulentia.*

OBS. 1083. Quidam poſt exſectum in pueritiâ calculum, nunquam deinceps *lotium* per colem; verùm *per anum* reddidit. Sub hoc rerum ſtatu ad quadrageſimum ætatis annum pervenit. Tum *lumborum dolore* affligitur, cum *perpetuo dejiciendi conatu*; ac perenni pruritu in cole, è quo dein vix minima prodiit urinæ guttula. Hæc incommoda, integrum decennium, clam præ verecundiâ patitur. Quidquid ab ano effluebat arenulis & membranis erat permixtum. Brachia tremula; vigiliæ pertinaciſſimæ; febris lenta; cibi faſtidium cum viribus fractis, tandem ipſius miſerrimæ vitæ imponunt finem.

Inter ſectionem cadaveris, reperitur dextrum latus renis expers. Siniſter verò ren pure & ſteatomate infectus deprehenditur. Occurrit denique inter veſicam & rectum, ſordidum & inæquale carcinoma urinæ pervium. TULPIUS.

OBS. 1084. Matrona lautè vivens, obeſa & ad quemvis motum inepta, pluribus abhinc annis *urinam* mingebat *fœtidam & purulentam*; cum in hepatitidem incidit è quâ opportunâ curâ evaſit. Dein ſenſim extenuata, *difficili reſpiratione*, cum metù ſuffocationis corripitur, quâ tandem è vivis rapitur.

Pauca erat aqua in pectore: pulmones ſpumosâ materiâ infarciebantur. Ventriculus cordis ſiniſter concretionem polypoſam in arteriam pulmonarem latè protenſam recondebat. Cyſtis fellea lapidem unciam unam & ultrà pendentem continebat. Loco renis

ſiniſtri apparuit corpus adipoſum compactum, & admodum durum caput infantis, magnitudine, æquans, in quo nulla reperiebantur parenchymatis veſtigia; inibi ſtagnabat puris copia. Appenſus ureter cruſtâ quaſi calcariâ intùs obducebatur. Clar. BAADERUS. RENES.

OBS. 1085. Puellus triennis lapide laborabat, qui ſolitâ ſectione è veſicâ feliciter extrahitur: optimè demùm convaluit. Poſt biennium, inſigni caſu, gravem patitur *contuſionem in regionem renis* ſiniſtri; undè inflammatio & abſceſſus; quo aperto, ſucceſſit *iſchuria*; ac poſt diuturnos dolores occubuit.

Luſtrato cadaveris abdomine, deprehenditur ren ſiniſter ingentis molis & purulentiâ conſpurcatus; cum appenſo uretere phlegmate & arenulis infarcto. Ren ſiniſter calculis omninò fuit obſtructus cum annexo uretere. Poſtremò inanis cernebatur veſica; & inſtar chartæ pergamenæ, ſicca. BONETUS.

OBS. 1086. Quædam vetula per viginti annos *dyſuriâ* conflictata; tandem *tabida*, & lecto perpetuò affixa, *febre*, tuſſi, & *dyſpnœâ* laborabat. Urinæ ſedimentum copioſum, fœtidum & purulentum deponebant. Accedunt *leipothymiæ* frequenter recurrentes; ac tandem lethum.

Ren dexter, inſtar marſupii, calculis & pure refertus, ac diſtentus, deprehenditur. Venæ emulgentes, quaſi lapidei canales, cruſtâ calculoſâ intùs obducebantur. Veſicula fellea concretionibus bilioſis erat repleta. Pulmones demùm tuberculis crudis & calculis cretaceis ubique ferè obſceſſi reperiuntur. MORTON.

OBS. 1087. Quidam poſt prægreſſum *ſiniſtri renis dolorem gravativum* excernit urinam turbidam, cujus ſedimentum inodorum, lac ipſum refert. Sequitur febris lenta horis nocturnis increſcens, cum genarum rubore. Rebus in deteriorem conditionem delapſis, tandem ad ultimum vitæ exitum, die quadrageſimo perducitur.

Luſtratis interaneis, inventus eſt abſceſſus in rene ſiniſtro. Veſica fellea lapidibus erat repleta: ictero tamen nunquam fuit detentus. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 1088. In corpore cujuſdam principis qui poſt *febrem intermittentem*, continuam, occubuit, reperitur omentum diſruptum & putridum, cum duodeno putri & purulento. Ventriculus & œſophagus nonnullas ſyderationis notas præ ſe ferebant. Pulmones

RENES.

putres & ſanioſi, plevræ & diaphragmati arctè hærebant. Ren dexter pure conſpurcatus occurrit, cum corruptelâ vicinarum partium. Præcereà veſicæ cervix ulcus magnum, & ſordidum exhibebat, cum partibus vicinis purulentis & gangrænoſis. HOLZACHIUS.

OBS. 1089. Quidam juvenis ſeptem & vinginti annos numerans, à primâ infantiâ de *doloribus circà pubem meiendi difficultate*, aliiſque ſymptomatibus calculum veſicæ indicantibus, querebatur. Tandem exacerbatis doloribus, urgente *ſtranguriâ*, cum urinis craſſiſſimis, & gravè olentibus; fractiſque viribus naturæ debitum ſolvit.

Cultro anatomico ſubjecto cadavere, deprehendebatur lapis aſper in veſicâ exulceratâ, & purulentâ. Ren dexter totus etiam ulceroſus, & puris fœtidiſſimi plenus, annotabatur. SCHOLZIUS.

OBS. 1090. Quidam vir vigeſimum octavum ætatis annum agens, jampridem *dyſuriæ*, cum *doloribus lumborum*, obnoxius; tandem incidit in *ſtranguriam* accerbiſſimam. Doloribus attritus obiit.

Aperto cadavere, in apricum veniebant renes ingentes & ſubnigricantes; ac cruſtâ quâdam gelatinosâ obducti. Pelves & ureteres materiâ purulentâ & fœtidiſſimâ replebantur. Renes inſuper maximâ lapidum copiâ ſcatebant; ſuprà ſcilicet quadraginta, quorum minores ad amygdalæ magnitudinem accedebant. E DIARIO ERUDITOR.

OBS. 1090. (*a*) Mercator quadraginta annorum, temperamenti atrabilarii, inflammatione renis ſiniſtri corripitur, quæ in ſuppuratum abit; hinc *urina craſſa, fœtida & purulenta*; tandem antè obitum cruenta.

Cyſtis fellea recondebat bilem nigricantem & tenaciſſimam. Abdomen quatuor libras materiæ purulentæ à diſrupto renis abſceſſu continebat, inter peritoneum & muſculos lumbares reconditæ. Renis ſubſtantia ferè ex integro abſumpta conſpiciebatur; pluresque calculos anguloſos & aſperos colligebat. Veſica erat tota ſcirrhoſa & denſa, cujus latera craſſitiem pollicis æquabant. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1091. Vir triginta circiter annorum à quarto ætatis anno *ſtranguriæ* obnoxius, plures excrevit calculos. Multis fruſtrà tentatis,

tentatis, poſt *mictum purulentum*, labeſcentibus ſenſim viribus, contabuit, & periit. RENES.

Renes magni ſaccos pure plenos referebant. Ureteres ità erant ampliſſimi, ut ſiniſter inteſtinum colon magnitudine ſuperaret. Veſica deprehenditur circà calculum contracta, ac plenè ulceroſa. Calculus verò uncias quatuor pendebat. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1092. Quidam *lithiaſi* laborans cyſtotomiæ ſubmittitur, quâ lapis facilè extrahitur: ſed præter ſolita ſymptomata, de *immani renum dolore*, cum cibi faſtidio querebatur, quo, poſt lapidis extractionem perſiſtente, tandem accedunt *lypothymiæ;* atque die vigeſimo nono à ſectione interiit.

Reſerato abdomine, animadvertebantur renes eroſi & purulenti; cæteris viſceribus planè inculpatis. HEISTERUS.

OBS. 1093. Quædam virgo corripitur *ingenti vomitu* & *febre:* ille ſedatur; hæc remanet. Vehemens *ſub nothis coſtis* accedit *dolor*, à quo intrà biduum interficitur.

Stagnabat colluvies ſeroſa in abdomine. Ventriculus & inteſtina flatu tumebant. Ren uterque naturali triplo major: ſiniſter verò, parte quâ lienem ſpectabat, paululum ſaniei continebat. Pericardium ſero turgebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1094. Quidam *gonorrhæâ virulentâ* octodecim annos laboraverat: ſymptomatum tandem ſævitie, nil conferentibus remediis, extinguitur.

Ren uterque ſolito major, concreti vel indurati puris colorem & ſimilitudinem referebat. Ureteres inferius erant exulcerati. Veſica planè rigida, nec extendi, nec contrahi potuit. Extùs variis tuberculis obſita, abſceſſum inter membranas recondebat. DODONEUS.

OBS. 1095. Quidam ingluviei indulgens *febre aſſiduâ* corripitur, & inordinatâ. Urinæ ſedimentum album deponunt. Adeſt tuſſis ſicca. De *æſtu in regione lumborum* queritur, nec ſine adminiculo incedere poteſt. Tandem ingraveſcente malo poſt integrum menſem interiit.

Introſpectis interaneis, inventa eſt corruptio, cum abſceſſu in ſiniſtri renis exteriore carne. LÆLIUS A FONTE.

RENES. OBS. 1096. Puer decennis jam ab aliquo tempore *urinæ ſuppreſſione*, dyſuriâ, & *mictu purulento* per intervalla recurrentibus laboraverat; cùm tandem macie confectus interiit.

Ren dexter ſaccum membranaceum pure repletum repræſentabat, in quo nullus annotabatur calculus. Appenſus ureter erat etiam ſummè ampliatus. Reperitur in ſiniſtro rene, ſanie conſpurcato, calculus niger triangularis, acuminata ſui parte in ureteris principium ſatis ſe demittens. BLASIUS.

OBS. 1097. Quædam vidua, poſt gravem cephalalgiam, de *lumborum dolore* queritur. Ingraveſcit malum, nullis induciis, poſt menſem. Lotium erat cruentum, & copioſo pure refertum. Tandem nil proficientibus remediis, obiit.

Ren dexter magnitudinem naturalem quater ſuperabat; diſciſſus totus, cancroſus erat, & fœtido pure ſcatens, ſabulo hinc inde conſperſus, pondere ſeptemdecim unciarum. Siniſter lapidem ingentem fovebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1098. Adoleſcens novemdecim annorum, jampridem immanibus *doloribus circà veſicæ & ſiniſtri renis regionem* laborabat. Accedentibus *vomitu* frequenti & *ſtranguriâ* tandem extinguitur.

Aperto cadavere, deprehenditur in veſicâ ſinus, pugni magnitudine, pure fœtidiſſimo turgens. Ren ſiniſter totus erat purulentus, ſolâ remanente tunicâ. Calculus in veſicâ latitabat cum exulceratione. SEGERUS.

OBS. 1099. Sexagenarius *calculoſus cyſtotomiæ* ſubmittitur, felici, uti videbatur, ſucceſſu. Poſt biduum tamen, accedente ſpirandi difficultate, vitam effudit.

Cadaver exenteratum exhibebat veſicam craſſiſſimam, & calloſam, materiâ ſabuloſâ ſcatentem. Ren ſiniſter & appenſus ureter purulentiâ conſpurcabantur. HEISTERUS.

OBS. 1100. Quædam mulier crebris *vomitibus obnoxia*, *abſceſſum in rene ſiniſtro* per plures annos geſtavit; tam immanem, ut totam abdominis capacitatem impleret, ſursùm repulſo ventriculo cum cæteris viſceribus; ità ut nil ferè cibi continere poſſet. Pendebat hic abſceſſus quindecim libras. CAR. PISO.

OBS. 1101. Juvenis mulier jamdiù de *doloribus nephriticis* querebatur, cum mictu purulento. Tandem ingraveſcente morbo; aliiſque accedentibus ſymptomatibus extinguitur. RENES.

Secto cadavere deprehenduntur renes mole majores, ſcirrhoſi & tuberoſi, purulentiâ & lapidibus aſperis ſcatentes. EX ACT. LONDINENSIB.

OBS. 1102. In cadavere cujuſdam *nephritici*, qui *dolore lumborum ſæviſſimo*, cum *mictu purulento* laboraverat, occurrunt renes ſolito ampliores & variis protuberantiis inæquales, recondentes varios lapides quaſi racemoſos, colluviei purulentæ innatantes. E NOSTRIS ADVERSAR.

OBS. 1103. Quadragenarius poſt *ingentes renum cruciatus*, cum urinis purulentis; tandem obiit.

Reſerato abdomine deprehendebatur in rene ſiniſtro abſceſſus ingens, cujùs pondus, cum cyſti & rene, erat quatuordecim librarum. Cyſtis verò pellem vervecinam craſſitie æquabat. CABROLLIUS.

OBS. 1104. Quidam à decennis *immanibus ventris doloribus*, torquebatur; quibus magis magiſque ingraveſcentibus, tandem macie confectus extinguitur.

Reperiuntur in meſenterio duæ glandulæ, ponderis quindecim unciarum, decuſſatim ſibi mutuò incumbentes, quæ renem ſiniſtrum ità compreſſerant, ut penè totus in pus erat converſus. KERCKRINGIUS.

OBS. 1105. Quidam cùm frequenter *dyſuriâ, renumque doloribus* torquebatur; tandem intercalidiorum remediorum uſum, urinæ ſupreſſione lethali corripitur.

Luſtratis interaneis, inventus fuit ren ſiniſter albus; ſemiputridus & materiam purulentam intùs continens. TRAFELMANNUS.

OBS. 1106. Sexagenarius diuturnis *doloribus nephriticis*, ardore urinæ & mingendi difficultate premebatur, cùm tandem, attritis viribus, fatis ceſſit.

Ren dexter in pus craſſum & fœtidum totus converſus, ſalvâ duntaxat membranâ reperitur. Veſica etiam pure ſcatebat. COITERUS.

RENES. OBS. 1107. In cadavere puellæ, cujus reſpiratio erat difficilis; inveniebatur ren dexter purulentus; pulmonibus planè inculpatis. BALLONIUS.

Hanc ſeriem ſubeunt obſervationes Libr. I. 249, 441, 582, 745, 913, 985, 1156, 1269, 1318, 1443, 1567, 1575, 1648, 1766; Libr. II. 80, 186, 235, 359, 519.

## *Renes gangrænoſi.*

OBS. 1108 Quidam ab inſultu apoplectico liberatus, paulò poſt de *dolore circà renes*, & *in pube* querebatur; ex quo tandem emergit *iſchuria* renalis, quæ brevi mortem accerſit.

Veſica continebat libram circiter unam puris craſſi & ſordidi: extùs nigra cernebatur, & quaſi gangrænoſa. Renes ſimiliter ſubnigri & gangrænoſi; viciniores partes eâdem labe inquinabantur: ureteres verò erant obſtructi. NASCIUS.

OBS. 1109. Quidam conſiſtentis ætatis, febre continuâ laborans, *in iſchuriam* incidit. Dein ingruit *paralyſis artuum inferiorum*, quæ paucis elapſis diebus mortem poſt ſe trahit.

Exenterato cadavere compertus fuit ren ſiniſter niger, cum ſpinali medullâ hujuſce lateris haud abſimili morbo labefactata. E MISCELL. CURIOSIS.

Huc pertinent obſervationes Libr. I. 826; Libr. II. 548.

## *Renes putridi.*

OBS. 1110. Quidam ſexagenario major, *lithiaſi* laborans; cum *enterocele ſiniſtri lateris;* dolore acerbiſſimo à veſicæ calculo, ſtranguriâ & teneſmo corripitur. Dein accedit *dolor nephriticus*, cum nauſeâ & vomitu: *lotium* excernitur pauciſſimum & *purulentum;* & urget quoddam pondus circà perineum: quibus demùm in dies ingraveſcentibus, è medio tollitur.

Secto cadavere, occurrit ren ſiniſter planè abſumptus, ſuperſtitibus duntaxat membranis. Dexter exulceratus & purulentus.

nonnullos calculos recondebat ; cum variis hydatidibus ſuperficiem obſidentibus. Veſica urinæ copiâ diſtenta, tres calculos continebat, quorum unus in cervicem veſicæ adactus liberum urinæ exitum præpediebat. Ex Act. Londinensib. RENES.

OBS. 1111. Juvenis octodecim annorum poſt menſem *ab extracto calculo* per lithotomiam, pejus ſe habebat. Repertum fuit in vulnere fruſtum materiæ lentæ, pugni magnitudine, poſt cujus extractionem effluxit copioſum pus. *Vulnus apertum* ſervatur per annum integrum, ob uberiorem & indeſinentem *puris profluxum.* Accedente tandem *urinæ ſuppreſſione*, *cum ingentibus doloribus*, & difficili reſpiratione, ſequitur hydrops abdominis, qui vitæ impoſuit finem.

Apertum cadaver exhibet hepar & pulmones diaphragmati abnnata ; renem ſiniſtrum putridum & conſumptum, cum uretere eâdem labe tacto. Ren dexter continebat lapidem, cujus acumen in ureterem impactum erat. Bartholinus.

OBS. 1112. Quædam virgo quadragenaria *nephritidi* obnoxia, plurimos ſubinde calculos excreverat. Cùm ſubito terrore, ante triennium, percelleretur, in ſymptomata parturientis inſtar incidit ; quibus tandem reſerato veſicæ orificio plures calculos dejecit, quorum majores ad nucem avellanam magnitudine accedebant. Similem inſultum pluries perpeſſa, poſtremò migravit ad ſuperos.

Ren dexter planè computruerat Siniſter fellis inſtar extenſus pure replebatur ; nec-non calculis diverſæ molis & figuræ. Beverocius.

OBS. 1113. Quidam à decennio ſæviſſimis *doloribus nephriticis* divexatus febre continuâ mali moris corripitur, quæ demùm faceſſit in lentam, diarrhæâ nunc feroſâ, nunc bilioſâ, jugibus vigiliis, hæmorrhoïdibus ; & univerſi corporis colliquatione, ſtipatam. Quâ pergente tandem placidè fatis ceſſit.

Luſtratis interaneis, inter varia notatu digna, occurrebat ren dexter totus, putris, & in tabem redactus ; in cujus pelvi comperitur calculus oblongus & anguloſus. Guid. Patinus.

OBS. 1114. Vir tres & triginta annos natus, poſt exercitium immodicum, *inſultu nephritico* corripitur, quem preſſo pede

RENES.

ſequitur violentus vomendi conatus. Intereà excandeſcit *febris* cum æſtu, ſiti & dolore capitis. Poſt plures dies urget *ſingultus*, cum dolore circà præcordia. Exolutis tandem viribus, obiit.

Ren ſiniſter fœdè computruerat. Cætera viſcera leviter inflammata conſpiciebantur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1115. Juvenis, poſt diuturnam *gonorrhœam*, *febre aſſiduâ* laborabat, cum exacerbationibus ſerotinis & lotio craſſiore. Decem elapſis diebus accedit diarrhæa; ac tandem circà trigeſimum diem ingruit rigor cui ſucceſſit febris vehementiſſima, cum intenſiori genarum rubore; quibus paulò poſt interiit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibet corruptionem gangrænoſam in parte internâ renis dextri. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 1116. Exenterato cadavere cujuſdam juvenis duorum & viginti annorum, qui urinas cruentas & purulentas, cum maximo *renum & hypogaſtrii dolore*, excernebat, deprehendebatur veſica exulcerata & pure diffluens; tota corrupta & ſupernè rupta. Ren dexter erat planè conſumptus: ſiniſter verò duplo major ſanie erat conſpurcatus. SEVERINUS.

OBS. 1117. Inter ſectionem cujuſdam viri ab octo annis *hydropici*, ren dexter quatuor exiguos continebat calculos quorum major in ingreſſum ureteris adactum, hunc canalem obturabat. Siniſter verò erat putridus & purulentus. Erat inſuper maxima aquæ citrinæ copia in abdomine ſtagnantis. BEVEROCIUS.

OBS. 1118. Reſerato abdomine cujuſdam conſiſtentis ætatis, qui jampridem hydrope *aſcite* laborabat in conſpectum veniebat ren ſiniſter putrilagine diffluens. Ureter dextri lateris calculo obſtruebatur; unde lotium, viâ denegatâ ad veſicam, in abdominis cavum ſe effundebat. BORRICHIUS.

OBS. 1119. Introſpecto cadavere alterius *aſcitici*, cujus *urinæ* per duos ante mortem dies fuerant *ſufflaminatæ*, deprehendebatur ren ſiniſter totus ferè abſumptus, integro involucro, collu-

viem ſanioſam & ſordidam continente. Dexter verò ren calculo ureterem obſtruente erat obſceſſus. HOLLERIUS. RENES.

OBS. 1120. In corpore cujuſdam viri, qui poſt diuturnum & acerbiſſimum *renum dolorem* interiit, in propatulum veniebat ren dexter magnus, tumidus & putris; calculis ac materiâ viſcidâ, & ſanioſâ refertus. Alter verò conſpiciebatur adeò imminutus ut parvam caſtaneam vix æquaret. EUSTACHIUS.

OBS. 1121. In cadavere cujuſdam *tabidi* inveniebatur ren dexter totus corruptus: ſiniſter verò glandulis, ovi columbini magnitudinem æquantibus, undique obſitus, & quaſi obvolutus, conſpiciebatur. Hepar inſuper erat ſcirrhoſum; & omentum ſimili labe tactum. E MISCELLAN. CURIOSIS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes. Libr. I. 741, 825, 1021, 1028, 1064, 1310, 1435. Libr. II. 143, 331, 781.

## *Renes abſumpti.*

OBS. 1122. Vir ſex & tringinta annorum, jamdudum laborabat *dolore obtuſo lumborum*, in latere ſiniſtro vehementiori; qui dein ad inguina ſe extendens *lotium retinuit*: hinc emerſit ſuſpicio de calculo renum. Poſt ſeptennium, inter uſum variorum lithontripticorum è quibus meliùs ſe habere videbatur; accedit *dolor* acutiſſimus in ſiniſtro latere *hypogaſtrii*, qui *ad lumbos propagatur*, cum *ſuppreſſione urinæ*. Supervenit febris acuta, ſiti immani ſtipata & vomitu. Dein ortus eſt *dolor* in latere dextro, qui à lumbis *ad inguen dextrum* ſe extendit. Accedunt tormina per totum ventrem, & anxii vomitus. Pulſus intereà debilis & inæqualis exploratur, corpore planè emaciato cum pedibus tumidis; urinâ parcè fluente; & tumore molli circà lumbos. Poſteà *tumet venter*; Urgent *tormina*, *vomitus* & *ſingultus*. Tandem ſoporoſus & delirans æger moritur.

Abdomen multam aquam ſubflavam continebat. Ureteres in varias flexuras incurvati ultrà modum erant dilatati: ſiniſtri quidem diameter quatuor pollices ſuperabat. Renes abſumpti ſaccum membranaceum referebant: ſininiſter ad magnitudinem capitis pueri

RENES.

accedebat. Ureter ſiniſtri lateris exhibebat propè veſicam quamdam duritiem calloſam, mole nucis avellanæ, quâ planè obturabatur: dexter verò ad pollicem veſicæ erat conſtrictus, inflammatus, & ſemi-gangrænoſus. CLAR. STORCK.

OBS. 1123. Juvenis quatuor & viginti annos natus, poſt ingentem virium conatum, ſubitò corripitur *dolore* acutiſſimo *in latere ſiniſtro*, cum *mictu ſanguinis* copioſiſſimo; qui tandem ſufflaminatus, paulò poſt recurrit. Dein minguntur *urinæ purulentæ*, accedente macie cum febre lentâ, quæ poſt menſem exacerbatur cum immanibus doloribus in lumbis & hypogaſtrio. *Tumet venter*, & præcipuè in regione hypochondriacâ dextrâ. Intereà urget *febris*, cum dolore capitis & vomitu: erumpunt vermes per utramque viam: ſitis vix compeſcitur: tandem ſuppreſſo lotio purulento, & ſedatis doloribus, accedunt *cardialgiæ* quæ brevi miſellum ægrum ad libitinæ rationem ducunt.

Abdominis cavum ſanie purulentâ erat repletum. Occurrebant inteſtina tumida & gangrænoſa; non ſecùs ac hepar partim purulentum, partim ſcirrhoſum. Ren ſiniſter; marſupii inſtar, pure repletus conſpiciebatur. Veſica recondebat duo ulcera cancroſa, circà cervicem ſita. Prætereà latus pectoris dextrum colluvie ſordidâ ſcatebat cum pulmone purulento, & diaphragmate inibi putrido & pervio. È DIARIO MEDICO.

OBS. 1124. Vir quinquagenarius à pueritiâ *lithiaſi* obnoxius erat. Poſt varias intermiſſiones *urinæ fluxus intercipitur*; vel guttatim cum maximo dolore excernitur. *Dolor renum* fit perpetuus, & circà veſperam exacerbatur. Intereà macilentus æger *tremore* manuum corripitur; noctes inquietas ducit, doloribus in univerſum corpus excurrentibus, cum *alvo adſtrictâ* & teneſmo. Tandem lecto affixus inter rigorem obiit.

Ren ſiniſter ſacci inſtar ad minimum continebat puris libras duas; adeò ut parenchyma erat ferè conſumptum, & in pus converſum. Ureter ejuſdem lateris ſummè dilatatus pollicem excipiebat. Veſica urinæ copiâ diſtenta, gangrænoſa, in parte poſticâ, conſpiciebatur. Nec hujuſce putredinis expers erat inteſtinum rectum. Calculus aſper veſicæ cervici hærebat, cui exteriùs adnatum erat ſteatoma, ad ſiniſtram vergens, & ſurſùm verſùs ureterem tendens, quem comprimebat; adeò ut puris introitum in veſicam denegaverit. ZWINGERUS.

OBS. 1125.

RENES.

OBS. 1125. Quædam matrona *materiam cruentam* & *purulentam*, cum ramentis membranaceis à longo tempore *mingebat*, cum ſedimento albo & copioſo, inſtar puris in fundo matulæ ſubſidente. Quibus remittentibus ingruit *febris lenta*, cum doloribus hinc indè vagis, aliiſque mali moris ſymptomatibus. Erumpit *tumor* in latere, *circà regionem renis ſiniſtri* qui maturatus copioſum pus fundit; è quo emergit ulcus profundum & ſinuoſum, ichorem tenuem exſudans. Hanc per biennium, vitam trahebat moleſtiſſimam, cùm poſt *urinæ ſuppreſſionem* quatuordecim dierum, apoplectica interiit.

Deprehendebatur ren ſiniſter planè conſumptus, ſuperſtite membranâ, materiâ ſaniosâ ſcatente quæ in ulcus ſanioſum exteriùs ferebatur. Ren alter materiâ ſabulosâ & calculis replebatur, quorum unus adactus occurrebat in uteterem. WILLISIUS.

OBS. 1126. Quidam juvenis ad *dolores nephriticos* proclivis, nonnullos lapillos identidem excreverat. Tandem ferociori inſultu, febre & delirio ſtipato, corripitur: pari paſſu accedit *iſchuria renalis*, quæ ſeptimo die lethum accerſit.

Inter exenterationem cadaveris, deprehendebatur ren ſiniſter ſtupendæ magnitudinis, & à nativâ formâ planè degener; ſacci ſcilicet inſtar colluvie fœtidâ, arenulis & lapillis repleti. Appenſus ureter lapide anguloſo propè veſicam obturatus, eadem fæculentiâ ſuprà obicem mirè diſtentus annotatur. Ren ſiniſter, aliàs ſanus, lapidem minorem in pelvi recondebat, libero uretere. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1127. Vir triginta annorum jamdudum *nephriticus* tandem in paroxyſmum acerbiorem incidit, lotio planè ſuppreſſo. Tertio die *prominebat venter* cum renitentiâ. Quarto omnibus perſiſtentibus ſymptomatibus, ingruit *ſingultus;* dolores exaſperantur; & abdomen magis protuberat. Intereà vires deficiunt, pulſus oblitteratur, & ſexto die fatis ceſſit.

Stagnabat ſerum ſubcruentum ad libras quatuor in abdomine. Renes nativam magnitudinem longè ſuperantes, & ſacciformes, maximam urinæ lutulentæ copiam, cum variis lapillis, continebant Poſtremò ureteres calculis fæti planè obturati reperiebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1128. Matrona multis abhinc annis, graviſſimis *renum doloribus*, in ſiniſtro præſertim latere, divexabatur; quatuor dies circà octavum graviditatis menſem abortum paſſa. Tandem, unà

RENES. cum ætate, doloribus invaleſcentibus, præcipuè in dextro latere ità ut nec contactum, nec decubitum in illam partem ferre poſſet. rejectis per morbi tractum multis calculis, cum *lotio cruento* & *purulento*, tandem occubuit.

Secto cadavere, deprehendebatur ren ſiniſter penitùs conſumptus, & marſupii inſtar membranoſus, tuberculis ſcirrhoſis refertus; cum uretere inteſtini inſtar dilatato. Ren dexter ampliſſimus calculum ingentem recondebat, quo obſtruebatur ureter. PLATERUS.

OBS. 1129. Vir quinquagenarius poſt crebros *dolores in ilio ſiniſtro*, cum excretione arenularum, per biennium, ex quolibet corporis motu, *urinam cruentam* reddit. Dolore invaleſcente, cum vomitu, urina mingitur craſſa, & ſedimentum deponit quaſi lacteum. Accedentibus demùm gravitatis ſenſu in parte affectâ, *cruris ſtupore*, febre lentâ, & inſigni corporis macie, mors ægrum præripuit.

Inter exenterationem cadaveris, in propatulum veniebat calculus longitudinis digiti pollicis, in quatuor ramos diremptus, in rene ſacciformi, cujus ſubſtantia erat planè abſumpta. SILVATICUS.

OBS. 1130. Vir ad ſeptuageſimum ætatis annum accedens, *dyſuriâ*, & *purulentis mictionibus* per plures annos conflictabatur, cum vulgatiſſimis aliis ſymptomatibus. Tandem fato functus è vivis deceſſit.

Intitutâ cadaveris ſectione, in apricum veniebant ambo renes ſuppurati, pauco parenchymate ſuperſtite. Veſica purulentâ colluvie replebatur. Occurebant inteſtina exulcerationibus hinc inde exeſa. Cyſtis fellea quinquaginta & centum lapides recondebat, nullâ bile. Prædictorum calculorum major caſtaneæ molem aſſequebatur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1131. Mulier juvencula immanibus *doloribus circà renes* & *veſicam* divexata, cum urinis mucoſis & purulentis; ac febre lentâ à biennio decumbens, tandem fatis conceſſit.

Inter exenterationem cadaveris, deprehendebatur in veſicâ lapis nucis juglandis magnitudine, cum ſuo putamine. Ren ſiniſter materiâ mucoſâ & purulentâ erat refertus. Appenſus ureter eâdem materiâ infarctus erat. Ren dexter magnus & conſumptus, tunicâ ſuperſtite, ſimili colluvie turgebat. LAIGNEAU.

OBS. 1132. Quædam nephritica, poſt abortum *ventris tormina* patiebatur ; adeò ut dubitaret nùm ſecundinæ ſucceſſerint, necne. Paulò poſt ſupervenit diarrhœa cum lypothymiis, ſuffocationibus uterinis, *doloribus* atrociſſimis *renis dextri*, *cardialgiâ*, *vomitu*, capitis gravedine, horroribus & inſultibus febrilibus, cum delirio per tres menſes alternatim recurrentibus. Tandem macie confecta è vivis migravit. RENES.

Omentum erat putridum. Uterque ren, præſertim dexter, carne abſumptâ, pure & calculis plenus conſpicitur. Pulmò ſiniſter purulentus occurrit. PLATERUS.

OBS. 1133. Vir quidam in ætatis flore atrociſſimis *doloribus nephriticis* diù vexatus, renis abſceſſum paſſus ; tandem in *diabetem* lethalem incidit.

Cadaver examini anatomico ſubjectum exhibuit renem dextrum planè conſumptum ; relictis membranis, marſupii inſtar, pure repletis. Siniſter etiam ſimili modo labefactatus cernebatur ; nondum tamen abſumptus. Ureteres utrimque admodum tortuoſi, & variis in locis expanſi deprehenduntur. RUYSCHIUS.

OBS. 1134. Juvenis quinque & viginti annorum poſt diuturnam corporis conflictationem, à *dyſpnœâ* tandem, *maraſmo* & *veſicæ calculo* extinguitur.

Pulmo ſiniſter putris occurrit. Cordi duplo majori accretum erat corpus quoddam quaſi glanduloſum, pollicis magnitudinem excedens. Hepar exangue, retorridum & ſolito majus conſpicitur. Ren dexter putridus & arenulis refertus annotatur : ſiniſter, ſacci inſtar, aquæ ichoroſæ libras quadraginta continebat. Veſica demùm lapidem novem unciarum recondebat. BLONDINUS.

OBS. 1135. Vir quidam ſeptuagenarius de intolerabili *laterum dolore*, per viginti circiter annos conqueſtus erat ; nimirùm circà nothas coſtas. *Mucoſam ſubſtantiam unà cum urinâ* diù excreverat, nunquam tamen arenulas & calculos. Tandem accedente febre ardente, migravit ad Superos.

Aperto cadavere occurrit ren ſiniſter intùs planè abſumptus, continens calculum duas radices habentem ſatis inſignes. Ren dexter calculi expers annotatur ; veſica verò magnum fovebat lapidem, lævem & æqualem. PAWIUS.

RENES.

OBS. 1136. Inter exenterationem cujuſdam viri *phthiſim & diabetem* paſſi, in oculos incurrit ureter dexter mirum in modum diſtortus, atque hic illic multùm expanſus; ut inteſtinum ratione craſſitiei repræſentaret. Pelvis quoque adeò erat diſtenta, ut aurantium malum admittere potuiſſet; parenchymate omnimodè conſumpto; ſuperſtitibus duntaxat membranis. RUYSCHIUS.

OBS. 1137. Quidam ganeo poſt *gonorrhæam diuturnam*, crapulæ deditus, *dolorem* gravem *in regione renis* ſiniſtri, cum crebro vomitu, febre inordinatâ, rigore ſtipatâ, & lotio ſabuloſo, patiebatur. Tandem inter ferociorem inſultum, magnum excrevit lapidem. Novo recurrente rapitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, inveniuntur renes conſumpti, ut portio, quæ reliqua fuit facilè frangeretur. SCHNEIDERUS.

OBS. 1138. Quidam *dolore* gravativo *in regione renum* divexabatur, cum urinis ſabuloſis, mictu frequenti & *crurum imbecillitate.* Quibus pergentibus, & ſenſim ingraveſcentibus tandem ad ultimum vitæ exitum perductus fuit.

Inſecto cadavere, in propatulum veniebat ren ſiniſter, crumenæ inſtar, ſine ſubſtantiâ; cum ſolâ pelle ſanie ichoroſâ & lapillis turgidâ. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 1139. Quidam *nephriticis accidentibus* obnoxius, non paucos *calculos* cum urinâ projiciebat. Dein omnimodam *urinæ ſuppreſſionem* per triduum patitur, cum inſigni lumborum & perinei dolore, fruſtrà adhibito cathetere. Accedit febricula; ingruunt convulſiones, & decimo quarto die obiit.

Ren ſiniſter plures fovebat lapillos, ciceris magnitudinem æquantes. Dexter duplo major, totus erat abſumptus, pure ſeroſo fœtidiſſimo ſcatens. LOTICHIUS.

OBS. 1140. Vir quinquagenarius, multis abhinc annis, moleſtiſſimo *urinæ ſtillicidio* laboraverat; accedentibus plurimis calculi in veſicâ latentis indiciis. *Urinæ* intereà albæ & *purulentæ, cum maximo fœtore* minguntur. Ac tandem moritur.

Ren ſiniſter purulentus & ferè conſumptus occurrit, veſica verò continebat duodecim calculos quorum major myriſticæ nucleum æquabat. DODONEUS.

RENES.

OBS. 1141. Mulier ſeptem & quadraginta annorum habitu corporis gracili, à pluribus annis, *calculo* per periodos ſæviente, laborabat. Nonnullos rejiciebat cum maximâ arenularum copiâ. Tandem ingraveſcente malo, ad plures migravit.

Ren ſiniſter totus abſumptus erat, ut nil præter membranam reſtaret: calculum bifidum ponderis unius unciæ recondebat. Alter verò calculum minorem fovebat. LOSSIUS.

OBS. 1142. Quidam jamdiù *dolorem in latere dextro* patiebatur, cum *tumore in hypochodrio dextro*, ad inguen protenſo. Accedente *tabe*, tandem febre acutâ extinguitur.

Reſerato abdomine patet in latere affecto uter magnus, ventriculum flatu tumentem ſuâ mole ſuperans. Nil aliud erat quàm ren dexter pure & flatu diſtentus. GUARINONIUS.

OBS. 1143. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam juvenis quatuor & viginti annorum, qui per plures annos *urinam cruentam & purulentam* mingebat, in conſpectum veniebat ren ſiniſter planè abſumptus, & nihil niſi membranoſam capſulam exhibens; altero inculpato. BLASIUS.

OBS. 1144. Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam *tabidi*, oſtendebat renem dextrum planè conſumptum & purulentum, in cujus folliculo continebantur ſexdecim lapides, quatuor uncias pendentes. Luſtrato pectore, pulmones quoque conſpiciebantur gangrænoſi. GUID PATINUS.

OBS. 1145. In cadavere cujuſdam *atrocibus ventris doloribus* per multos menſes afflicti, inveniebatur tunica ventriculi viloſa, inflammata & ſyderata. Omnia etiam inteſtina livida & nigra, ac paſſim corrupta conſpiciebantur. Ren verò dexter conſumptus occurrit, cum aquâ ſordidâ & fœtente in abdomine. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1146. Puella octodecim annorum *purulentas urinas* per longum tempus excernebat; ac *febre* diurnâ, & *hecticâ* detinebatur. Macie tandem confecta interiit.

RENES. Renes inventi ſunt omninò in pus converſi, ſolâ ſuperſtite tunicâ, nullo apparente parenchymatis veſtigio. FORMIUS.

OBS. 1147. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam *calculoſi* reperiebatur ren dexter, duplo major ſiniſtro, nigricans; cujus tota ſubſtantia converſa erat in pus mucoſum & cruentum. Veſica lotio mucoſo purulento oppleta recondebat unicum lapidem, ſabæ magnitudine, in cervicem adactum. SMETIUS.

OBS. 1148. Introſpecto cadavere cujuſdam virginis nobilis, quæ jàmpridem *renum dolore*, & ſimul *mingendi ardore* afflicta fuerat, deprehendebantur renes ferè abſumpti, ſuperſtite involucro: veſica etiam putredine tacta conſpiciebatur. PLATERUS.

OBS. 1149. In cadavere mulierculæ annoſæ, & *nephriticæ*, ren dexter totus erat flaccidus & conſumptus, marſupii modo, minores calculos, liquori ſordido innatantes, continens. Magnus inſuper occurrit lapis, ureteris principio impactus, quo planè obturabatur hic ductus. RHODIUS.

OBS. 1150. In luſtratis corporibus variorum *nephriticorum*, renum ſubſtantiam planè abſumptam, ſalvâ tantùm membranâ materiam calculoſam & purulentam recondente vidit FERNELIUS.

OBS. 1151. Quidam per novem menſes *dolore in rene ſiniſtro* laborabat. Pergente morbo extenuatus obiit.

Exenterato cadavere, ren ſiniſtri lateris totus conſumptus deprehendebatur, & pure ſordido ſcatens. J. BAUHINUS.

OBS. 1152. In cadavere cujuſdam triginta annorum, qui *dolore nephritico* & *dyſuriâ* laboraverat tota renis ſiniſtri ſubſtantia conſumpta erat; ſupeſtite duntaxat involucro longè craſſiori. BARBETTE.

OBS. 1153. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam mulieris, jamdiù *nephriticæ*, inveniebatur ren alter membranoſus, & quatuordecim puris libras recondens. CAR. PISO. RENES.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 727, 808, 1164, 1280; Libr. II. 884.

---

## *Renum lithiaſis.*

OBS. 1154. Infans trimulus, è parentibus *nephriticis* natus; *torminibus* torquebatur, cum *diarrhœâ* & virium proſtratione. Annum dimidium agens, & gradiri incipiens, in ſpinam dorſi cecidit. Poſt octo menſes accedit *febris lenta* cum atrophiâ: *urinæ parcè fluunt*, & *nonniſi ſummo dolore*. Dein ingruunt motus convulſivi, quibus tandem ingraveſcentibus è vivis tollitur.

Inteſtina & ventriculus erant flatulenta. Cyſtis fellea bile turgebat. Epiploon occurrebat ferè abſumptum. Albicabant glandulæ meſenterii. Ren verò ſiniſter materiâ ſabulosâ infarctus ſe præbebat; & exhibebat in ipſo ureteris oſtio calculum oblongum, membraniſque tenaciter involutum; cujus ſilicea erat durities. HARDERUS.

OBS. 1155. Vir trium & quinquaginta annorum, toroſus, temperamento ſanguineo, à quatuor annis *dolore in latere lumborum dextro* laborabat. Nonnullis gaudebat remiſſionibus; ſed crebriores patiebatur exacerbationes. Urinæ quieti traditæ albuminis ovi ſpeciem referebant. Sæpiùs urgebat *diarrhœa*; ſed veſica ſua munia ritè obibat. Fluxu demùm catarrhali graviſſimo corripitur; qui tabem & mortem poſt ſe trahit.

Secto cadavere reperiuntur in rene dextro bini lapides, quorum major triangularis, & ſuperficie granulosâ, ſemi-unciam pendens, in pelvi latitabat. Alter verò minor in ſubſtantiam renum quaſi adactus videbatur. EX ACT. EDIMBURGENSIB.

OBS. 1156. Quidam poſt *dolores arthriticos*, & contumaciſſimos, *ſtranguriâ* corripitur, cum ſubſidentiâ materiæ craſſæ, viſcidæ & tartareæ in urinis. Immiſſo cathetere, nullus deprehenditur lapis in veſicâ. Iter habuit in curro; & equo cum levi mo-

RENES. leſtiâ. Tandem febre ardentiſſimâ corripitur cum ſiti & vigiliis. Lingua erat ſordida, & corpus extenuabatur. Ac tandem obiit.

Inter exenterationem cadaveris, deprehendebatur veſica recondens calculum, magnitudine æquans ovum gallinaceum. Ren dexter continebat calculum minorem, & triangularem. Latebat in rene ſiniſtro abſceſſus jam ſuppuratus. Hepar inſuper, veſica & inteſtina paſſim inflammationis notas præ ſe ferebant. SILVATICUS.

OBS. 1157. Mulieri poſt felicem partum, lochiis ſolito modo prodeuntibus, omninò *ſupprimebatur urinæ excretio.* Nullus erat teneſmus, nec tumor in veſicâ. Levem tantùm dolorem percipiebat in ſiniſtro abdominis latere. Quinto à partu die fruſtrà immittitur catheter in veſicam. Sexto ingruit *vomitus continuus;* nullâ febre, & lochiis ritè fluentibus. Tandem, perſiſtente iſchuriâ, periit undecimo poſt partum die.

Aperto cadavere, deprehendebatur uterque ren tumidus, cum evidentibus inflammationis notis. Siniſter verò recondebat calculum aſperum, vix piſum magnitudine ſuperans. PAUL. DE WIND.

OBS. 1158. Quædam mulier de *dolore lumborum* aliquandiù querebatur. Procidit tandem in calculi renalis tormentum, cum *urinæ difficultate;* & interdùm tantâ ejus *ſuppreſſione*, ut per totos octodecim dies nil lotii reddiderit. Hinc emergit affectus quidam ſoporoſus; cui ſociantur motus convulſivi, qui brevi decumbentem ad libitinæ rationem ducunt.

Referato abdomine, apparuit ren ſiniſter intùs maxima aquæ copia & pluribus calculis repletus, quorum maximus ſe inſinuaverat, acuto ſuo apice, tàm altè in ureteris principium, ut id integrè occluderetur. TULPIUS.

OBS. 1159. In cadavere quinquagenarii, mero dum viveret indulgentis, & *doloribus nephriticis* interemptus, reperiebatur cyſtis fellea bile craſſiori, cum variis lapillis anguloſis, turgida. Ren dexter calculum luteum fovebat cujus cuſpis ureterem ſubierat; præter duos alios qui parenchymati quaſi infixi erant. Calculus etiam latitabat in rene ſiniſtro, cum plurimo ſabulo, cujus pars initium ureteris penè obſtruxerat. Lapillus denique in veſicam jam deturbatus inveniebatur. In conſpectum inſuper veniebant

venicbant ureteres ampliſſimi, & ſolito carnoſiores. WOLLGNAD.

RENES.

OBS. 1160. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam, qui *nuſquam de quolibet nephritico ſymptomate* conqueſtus fuerat; & ſenio confectus interierat; haud ſine adſtantium admiratione deprehendebatur in altero rene lapis tuberoſus, nucem juglandem magnitudine adæquans. In altero verò rene deprehendebantur duo calculi paulò minores: liberis ſanè quidem ureteribus, & inculpatâ veſicâ; quæ ſua munia ritè obierant. PRASSIUS.

OBS. 1161. Quidam *arthriticus reſpiratione difficili* laborabat; cum ſputo partim pituitoſo, partim purulento; cùm ingruente febre ſuffocatus interiit.

Aperto cadavere, reperitur pulmo inflammatus, maximè dexter; & in eo plurima materia pituitoſa deprehenditur. Ren dexter lapidem magnum habebat, quo pelvis replebatur; cujus tamen nullum ſignum fuerat niſi quòd urinæ minùs turbidæ ab uſu balneorum fuiſſent. GUARINONIUS.

OBS. 1162. Vir quinquagenarius *nephriticis ſymptomatibus* conflictatus erat. De dolore ſcilicet fixo querebatur, & nonnullos lapides ex intervallis excernebat. Acceſſit febris cum ſiti & linguâ ſquallidâ. Urinæ aqueæ major & inſolitus erat proventus. Tandem macie confectus, *diabete* obiit.

Reperitur ren ſiniſter lapide anguloſo, in ureteris principium implantato obſeſſus. Altero rene minore, & collapſo. BALLONIUS.

OBS. 1163. Quidam hypochondriacus *nephriticis doloribus* crebrò laborabat, cum ardore, dyſuriâ, lapillorumque, vel arenularum excretione. De pondere ſiniſtri renis, quoties rhedâ vehebatur, querulus; tandem incidit in *aſcitem*, cum tumido ſcroto. Poſt tres menſes *catarrho ſuffocativo* rapitur.

Secto cadavere lien ſcirrhoſus obſervatur. Ren ſiniſter fovebat calculum ad ovi gallinacei magnitudinem accedentem. In utroque rene deliteſcebant minores calculi. ROLFINCIUS.

RENES.

OBS. 1164. Vidua nephritica, cui aliquando detractus fuit lapis è veſicâ, de *dolore inguinis ſiniſtri* querebatur. Accedente febre cum doloribus acerbiſſimis in abdomine, jactationibus & vomitionibus aſſiduis, apparet *tumor* magnus & durus *in hypochondrio ſiniſtro.* Dein febris lenta evadit; ingruunt convulſiones & frequentes lypothymiæ, cum *urinæ ſubcruentæ fluxu involuntario*, uſque ad lethum.

Invenitur ren ſiniſter ingens, lapidem exiguum cum ſanie recondens. Dexter marcidus vix reperiri potuit. BALLONIUS.

OBS. 1165. Quidam *nephriticus*, multis calculis identidem excretis, in *iſchuriam ſpuriam* demùm incidit, vehementiſſimis ventris & crurum doloribus ſtipatam, cum vomitu materiæ cujuſdam nigricantis. Quibus ſenſim ingraveſcentibus vitam demùm cum morte commutavit.

Aperto cadavere, deprehendebantur duo calculi in rene dextro; ſiniſter erat ingens, cujus appenſus ureter recondebat lapidem olivæ ſimilem, præter arenulas innumeras, quibus omnis urinæ tranſitus præpediebatur. RUYSCHIUS.

OBS. 1166. Quidam *doloribus dorſi & lumborum*, cum *mingendi difficultate*, per aliquot retrò annos divexatus; tandem accedente graviſſimo paroxyſmo, lecto affigitur. Intereà urget *vomitus* & *urina planè ſupprimitur*. Dein exacerbatis doloribus, accedunt febris & convulſiones, quibus brevi enecatur.

Luſtratis interaneis, deprehendebantur renes ſolito majores & penitùs inflammati. Pelvis & ureter utriuſque lateris immani calculorum & arenularum copiâ infarciebantur. DANIEL MAJOR.

OBS. 1167. Vir quatuor & ſexaginta annorum, *nephritidi & arthritidi* obnoxius, cum alvo adſtrictâ de capitis gravitate, & ad ſomnum proclivitate querebatur. Accedunt animi deliquia non rara. Poſt gravem mentis affectum materia arthritica ad artus expelli deſiit; hinc præcordiorum anguſtia & ſpirandi difficultas. Superveniunt gravis ſopor, convulſiones, & mors.

Ren dexter ingens, durus & calloſus deprehendebatur; cujus pelvis undecim lapides magnos & ramoſos continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1168. Sexagenarius quidam, & potator ſtrenuus, in *urinæ ſuppreſſionem* incidit, cum *vomitu* enormi, *dolore renum* & veſicæ. Venter flatulentiâ tumebat; pulſus erat durus & parvus. Incaſſùm variis tentatis præſidiis, intrà paucos dies migravit ad Superos. RENES.

Renes ſex & triginta lapides recondebant. Veſica ſex fovebat quorum major ad uncias quatuor accedebat. Præterea reperiuntur in veſiculâ fellis decem pſeudo-calculi, nucleum ceraſi æquantes. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1169. Vir duodetriginta annorum jamdiù querebatur de *dolore pectoris*, & *ſpirandi difficultate;* non ſecùs ac de quodam *ponderis ſenſu in abdomine*, cum *vomitu* quaſi periodicè recurrente. Quibus ſenſim ingraveſcentibus tandem è vivis deceſſit, *quovis renum dolore expers.*

Pulmones occurrunt aridi & corrugati, & plevra inflammata. Ren dexter mole maximus, & quaſi cartilagineus fovebat lapidem uncias ſex pendentem. Veſica erat inanis, & calloſa. Nulla erat bilis in cyſti felleâ. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 1170. In cadavere cujuſdam *nephritici*, calculus reperitur in rene dextro tuberoſus, prominentiâ quâdam longiori donatus, & in ureterem procumbens. In altero rene duo erant calculi fabæ magnitudine. Præter quos in utroque rene maxima adhuc erat calculorum minutorum, arenularum copia, cum colluvie lutosâ & ſublacteâ. Præterea ureteres, & veſica, calculos quoque plures & parvos recondebant. SALTZMANNUS.

OBS. 1171. Fœmina quinque & triginta annorum *doloribus nephriticis* per triennnium obnoxia, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum, *iſchuriâ* & *ſpirandi difficultate*, cum pulſu debili corripitur. Accedunt convulſiones lethales.

Luſtratis interaneis iu conſpectum veniebat ren dexter ingentis molis, & varios lapides recondens, cum nonnullâ purulentiâ. Ren ſiniſter exiliſſimus deprehenditur. EX ACT. EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 1172. In cadavere cujuſdam qui poſt varios *iſchuriæ* inſultus, tandem occubuit, inveniebatur in rene ſiniſtro lapis ad magnitudinem ovi gallinacei accedens, cujus altera extremitas,

Renes. magnitudine digiti auricularis ureterem ingreſſa urinæ deſcenſum prohibebat. Prætereà uterque ren innumeris lapillis & arenulis ſcatebat. Schenckius.

OBS. 1173. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam puellæ duodecim annorum *epilepticis inſultibus* identidem divexatæ, nil poſt accuratum examen inventum fuit in capite, quod pro causâ hujuſce morbi haberi poſſet. Sed in pelvi renis dextri reperiebatur triangularis calculus, quinque drachmas pendens. La Mothe.

OBS. 1174. Quidam *doloribus nephriticis* & *iſchuriæ* obnoxius; inter inſultum moleſtiſſimo vomitu ſtipatum, de gravitate in lumbis, & de tenſivo dolore utriuſque inguinis conqueritur; ne minimâ quidem meiendi cupiditate. Tandem quindecimo die lethargicus obiit.

Renes occurrebant calculis infarcti, cum obturatis ureteribus, ſuprà obicem ſummè dilatatis. Segerus.

OBS. 1175. Cuidam *calculoſo*, inter graviorem paroxyſmum, urinæ mox ſubſtiterunt, mox profluxerunt, *dolore* intenſiſſimo in *rene ſiniſtro*. Tandem urinâ nullatenùs profluente, cum crure ſiniſtro tumido, obiit.

Ren ſiniſter prægrandis fuit magnitudinis, cum ingenti hydatide in ſuperiori parte: varios lapides cum ſabulo copioſo recondebat. Dexter erat flaccidus, cum uretere lapillis infarcto. Horstius.

OBS. 1176. Quidam puer obſtructionibus, uti videbatur, laborans, inter præpoſtera remedia, convulſionibus octiduatim ferè recurrentibus corripitur, cum maximâ *mingendi difficultate* & *ſummis doloribus*, quibus poſt aliquot menſes è medio tollitur.

Siniſter ren continebat calculum tricuſpidem, ſilicis duritiei, membranis peculiaribus involutum, ac oſtio ureteris jacentem. Harderus.

OBS. 1177. Puella octennis jamdiù ſtranguriâ conflictata, tandem totalem patitur *urinæ ſuppreſſionem*, quâ ſexto die rapitur.

Inveniebatur ren dexter incruſtatus, & quaſi lapideus, tactu durus; ac ſi gypſeâ materiâ fuiſſet illitus. Ren ſiniſter ſanus erat; ſed annexus ureter materiâ arenoſâ infarctus & obſtructus conſpiciebatur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

RENES.

OBS. 1178. Nobilis fœmina *nephritidi* obnoxia, tam *ſpiſſam* ſæpiùs *minxerat* urinam, ut quaſi in fila deduci potuerit. Tandem dolorum atrocitate ſuccubuit.

Ambo renes alabaſtri duritiem, & colorem mentiebantur. Dolendum defuiſſe medicos anatomiâ gnaros qui originem & finem illius petrificationis renalis annotaſſent JAC. SACHS.

OBS. 1179. In cadavere *nephritici* occurrit ren ſiniſter ſolido major, recondens grandem calculum variis eminentiis aſperum, quarum una principio ureteris affigebatur. Socium alium habebat minorem hic lapis uncias duas pendens. Ren ſiniſter extrinſecùs nonnullis hydatidibus conſperſus, ſabulo prægnans deprehenditur. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1180. Quidam ad octogeſimum ætatis annum accedens, ingruente febre acutâ è medio tollitur. *Nullos renum dolores*, *nec urinæ ſuppreſſionem* paſſus fuerat.

Secto cadavere deprehendebatur ren ſiniſter materiâ lutulentâ infarctus. In dextro rene reperiebatur lapis cineritius, uncias circiter ſeptem pendens. BORELLUS.

OBS. 1181. Vir conſiſtentis ætatis, *doloribus nephriticis* obnoxius, *ſanguinolentam* meiebat *urinam*, quoties equitabat; quæ verò inter quietem limpida excernebatur.

Mortui luſtrato cadavere, deprehendebantur in utroque rene quamplurimi calculi, anguloſi, & aſperi; ſalvis veſicâ & ureteribus. FERRANDUS.

OBS. 1182. Inter exenterationem nonnullorum *nephriticorum*, à *ſuppreſſione urinæ* extinctorum, unum tantummodò renem lapidibus obſtructum, vel alio malo tentatum; altero planè inculpato, etſi inter vitam inutili, autopſiâ ſe obſervaſſe teſtantur RIOLANUS & BALLONIUS.

RENES.

OBS. 1183. Cuidam *ſupprimebatur urina* quolibet fermè plenilunio. Poſt ægritudinem plurium annorum tandem fatis conceſſit.

Cadavere examini anatomico ſubjectum exhibebat pelvim renis ſiniſtri in immenſam magnitudinem dilatatum ab urinâ copioſiſſimâ, cui innatabant duo calculi. TULPIUS.

OBS. 1184. Quidam de levi *lumborum dolore* conquerebatur, quem parùm curabat. *Nulla* aliàs obſervabantur *lithiaſis ſigna*. Tandem caſu ab alto enecatur.

Renes ſummè dilatati lapidibus erant infarcti, quorum nonnulli pollicis craſſitiem æquabant. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 1185. Quidam ſæviſſimis *doloribus nephriticis* divexatus, cum mictu libero, poſt obitum ſectus, exhibebat utriuſque renis cavitatem calculo repletam. Pro urinæ tamen emittendæ viâ, provida & ſolers natura, in lateribus calculi, orbitam quamdam molita fuerat; hinc urinæ liberè fluebant. SALMUTHUS.

OBS. 1186. Exenterato cadavere cujuſdam qui doloribus nephriticis conflictabatur; urinis, nec turbidis, nec ſabuloſis, liberè ſemper fluentibus, deprehendebatur in altero rene lapis maximus in medio perforatus; adeò ut lotii fluxum minimè præpediret. EUSTACHIUS.

OBS. 1187. Inter exenterationem cujuſdam *nephriticis doloribus* jampridem obnoxii, inveniebantur renes ſabulo & calculis infarcti. Ipſummet parenchyma cum ſcindebatur etiam ſabulis refertum deprehenſum fuit. SCHMIDIUS.

OBS. 1188. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam pueri ſeptennis qui *mictione cruentâ*, cum *ventris torminibus* laboraverat, deprehendebatur ren ſiniſter ingens, calculis, arenulis, & materiâ quâdam viſcidâ, limosâ & calcariâ ſcatens. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1189. Puella octennis *vomitionibus crebris* erat obnoxia;

cùm febre continuâ corripitur, quâ intrà paucos dies è medio tollitur.

Luſtratis interaneis omnia ſe præbebant viſcera inculpata : ſed accuratiori examine, repertus fuit lapis in altero rene. BALLONIUS.

RENES.

OBS. 1190. Quædam mulier *atrociſſimis ventris torminibus*, quæ pro dolore colico vulgatiſſimo habebant medici, torquebatur; cùm ultrà modum ſævientibus extinguitur.

Cultro anatomico ſubjectum cadaver exhibebat prægrandem lapidem in altero rene. GERARDUS.

OBS. 1191. In quodam *nephritico*, inter *iſchuriam renalem* extincto, inveniebantur renes calculis ex cerulæo nigricantibus infarcti; non in pelvi ſolùm, ſed etiam in ipsâ ſubſtantiâ; quorum majores vix ciceris magnitudinem ſuperabant. Veſica erat inanis. PLATERUS.

OBS. 1192. Secto cadavere cujuſdam mulieris *doloribus nephriticis*, & *iſchuriâ* interemptæ, reperiebatur lapis magnis in renibus, varia habens brachia. A teneris annis hoc morbo divexata fuerat, uti & ejus mater ſimili affectu enecata. BAUHINUS.

OBS. 1193. Cuidam *nephritico* in altero rene deprehendebatur lapis, tot particulis conſtans, quot in rene occurrebant venarum ramuli. Marmoris ſanèquidem rotundi, & candidi, fruſtulum referebat prædictus calculus. GESNERUS.

OBS. 1194. In cadaveribus nonnullorum *nephriticorum*, diuturnis & ferociſſimis inſultibus ſublatorum, annotabantur lapides inſignis magnitudinis, multis radicibus in utriuſque renis ſubſtantiâ implantatis. FERRANDUS.

OBS. 1195. Secto cadavere cujuſdam viri *doloribus nephriticis*, jampridem conflictati, in propatulum veniebat lapis ramoſus coralli inſtar; & flavo colore quaſi ſaturatus, liberis veſicâ & ureteribus. ROLFINCKIUS.

RENES.

OBS. 1196. Introſpecto corpore cujuſdam viri, *dolori renum* obnoxii, deprehendebatur in dextro rene lapis duorum articulorum magnitudine, remediorum lithontripticorum vi nonnihil attritus. KENTMANNUS.

OBS. 1197. Exenteratum cadaver cujuſdam *nephritici*, exhibebat in altero rene lapidem albicantem inſignis magnitudinis, ureteris principium occupans; cum innumeris minoribus calculis. EUSTACHIUS.

OBS. 1198. In corpore ſenis immanibus *renum doloribus*, dum viveret, obnoxii, reperitur in rene dextro lapis corallo necdum levigato, denſitate, duritie & ramulorum diſpoſitione ſimilis. COLOT.

OBS. 1199. In alio *nephritico* occurrit in rene ſiniſtro lapis inſignis magnitudinis qui ab amplo caudice principium ſumens, in octo ramos diviſus, coralli truncum, & ſurculos æmulabatur. EUSTACHIUS.

OBS. 1200. Quidam puer, *calculo* priùs cum urinâ *excreto*; febre continuâ corripitur; & inter clamores, & ejulatus, obiit.

Secto cadavere deprehenſus fuit lapis in pelvi alterius renis reconditus BALLONIUS.

OBS. 1201. Cadaver *nephritici* cultro anatomico ſubjectum oſtendebat in utroque rene inſignem calculum cruciformem, in univerſum renem ſe diſpergentem. TULPIUS.

OBS. 1201. (*a*) Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam viri; ad *dolores nephriticos* ſummè procliyis, in propatulum veniebat alter ren quadruplo major, & viginti calculos, & ultrà, continens. RIVERIUS.

OBS. 1202. In corpore cujuſdam matronæ *nephriticæ* binos calculos ranæ magnitudinis recondebant renes; alter quippe duos digitos

digitos tranſverſos, latus, craſſus; & alter pollicem æquabat. RAYGERUS. RENES.

OBS. 1203. In cadavere cujuſdam, qui *nuſquam de dolore renum* conqueſtus fuerat, reperiebatur, haud citrà adſtantium admirationem, ſtupendus calculorum numerus in utroque rene. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1203. (*a*) Exenterato quodam *nephritico*, in conſpectum veniebat in altero rene calculus cordiformis & nigricans. REISELIUS.

Ad hanc claſſem revocandæ ſunt obſervationes. Libr. I. 331, 408, 996, 1028, 1082, 1090, 1299, 1394, 1551. Libr. III. 119, 147, 179, 344, Libr. IV. 135.

## *Renes fiſſi.*

OBS. 1204. In cadavere pueri poſt ortum brevi demortui *abſque ulla prægreſſâ excretione* inteſtina maximâ diſtenta meconio intùs contento reperiebantur; renes fiſſuris numeroſiſſimis ſcatebant, tantoque ordine exerebantur. Ut ſeſe alternatis vicibus incurrentes numeroſiſſimas areas figurâ rhomboideâ pollentes efformarent; prædicti renes præterea obortâ putredine in plures conos dividebantur quorum apicem ſubibat ramificatio arteriæ emulgentis. PORTAL.

## *Renes infarcti.*

OBS. 1205. Quidam hypochondriacus de cruribus debilioribus querebatur. Dein *parcior fit urinæ proventus. Difficilis* erat *reſpiratio*, cum *anxietatibus*, œdemate pedum, appetitu dejecto, ſiti & vigiliis. *Urina quaſi ſupprimitur*, cum adſtrictâ alvo. Dein *tumet abdomen*, fractiſque viribus imminet ſuffocatio. Tum erumpit *vomitus materierum nigrarum*, & ſequuntur animi deliquia, quæ tandem mortem poſt ſe trahunt.

RENES. Luſtrato cadavere duo ulcera reperiuntur in ſtomacho. Hepar magnum & durum, in nonnullis partibus ſyderatum conſpicitur; cum liene putrido. Renes verò annotantur duri, materiâque craſſâ & viſcidâ infarcti. Omentum erat nigrum & diſruptum; atque pulmones inflammati & purulenti. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1206. Quidam ſexagenarius multis ab hinc annis *doloribus nephriticis* obnoxius; tandem iſchuriâ corripitur. *Venter* ſenſim *prominet*, atque diſtenditur atque; octavo die migravit ad ſuperos.

Factâ cyſtotomiâ in cadavere, urinæ parum profluebat. Uterque ren ſabulo infarctus deprehendebatur. ROLFINCKIUS.

OBS. 1207. Inter exenterationem cujuſdam *hydropici*; in conſpectum veniebat ren dexter materiâ calci ſimili infarctus. Alter exhibebat hydatidem inſignem. HARDERUS.

Inter affines numerari debent obſervationes. Libr. I. 1592, 1598.

## *Renes lapidei.*

OBS. 1208. Quædam mulier provectæ ætatis, cùm aliquandiù *diros cruciatus* perpeſſa eſſet, *ſecundùm ilia ſiniſtra*, ſubter hypochondria; multis jam fruſtrà adhibitis remediis; tandem vitam cum morte commutavit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione repertus fuit ren iſtius regionis in lapideam ſubſtantiam quaſi degeneraſſe. MOCCIUS.

Huic ſubnectere licet obſervationes. Libr. I. 1177, 1178.

## *Vermes in renibus.*

OBS. 1209. Quidam juvenis à pueritiâ *dolore renum* torque-

batur ; quo ſenſim ingraveſcente, poſt duos menſes, ad orci fauces deducebatur. Extenuatum erat corpus, cum febre lentâ & ſiti immani. Viribus tandem deficientibus vitam finivit tabidus.

Inter cadaveris exenterationem, inventi ſunt in utroque renum cavo vermes craſſi, albi & vivi, dimidii digiti longitudine, qui interiora ità eroſerant, ut totum corpus contabefecerint. ZACUTUS.

OBS. 1210. Quidam *dolore in regione renum* jampridem laborabat; quo tandem ulteriùs ſæviente è medio tollitur.

Reſerato abdomine inventi ſunt vermes in renibus nidulantes, coloris rubicundi, quaſi ex annulis plurimis affabrè junctis conſtantes; atque ad ulnæ longitudinem accedentes. BLASIUS.

OBS. 1210. (*a*) In rene cujuſdam *tabidi* annotabatur vermis oblongus & vivens, qui illius viſceris parenchyma adeò eroſit, ut haud alia fuerit mortis cauſa. JANSONIUS.

## *Cochlea in renibus.*

OBS. 1211. Mulier quædam nobilis octo & viginti annos numerans, patiebatur, multis abhinc annis *vomitum pertinaciſſimum*, & moleſtiſſimum; cùm incidit in *febrem* quamdam continuam, *epidemicam*, & mali moris; quâ, nil proficientibus remediis, brevi ad libitinæ rationem ducitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, præter vulgatiſſimas læſiones febrium malignarum reliquias, deprehendebatur in altero rene, exigua cochleæ terreſtris teſta, pulchrè admodùm elaborata. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

Vix abſimilem caſum videre eſt in obſervatione Libr. I. 1053.

*Renes extrà ſedem.*

OBS. 1212. Virgo ſeptemdecim annorum poſt ſuppreſſionem catameniorum, per tres menſes, in largam *è genitalibus hæmorrhagiam*, cum enormi *ſanguinis vomitu*, incidit. A perſiſtente hoc duplici fluxu intrà breve tempus, ſupremum diem clauſit.

Aperto cadavere, reperitur ren dexter extrà ſitum; oſſi ſcilicet ſacro incumbens; atque aortam, cum venæ cavæ trunco haud parùm comprimens. Subſtantia hujuſce renis erat calloſa & quaſi cartilaginea. Pendebat prædictum viſcus libram unam & ſemis; atque recondebat octo lapides, quorum majores, ad ova columbina accedebant. Arteriæ & venæ emulgentis vix veſtigium apparebat; nec magis conſpicuus erat ureter. DROUIN.

Affinis caſus proſtat in obſervatione Libr. I. 1067.

*Ren unicus.*

OBS. 1213. In quodam ſexagenario qui diu *laboraverat doloribus nephriticis* ren unicus multis lapillis ſcatens reperiebatur; volumine multo majori quam par eſt & duobus ureteribus pollebat. PORTAL.

*Renum defectus.*

OBS. 1214. Quædam matrona *ſanguinis*, & *materiæ purulentæ*, cum ramentis membranaceis, *mictum* patiebatur. In *urinæ ſuppreſſionem* ſubitò incidit, quæ ad quatuordecim dies protelata, tandem apoplexiam accerſit.

Illi ren dexter omninò defuerat. Alter materiâ ſabuloſâ & calculis undique oppletus erat. BONETUS.

OBS. 1215. Virgo quindecim annorum *iſchuriâ renali* corripitur; quam paulò poſt concomitatur *ſpirandi difficultas*, cum quâdam pulsûs inæqualitate. Quibus ad ſeptimum diem protractis, occubuit. RENES.

Ren dexter planè deficiebat à navitate. Siniſter duplo major ſuperficiem inæqualem præ ſe ferebat. Pectus aquâ ſcatebat, cum pulmone dextro purulento. MANGETUS.

OBS. 1216. In cadavere *nephritici*, *iſchuriâ renali* extincti, ren ſiniſter deſiderabatur; dextro ampliore. Veſica tres lapides fovebat, quorum minor piſi formis in urethram adactus annotabatur. E DIARIO MEDICO.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 1084, 1223, 1301, 1460; Libr. III. 424.

## *Capſulæ morboſæ.*

OBS. 1217. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam viri quinque & quadraginta annorum, & temperamenti bilioſi, poſt *colicam diuturnam*, & contumaciſſimam, interempti, inveniebatur coli exterior tunica abſumpta, & quaſi ſphacelata, ex illâ parte, quâ reni ſiniſtro adjacebat. Ren ſuccenturiatus ſiniſter ingentis erat molis; & recondebat abſceſſum materiâ ſanioſâ putidiſſimâ, ad libras duodecim, repletum; quâ effusâ, ren ſuccenturiatus libras duas, & ampliùs, ponderabat. GREISELIUS.

OBS. 1117. (*a*). Puer bimenſis, abſque causâ evidenti continuò à quindecim diebus ejulans, *convulſionibus* corripitur quibus per triduum vigentibus tandem è vivis ſublatur.

Secto ejus cadaverculo renes ſuccenturiati volumine ovi columbini majores cernuntur; ſcrutatâ eorum ſubſtantiâ apparebant cavitas, & ductus quamplurimi in eâ patentes liquore atramenti inſtar nigerrimo infarcti. PORTAL.

OBS. 1218. In cadavere mulieris quinquagenariæ, quæ jampridem *urinæ purulentiâ* laborabat, cum ſedimento craſſiore &

CAPSULÆ. nigro, invenitur ren ſuccenturiatus inſignis magnitudinis; adeò ut vel pugnum referret. Mollis admodùm erat, colore ſubruber; ac materiâ atrâ, & purulentâ, cum pluribus arenulis refertus. BLASIUS.

OBS. 1219. Cadaver cujuſdam *melancholici*, cultro anatomico ſubjectum, exhibebat lienem exilem & rotundum. Capſula atrabilaria dextrâ major & longior, & duplici cavitate inſtructa reperiebatur; ſiniſtra verò latior, ſed brevior annotabatur. BARTHOLINUS.

Hiſce ſubnectere licet obſervationes Libr. II. 415.

De Renibus falsò incuſatis, vide obſervationes Libr. I. 375, 1446; Libr. II. 512.

# SECTIO DECIMA.

## DE URETERIBUS.

### *Ureteres obſtructi.*

OBSERVATIO 1220. Quædam matrona *ſanguinem & materiam purulentam*, cum membranis à longo tempore, *meiendo ejiciebat*. Dein ceſſante mictione cruentâ, urinæ deponebant ſedimentum copioſum album, inſtar puris. Poſteà cùm ſedimentum deeſſe cœperat, ſucceſſit febricula, cum doloribus vagis & virium languore. Intereà ſuboritur *tumor* in regione renis ſiniſtri, qui faceſſit in abſceſſum; è quo copioſo educto pure, remanet fiſtula, ichorem exſudans. Superveniente demùm iſchuriâ, die decimo quarto obiit apoplecticus.

Ren ſiniſter erat planè conſumptus, & marſupii inſtar ichorem continebat per fiſtulam extùs ſtillantem. Alter calculis & materiâ

ſabulosâ ſcatebat : appenſus verò ureter, lapide huc adacto, arctè obturatus invenitur. WILLISIUS. URETERES.

OBS. 1221. Quidam *iſchuriâ renali* laborabat, cum impotentiâ corpus flectendi & erigendi : vomitu etiam contumaciſſimo conflictabatur. Pluries immiſſo cathetere deprehendebatur veſica inanis & vacua. Tandem ſeptimo die, ultimum clauſit.

Alterius ureteris caput lapillis cum phlegmate, inter ſe velut glutine cohærentibus, & ferruminatis, ità obſtructum & clauſum fuit, ut ne quidem impulſo ſtylo aperiri potuerit. In altero verò uretere calculus grandior utrimque acuminatus, ductum undique diſtendebat propè veſicam; quæ, præter plures lapillos, lapidem, ovi columbini magnitudine, recondebat. PUERARIUS.

OBS. 1222. Vidua quadragenaria à *renum cruciatu*, & *calculi excretione* aliquandiù afflicta, doluit intensè ex utroque lumborum dolore, cum præcordiorum anguſtiâ, cibi faſtidio, vomitu continuo, & *mictu* primùm imminuto, mox integrè *ſuppreſſo*. Accedunt febris, ſopor & mentis ſtupor ; ac demùm coma & convulſiones ; quibus decimo octavo iſchuriæ die è medio tollitur.

Ren ſiniſter lividus & tumidus tres calculos fovebat, quorum major acuto ſuo apice obturabat ureteris principium. Ureter dexter non minùs obſtruebatur à plano, & lato calculo ; inſtar operculi eum claudente. TULPIUS.

OBS. 1223. Quidam conſiſtentis ætatis, ab aliquot annis, querebatur de *dolore hypochondrio ſiniſtro*, vomitu, & *ejectione nonnullorum lapillorum*, cum urinis. Poſt nonnullas remiſſiones recurrunt dolores *nephritici*, cum ſenſu continuo gravitatis in regione lumbi ſiniſtri, non ſine aliquo dolore in corporis flexu. Tandem ſupprimitur urina, & die undecimo fatis ceſſit.

Ren dexter & ureter planè deficiebant. In ſiniſtro rene reperiebatur calculus ovi columbini magnitudine, cujus apex principio ureteris impactus erat. SYLVATICUS.

OBS. 1224. Vir ſeptem & quinquaginta annorum, à pluribus annis *nephritidi calculoſæ* obnoxius, tandem incidit in lumborum dolores atrociſſimos, diù noctuque ſævientes, cum omnimodâ

URETERES. *urinæ ſuppreſſione*, vomitu, & febre acutiſſimâ, ſiti immani & anxietatibus ſtipatâ. Biduò poſt, ſingultus, delirium & convulſiones vitæ finem imponebant.

Ren dexter binos recondebat calculos, piſi magnitudinem vix excedentes. Mira erat ureterum diſtenſio ab ingenti urinæ fœtidæ copiâ. Dexter calculo obturatus, ſub ingreſſu in veſicam, deprehenditur. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 1225. Quædam vidua *aſcite* à ſeptem annis laborabat, cum *nephritide* corripitur, inter quam ſupreſſâ urinâ, poſt tres & viginti dies fatis conceſſit.

Peritoneum occurrit durum & cartilaginoſum cum ſtagnante aquâ in abdomine ad libras quinque & viginti. Omentum erat corruptum. Hepar tuberoſum & contractum; lien ingens ſed ſanus. Veſica planè inanis conſpiciebatur. Ren dexter inſolitæ magnitudinis, calculos nonnullos exiguos recondebat. Ureter demùm ſiniſtri lateris calculo accuratè obturabatur. MECKEREN.

OBS. 1226. Quidam *urinæ ſuppreſſionem* inopinatò patiebatur per undeviginti dies, aliquot urinæ guttas reddens, cum *dolore in inguine* ſiniſtro, & *vomitu enormi*. Accedente demùm animi deliquio migravit ad Superos.

Ren ſiniſter ingens apparuit, ac majorem aquæ copiam, cum multis arenulis continebat. Appenſus ureter calculo ſemen cucumeris referente obturabatur. Ren dexter inculpatus deprehenditur. Thorax ſero ſcatebat. VERZASCHA.

OBS. 1227. Cuidam *paroxyſmis nephriticis* obnoxio *urina* fuit *ſuppreſſa*, ſine ullo dolore. Pergente iſchuriâ, decimo quarto die, migravit ad plures.

Reſerato abdomine, reperiebatur in utroque rene calculus turbinatus, vel pyriformis, in ureteris principium illapſus; qui ſcilicet omnem urinæ tranſitum præcludebat. DIEMERBROEK.

OBS. 1228. Septuagenaria *renum*, *ureterum* & *veſicæ dolore* premebatur, guttatim ſtillante urinâ, quæ demùm omninò ſuppreſſa animi defectiones poſt ſe trahit, & mortem.

Secto cadavere omnibus patuit non fuiſſe lapidem, ſabulum, aut

aut grumum; ſed lentam, gypſeamque pituitam; ob quam ureteres, veluti callo, erant obſtructi. ZACUTUS.

URETERES.

OBS. 1229. Puerulus undecim menſium, *per plures dies non minxerat*; & ejulando ſe intorquebat, cum *vomitu*. Irritis omnibus præſidiis, inter tormina, extinguitur.

Inanis erat veſica. Ureter dexter duobus calculis gypſeis & duris obſtruebatur. Simili fermè modo obturabatur ſiniſter. Renes verò lapillis ejuſdem indolis ſcatebant. AICHOLTZIUS.

OBS. 1230. Quidam per octiduum *urinæ ſuppreſſione* laborabat, cum dolore in renis ſiniſtri regione. Intempeſtivè exhibitis cantharidibus, brevi extinctus eſt.

Secto cadavere deprehenduntur exulcerationes in ventriculo & veſicâ. Ureter verò ſiniſter obſtructus reperiebatur à calculo illi impacto. BONETUS.

OBS. 1231. Cadaver cujuſdam inter immanes *dolores nephriticos* extincti; exhibebat varios, aſperos & angulares calculos intrà unum ex ureteribus impactos. Alter verò, unà cum rene, ex toto ferè contabuerat; & nullo penitùs humori pervius apparuit. CRUCIUS.

OBS. 1232. Exenterato cadavere cujuſdam *nephritici*, inter paroxyſmum acerbiſſimum interempti, in conſpectum veniebat lapillus niger, in altero uretere impactus & ſemi-drachmam pendens; qui ſcilicet ob aſperitates & inæqualitates elabi non poterat. KERCKRINGIUS.

OBS. 1233. In cadavere puellæ decennis, quæ biduò duntaxat ægrotaverat, ab omninò *ſuppreſſâ urinâ*, veſica erat lotio admodùm diſtenta. Pelvis renis dextri ab aquæ copiâ erat admodùm amplicata, ob obſtructum appenſum ureterem è calculo aſpero. MANGETUS.

OBS. 1234. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam viri, pertinaci admodùm *urinæ ſuppreſſione* enecati, in propatulum veniebant

URETERES. ureteres albidâ materiâ ſabuloſâ infarcti, & planè obturati; cum maximâ urinæ graveolentis copiâ in renibus. SCHNEIDERUS.

OBS. 1235. Quidam poſt caſum graviſſimum incidit in *iſchuriam*. Futilibus omnibus præſidiis, nono die, migravit ad ſuperos.

Repertus eſt grumus ſanguinis in uretere dextro, è rupto vaſculo renis proximi deciduus, quo planè obturabatur canalis. DE SEVE.

OBS. 1236. In cadavere cujuſdam *inſultu nephritico* ſublati, reperiebantur ureteres utrinque ſummè dilatati, & ſub ingreſſu in veſicam, lapide hùc adacto obturati. PANAROLUS.

OBS. 1237. In pluribus *nephriticis* inter *iſchuriam renalem* extinctis, deprehendebantur ureteres à lapidibus diverſæ molis & figuræ planè obturati. VIDUS VIDIUS.

OBS. 1238. Secto cadavere matronæ quæ per ſexdecim dies *iſchuriâ vera* laboraverat, in apricum veniebant ureteres calculis grandiuſculis planè obſtructi. SCROEKIUS.

OBS. 1239. In quodam *nephritico* poſt iſchuriam viginti dierum denato deprehendebatur lapillus ſaxeus ureteri dilacerato impactus. CAR. PISO.

OBS. 1240. Similes ureterum obſtructiones, poſt *iſchuriam* lethalem ſe obſervaſſe teſtatur in duobus cadaveribus. TRINCAVELLA.

Ad hanc claſſem revocandæ obſervationes. Libr. I. 231, 1068, 1085, 1661.

## *Ureteres mirè dilatati.*

OBS. 1241. Puella *iſchuriâ pertinaciſſimâ* corripitur, cruciatibus atrociſſimis ſtipatâ. Pudoris ſinum occupabat tumor quidam cyſticus, magnitudine ovi gallinacei è meatu urinæ propendens, & aquâ repletus. Intereà morbus exacerbatur; ingruunt convulſiones; & ſequitur lethum.

Inveniuntur ureteres mirum in modum dilatati, adeò ut amplitudinem inteſtini coli æquabant, ſub ingreſſu in veſicam quaſi obturati. Tumor verò externus urinâ repletus, ab inversâ membranâ internâ veſicæ oriri videbatur. Ex Actis Chirurg. Parisiensibus.

OBS. 1242. In cadavere viri ſexagenarii, apoplexiâ ſublati, qui dum viveret, *nuſquam de dolore renum & veſicæ* conqueſtus fuerat, in propatulum veniebat ren ſiniſter inſolitæ magnitudinis & arenulis ſcatens : ſimili modo infarciebatur appenſus ureter, ultrà pollicem diſtentus. Vaſa cerebri ſanguine ultrà modum tumebant, & ventriculi hujuſce laticis congrumati copiam recondebant. E nostris Adversariis.

OBS. 1243. Senex *doloribus nephriticis* obnoxius, inſultu vehementiori, *iſchuriâ renali* ſtipato, corripitur, qui lethargum lethalem poſt ſe trahit.

Ren ſiniſter exiguus deprehenditur, cum appenſo uretere arenulis infarcto, & planè obſtructo. Ren dexter mole maximus, cum uretere inteſtini inſtar diſtento, & lapide obturato circà ingreſſum in veſicam, occurrit. Ex Actis Edimburgens.

OBS. 1243. (*a*) Introſpecto cadavere cujuſdam mulieris ſeptuagenariæ, & *iſchuriâ extinctæ*, deprehenditur veſica planè inanis, contracta & calloſa; cujus cervix quaſi oblitterata videbatur, omnemque urinæ exitum denegabat. Ureteres verò inſtar tenuium inteſtinorum, ab urinâ retentâ mirè erant diſtenti. Portal.

URETERES. OBS. 1244. Non dilatatos quidem, ſed in longitudinem extenſos ureteres, adeò ut duplo longiores viderentur, poſt contumaciſſimam *nephritidem* in quâdam muliere. Vidit ASSUERUS.

OBS. 1245. In pluribus qui jampridem *doloribus nephriticis* conflictabantur, uſque adeò dilatatus comperiebatur ureter, ut in eum major digitus immitti poſſet. FERNELIUS.

OBS. 1246. Ureteres ſummè expanſos, in variis *nephriticis*, qui ſæpiùs calculos reddiderunt, ſectione obſervavit. PLATERUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. I. 1091, 1122, 1136. Libr. II. 280.

---

## *Ureterum purulentia.*

OBS. 1247. Quidam juvenis de *dolore acerbiſſimo* in *regione hypogaſtricâ*, cum tumore, inflammatione, pulſatione & febre, conquerebatur. Innoteſcit *abſceſſus*, è quo ſecto maxima educitur puris copia. Faceſſit inflictum vulnus in ulcus fiſtuloſum, materiam purulentam continuò eructans; unà cum lotio. Tandem poſt plures menſes obiit.

Reperiebatur omentum gangrænoſum. Ureter dexter ulceroſus ſummè dilatatus, & pure repletus; conſpiciebatur; recondens inſuper aciculam cruſtâ tartareâ obvolutam. HAGHINUS.

OBS. 1248. Quidam pluribus abhinc annis *dolore ſiniſtri lateris* gravativo, cum vomitu, febre, & *mictione cruentâ*, aliquoties recurrentibus laborabat. Urinæ erant nonnumquam arenuloſæ. Poſt quamdam intermiſſionem acriùs ſævit dolor lateris cum vomitu, ſiti & inquietudine febrili. Intereà poſt quaſdam remiſſiones accedit iſchuria quæ ſeptimo die mortem accerſit.

Ureter dexter calculo obturatus deprehenditur, rene libero. Ren ſiniſter purulentiâ defœdatus duplicem calculum recondebat,

quorum unus ſeſe inſinuaverat acuto apice in ſinum ureteris. BLASIUS.

OBS. 1249. In cadavere cujuſdam mulieris quæ à longo tempore immanibus *ventris torminibus*, & cruciatibus cum *lotio purulento*, torquebatur, ren dexter ſuperficiem admodùm inæqualem exhibebat. Annexus ureter ſuprà inſertionem in veſicam, calculo planè obſtructus ità diſtendebatur ut libras duas materiæ purulentæ continebat. RUYSCHIUS.

### *Ureter utrimque duplex.*

OBS. 1250. Exenterato cadavere cujuſdam nebulonis, ob trigamiam ſtrangulati, in conſpectum veniebant in utroque rene, aliàs ſano, bini ureteres, qui in veſicam diverſis in locis inſerebantur. RIOLANUS.

# SECTIO UNDECIMA.

## DE VESICA.

### *Veſica ingens.*

OBSERVATIO 1251. Quædam fœmina ſex & viginti annos nata, circà quintum graviditatis menſem, poſt caſum de *dolore vehementi in lumbis*, & *pube* querebatur, cum *iſchuriâ* moleſtiſſimâ. Fruſtrà omnibus tentatis remediis, inter tormina obiit.

Deprehenditur in ſinu pudoris tumor quidam carnoſus; magnitudine ovi columbini, variis hydatidibus obſitus. Secto abdomine in propatulum venit veſica ingens, ad regionem epigaſtricam attingens; viginti urinæ libras continens. Pelvis renum & ureteres ſtupendam etiam dilatationem patiebantur. Tumor verò externus ortum trahebat à prolapſu uteri qui binos fœtus mortuos recondebat. REINICH.

VESICA.

OBS. 1252. Mulier quadragenaria poſt diuturnum ſanguinis profluvium ex utero, incidit in fluorem album cum acerbiſſimis *hypogaſtrii doloribus*, præſertim noctu ſævientibus. Dein tumore extùs prominente, renitente, & propè umbilicum ſcandente afficitur. Accidit urinæ ſtillicidium; urget dolor ſpaſmodicus ad guttur, cum nauſeâ & vomitu. Tum invaleſcit febris, & macie confecta obiit.

Reperiebatur veſica lotio ultrà modum diſtenta; ejus latera digiti craſſitiem ſuperabant; altè coaluerat veſica ſuprà pubem, cum ventris parietibus. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1253. Quædam gravida *doloribus dorſi* infeſtabatur. Poſt varia & præpoſtera remedia partum moventia, in *urinæ ſuppreſſionem* incidit, cum *acerbis cruciatibus*. Increvit abdominis tumor cum febre. Tandem doloribus & vigiliis exhauſta, diem ſupremum obiit.

Inciſo cadavere, veſica ex lotio retento tumida, caput adulti hominis æquabat, tunicâ interiori nonnihil gangrænosâ. Uterus cum fœtu mortuo, ligamentis laxatis, collum veſicæ arctè comprimebat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1254. Sexagenaria *dolore in hypogaſtrio*, & *podice* ſubitò corripitur, cum *lotii ſuppreſſione*. Brevi totum *abdomen tumet*, & fruſtrà immittitur catheter. Iſchuria in *ſtranguriam* vertitur, & parciſſimum fluit lotium. Febris accedit inordinata; quæ dein ingraveſcit cum nonnullo delirio; & decimo die occubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniebat veſica ad umbilicum uſque protenſa & turgida; nec lapides, nec arenulas recondens; ſed urinam craſſam & viſcidam. MANGETUS.

OBS. 1255. Vir ſexaginta annorum *iſchuriâ veſicæ* cum *ventre tumido* per menſem integrum laborabat; ob inflammationem cervicis veſicæ. Hanc ſuppreſſionem excipit urinæ ſtillicidium. Increſcente ventris tumore, decimo die interiit.

Exenterato cadavere, deprehenditur veſica ingens, ultrà modum diſtenta & mediam abdominis partem replens, cum ſummâ membranarum exilitate. EX ACT. PARISIENSIB.

OBS. 1256. In cadavere cujuſdam *iſchuriâ* denati veſica diſtenta occurrit; quatuor libras & amplius urinæ continens. Nullum

adeſſet ulcus, nullus callus: non grumus ſanguinis, nec materia viſcida, quæ aliàs iſchuriæ cauſæ ſunt; unde incuſabatur veſicæ imbecillitas, vel atonia. MARTIUS. VESICA.

OBS. 1257. Quidam nimiam veſicæ dilatationem inconſultò patiebatur: hinc paulatim *minuebatur urinæ proventus;* ac demùm planè *ſupprimebatur.* Adhibito tandem cathetere meliùs ſe habere videbatur. Paulò poſt tamen obiit.

Secto cadavere, deprehendebatur veſica cum variis inflammationis, & gangrænæ, notis. PANAROLUS.

OBS. 1258. Similem fermè caſum, ſenibus familiarem, ter obſervavit; in quorum uno veſica duas & viginti urinæ libras continebat. PANAROLUS.

In hâc ſerie locum aſſequi valent obſervationes Libr. I. 938, 1390; Libr. II. 862; Libr. IV. 154.

## *Veſicæ anguſtia nativa.*

OBS. 1259. Juvenis quidam à primis incunabulis *frequenti mictione* urgebatur; adeò ut raró ultrà horam unam ab urinæ excretione ſe contineret; quoad cætera ſanus & vegetus.

Hic cùm in conflictu, ſclopeto trajectus occubuiſſet apertum fuit cadaver, quod exhibuit veſicam adeò parvam ut vix ovi anſerini magnitudinem adæquaret, & liquoris uncias tres vel quatuor tantummodò contineret. TIMÆUS.

## *Veſica contracta & calloſa.*

OBS. 1260. Quidam ſexagenarius *dyſuriæ*, & *ſtranguriæ*, jamdiù obnoxius, tandem iſchuriâ veſicali interiit.

Renes dimidio majores ſolito deprehenduntur. Ureteres erant ampliſſimi, & minorem digitum facilè admittebant. Veſica duo corpora recondebat, nucis juglandis magnitudine; quorum unum denſum, alterum ſanguine coagulato refertum annotabatur. Veſica

VESICA.

inſuper erat calloſa, craſſa & contracta, vix capax unciæ lotii continendæ. RIOLANUS.

OBS. 1261. Inſtitutâ diſſectione cadaveris viri cujuſdam octogenario majoris, qui multis abhinc annis *mictione involuntariâ*, & moleſtiſſimâ, conflictabatur, in apricum veniebat veſica contracta & calloſa; vel ad quamvis dilatationem inapta. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 1072, 1099, 1294, 1308, 34 (*a*).

OBS. 1261. (*a*) In binis cadaveribus ſenum *iſchuriâ* demortuorum veſica maximè contracta & ejus parietes calloſi apparebant, adeòque tam erat imminuta ejus capacitas, ut vix cochlear liquoris recepiſſet; peripheria orificii quo veſica proſpicitur urethræ, inſtar pergameni uſtulati, corrugabatur, obliteratoque meatu urinæ fluxus omnimodò denegabatur. PORTAL.

## *Veſicæ purulentia.*

OBS. 1262. Mulier duodeſexaginta annorum jamdiù querebatur de quodam *pondere in abdomine*, cum *ſtranguriâ* ſæpiùs recurrente. Exploratâ veſicâ ope catheteris, aperitur abſceſſus, de quo nulla erat ſupicio, & arodiit libram unam, & ampliùs, puris: dein minguntur *urinæ purulentæ*. Tum febre laborabat, ſudores erant uberrimi & fœtidi, cum ore inquinato. Intereà febris exacerbatur cum alvi fluxu, vomitu frequenti, & animi deliquiis; ac demùm interiit.

Inteſtina ſemi-gangrænoſa peritoneo hærebant. Veſica virideſcens, & utero accreta, varia continebat ramenta oſſea, & glomeramen è pilis conflatum, materiæ purulentæ innatantia. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1263. Cuidam mulieri ruſticæ, quæ ante annum à calcitrante vaccâ violenter *circà pubem percuſſa* fuerat, *hypogaſtrium* ità in dies *intumuerat*, ut gravida putaretur. Miſera tamen poſt menſes undecim, viribus fractis, & corpore tabe conſumpto, ſupremum diem obiit.

Reperiebatur in abdomine humor lentus & fœtidus ad libras tres. Veſica inſigniter intumuerat ob abſceſſum ingentem pure fœtido ſcatentem

tentem; qui inter ambas veſicæ tunicas amplum ſpatium ambiebat; illæsâ penitùs tunicâ interiore. HELWIGIUS. VESICA.

OBS. 1264. In cadavere juvenis quinque & viginti annorum, qui dum viveret, *lithiaſi* laborabat, ingens calculus totam veſicam ità replens, ut paucis tantùm urinæ guttis locus ſupereſſet. Tunica digitum tranſverſum craſſa, ſeparabilis erat in laminas innumerabiles; inter quas materiæ purulentæ copia ſtagnabat. Parùm prædictæ colluviei reperiebatur inter calculum & veſicam. RUYSCHIUS.

Huicce claſſi adſcribi debent obſervationes Libr. I. 582, 1089, 1094, 1098, 1108.

---

## *Ulcus veſicæ.*

OBS. 1265. Vir quadragenarius, *arthriticus* & *ſcorbuticus*, *dyſuriâ* per annum integrum torquebatur. Urina fœtidiſſima *ſedimentum* viſcidum, & *purulentum*, deponebat. Poſt varias remiſſiones excernuntur cum lotio bini aſcarides, vivi & ſalientes. Tandem circà ſeptimum morbi menſem accedit febris quædam intermittens, cum diuturno rigore, anxietatibus præcordiorum, cephalalgiâ, vomitu, & imminente lypothymiâ. Viribus tandem fatiſcentibus abiit ad plures.

Secto cadavere, ren dexter calculoſus deprehenditur. Aperta veſica exhibet exulcerationem latè ſe extendentem, cum purulentâ materiâ, & uno vermiculo; quales in putridis carnibus reperiuntur. Prætereà occurrebat calculus, majoris piſi inſtar, cyſti obvolutus. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1266. Puer undecim annorum à primâ infantiâ, *calculi ſymptomata* paſſus; tandem accedentibus acerbioribus doloribus, *iſchuriâ*, *teneſmo*, ſopore comatoſo, & convulſionibus, è medio tollitur.

Occurrit ventriculus inflammatus, cum gangrænæ incipientis notis. Deprehenditur inter rectum & veſicam, quidam ſaccus nigro muco turgens, & gangrænoſus, foraminibus patulis hians in

VESICA.

veſicam & rectum; cum inflammatione partium vicinarum. Renes præterea erant ingentes, non ſecùs ac ureteres. Veſica verò tres lineas craſſa & calloſa, parte poſticâ perforata, calculum oblongum, aſperum, ponderis binarum ferè unciarum arctè comprehendebat. CLARIS. DE HAEN.

OBS. 1267. Quædam anicula *doloribus* ad infimam ventris partem, præſertim *inter mingendum* per ſeptem menſes laboraverat. *Urina* ſæpiùs mingebatur *purulenta*; & tùm ſæviebant acerbiſſimi cruciatus. Sub hâc rerum conditione convulſionibus violentis prehenſa, deceſſit.

Ovaria conſpiciebantur parva & ſcirrhoſa. Veſicæ facies interior exulcerata apparuit, craſſo & fœtidiſſimo pure conſpurcata, & quaſi carcinomatoſa. Simili fermè labe afficiebatur vagina. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1268. Quidam poſt melancholicas perturbationes, & varias ægritudines, *lotium craſſius* mingit, cum *ſedimento viſcido*, fundo matulæ hærente; interdum ſanguine grumoſo permixtum, cum *dolore in collo veſicæ*. Intereà dolor exaſperatur; febris incandeſcit, cum *lotii ſuppreſſione*, & intrà quatriduum migravit ad ſuperos.

Luſtratis interaneis inventum eſt ulcus in collo veſicæ, cum variis inflammationis notis. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 1269. Quidam miles totâ nocte, cum famulâ jugiter coivit: manè valdè labefactatus, ad venerem redire geſtiens; ſumit conſilio cujuſdam vetulæ meretricis *pulverem cantharidum*. Paulò poſt de *dolore* veſicæ quæritur; *urina intercipitur*; *inflammatur penis*. Demùm inter ferociſſimos dolores periit.

Secto cadavere, deprehendebantur ulcera in renibus & veſicâ. Urethra etiam nonnihil eroſa cernebatur. LANZONUS.

OBS. 1270. Adoleſcens à longo jam tempore *urinam ſine ejulatu* reddere non potuerat; quæ *purulenta* erat. Acceſſerunt macies, febris, & reliqua mala quæ veſicæ lapidem concomitantur, quibus tardem abſumptus extinguitur.

Veſica conſpiciebatur craſſa, exulcerata, & ex parte ſcirrhoſa,

magnum lapidem ſubaſperum continens. Pure autem ſcatebant, tùm renes, tùm ureteres. CLAR. MORGAGNUS.

VESICA.

OBS. 1271. Quidam *rebus venereis addictiſſimus*, ſubitò *caſtitatem ſervandam* rigidè propoſuit. Poſt ſex menſes accedunt nauſeæ & vertigines; ac demùm epilepſiâ tollitur.

Inveniuntur ſeminis receptacula ultrà modum repleta, & ulceribus ſordidis conſpurcata; proximiorque veſicæ pars hujuſce labis erat conſors. ZACUTUS.

OBS. 1272. Sexagenarius poſt curſum vehementionem, *urinam cruentam* reddit; deinde gravi *dyſuriâ* corripitur. Exacerbato malo tandem fatis ceſſit.

Veſica excoriata & ulcerata continebat calculum exiguum, aſperum cum ingenti copiâ materiæ purulentæ & ſabuloſæ. Renes etiam innumeros calculos minimos recondebant. BLASIUS.

OBS. 1272. (*a*) Introſpecto cadavere cujuſdam ſenis qui omnia *lithiaſis ſymptomata* paſſus fuerat; nullus omninò reperitur calculus in veſicâ; ſed ſolummodò ulcus ſat latum, inferiorem potiſſimùm veſicæ regionem infeſtans. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1273. In cadavere cujuſdam matronæ, quæ diù ante obitum rejecerat *è meatu urinario membranam* quamdam, craſſam & latam, materiâ ſabuloſâ refertam, inveniebatur tota veſica exulcerata, & à calculis ibidem concluſis attrita, & diſrupta. WILLISIUS.

OBS. 1274. Inter diſſectionem cujuſdam *calculoſi* reperiebatur in veſicâ lapis ponderans tres uncias & ampliùs. Veſica e colliſione lapidis erat ulceroſa. Renes quoque læſi & quaſi ulcere tacti ſpectabantur potiſſimùm ſiniſter. FORESIUS.

OBS. 1275. Secto cadavere cujuſdam qui à decem circiter annis, *febre lentâ* laborans, *lotium purulentum* reddebat, cum quodam

VESICA. ſedimento foliaceo, reperiebatur veſica tota ulcere ſordido conſpurcata. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1276. Luſtratis interaneis cujuſdam juvenis qui *ſtranguriâ* contumaciſſimâ laboraverat, inveniebatur ulcus in cervice veſicæ. SALMUTHUS.

Inter affines memorari debent obſervationes Libr. I. 1088, 1091, 1123.

---

## *Veſica diſrupta & perforata.*

OBS. 1277. Tantis *veſicæ torminibus* torquebatur quidam juvenis ut coactus fuit integrum annum ſedendo tranſigere. Nuſquam in pulvinar inclinare ipſi licebat, quin ſubitò tetano corriperetur; adeò ut angue & ranâ pejus *fugiebat* miſellus æger *qualecumque decumbendi genus*. Tandem inter haſve ærumnas obiit.

Duo occurrebant in veſicâ inſignes calculi, muco & puri penitùs immerſi. Veſica adeò fuit calculis attrita, & pure conſumpta, ut lotium proprio receptaculo deſtitutum liberè fluctuaverit per univerſa inteſtina. TULPIUS.

OBS. 1278. Quidam *ſtranguriâ* laborabat, cum *urinâ* mucoſâ, *purulentâ* & ſquamulis refertâ; induciis indentidem gaudens, quæ ad non nullos menſes accedebant Poſt quinque annos ſub hoc ſtatu, ingruente graviſſimo paroxyſmo, morte fuit ſublatus.

Inveniebatur veſica ſpiſſa carnoſa, nigra & gangrænoſa, cum callis aliquot duris & exulceratis. Præter calculum magnum, occurrit foramen in veſicâ, quod exitum largiebatur colluviei purulentæ & fœtidæ, in cavum abdominis, ad menſura ſex collectæ. PLATERUS.

OBS. 1279. Juvenis ſponſus tres & viginti annos natus incidit in *iſchuriam*. Tumet abdomen cum maximo *dolore* & *vomitu*. Fruſtrà immittitur catheter, & varia adhibentur remedia. Tandem ulteriùs increſcente abdomine; cæteriſque in pejus ruentibus, fatis conceſſit.

Reſerato abdomine, veſica in fundo diſrupta ita hiabat, ut

duos digitos rimæ immittere liceret, per quam lotium in abdomen effluxit. PEIERUS.

VESICA.

OBS. 1280. In cadavere cujuſdam matronæ quæ per multos annos inter varia ſymptomata, *mictionem cruentâ* & *purulentâ* laborabat, invenitur ren dexter planè conſumptus; ſuperſtite tunicâ recondente materiam purulentam, calciformem & pultaceam. Ren ſiniſter plurimis veſiculis ſcatebat, cum inſigni copiâ puris. Veſicæ fundus gangrænâ perforatus deprehenditur. MECKEREN.

OBS. 1281. Quidam juvenis dolore torquebatur à duobus calculis in veſicâ latitantibus, qui continuo attritu veſicæ tunicas conſumpſerunt, unde lotium diffundebatur in abdomen. Hinc emergit *dolor* acris, cum *continuâ meiendi difficultate*. Accedunt extrema macies, & mors. Hæc exhibuit cadaver. TULPIUS.

OBS. 1282. Virgo quinquagenaria jampridem *dolore circà inguina*, & *pubem*, conflictabatur; cum tandem ſupervenit ventris tumor, cujus incrementum mors ſequuta eſt.

Abdomen urinâ plenum extitit. Uterus erat ulceratus. Veſica quoque labefactata, aliquot foraminibus hiabat, per quæ urina in ventrem delata fuerat. DODONEUS.

OBS. 1283. Quidam *veſicæ calculo* laborans, poſt varios cruciatus, *convulſionibus* corripitur, quibus rigidus evadit, & tandem è medio tollitur.

Occurrit veſica duobus inſignibus calculis ità attrita, ut effuſa ex eâ urina per univerſa inteſtina liberè fluctuaverit. BONETUS.

OBS. 1284. Quidam ebrius humi ſtratus, veſicâ turgidâ, ab *inflicto ictu in hypogaſtrium*, incidit in *tumorem ventris*, ſuppreſſis urinis.

Diſſectum cadaver exhibuit veſicam diſruptam, cum urinâ per totum abdomen effuſâ. PLATERUS.

VESICA. OBS. 1285. Senex omnem *urinam per podicem*, ſinè inſigni moleſtiâ excernebat. Poſt ejus obitum reperitur urethra circà ſphincterem ſcirrho occluſa; veſicâ eroſâ, & hiante in rectum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 1084, 1266, 1286, 1581, 1752.

---

## *Tumores veſicæ adnati.*

OBS. 1286. Quidam à nimio recentis vini uſu *colicâ & iſchuriâ* corripitur. Paulò poſt accedit febris; *tumet venter*, cum duritie & renitentiâ. Duodecimo die extrahitur urina ad libras quinque, ope catheteris; & ſic deinceps. Notandum exilem catheterem nuſquam potuiſſe in veſicam immitti, ob obſtaculum quod circà ſphincterem latitabat; craſſior verò multò faciliùs. Tandem urina per alvum fluit; & viribus deficientibus placidè expiravit.

Invenitur ſcirrhus ad ovum gallinaceum accedens in ipsâ veſicâ ante collum. Ex cavitate præterea veſicæ uſque ad inteſtinum rectum, ulcus quaſi fiſtuloſum conſpiciebatur. Uterque ren inſignis magnitudinis, pluribus hydatidibus extùs obſitus conſpiciebatur. Hepar denique partim ſcirrhoſum deprehendebatur. FABR. HILDANUS.

OBS. 1287. Vir ſex & quinquaginta annorum, *febre* cum *dolore renum* & *hæmorrhoïdum* corripitur. Accedit *ſtranguria*; vires deficiunt; ſufflaminatur urina atque ſuboritur *tumor* magnus & intenſus *circà veſicæ regionem*. Duodecimo morbi die extrahitur urina catheteris beneficio. Dein creſcit abdominis tumor, cum imminente ſuffocatione. Urina haud amplius educitur, ob denegatum catheteris ingreſſum. Tot denique laboribus fractus animam Deo reddidit.

Veſica, papyri inſtar madefactæ, vel levi attactu diſcerpebatur: copioſum phlegma, cum multis arenulis continebat. Ad ſphincterem occurrebat caruncula calloſa, quæ meatûs orificium obſtruebat. Ren dexter calculis & arenulis infarctus deprehenditur. GASSENDUS.

OBS. 1288. Quidam novem & quadraginta annorum; poſt

equitationem, *urinæ ſuppreſſionem* patiebatur; cui mox ſucceſſerunt febris, *ſingultus*, *tumor & dolor circà inguina.* Urina cathetere extrahitur: ſed in collo veſicæ occurrit quidam obex. Poſt quinque ſeptimanas extinctus eſt. VESICA.

Reperiuntur in veſicâ bina tubercula, utrinque orificio appoſita, formâ & magnitudine teſtium. Horum ſubſtantia erat candida, & quaſi glandulosa. Proximiores veſicæ partes gangrænoſæ conſpiciebantur. BARTHOLINUS.

OBS. 1289. Vir ſexagenarius in *iſchuriam veſicarem* incidit. *Venter* ſenſim *tumet.* Denegatur catheteris immiſſio ob peculiarem obicem ſub ingreſſu in veſicam ſitum; hinc brevi accedit mors.

Veſica ab urinæ copiâ in immenſam molem adducta, ad binos pollices ſuprà umbilicum aſcendebat. Inciſa exhibet tuberculum in cervice ſitum, urinæ exitum, & ingreſſum catheteris præpediens. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1290. In cadaveribus trium virorum *iſchuriâ veſicari* denatorum, reperiebatur circà cervicem veſicæ tuberculum ad avellanæ molem accedens, imò & ſuperans, quod ratione ſitûs urinæ egreſſum præcludebat; haud tamen obſtans catheteris intromiſſioni. Nil aliud erat quàm uvula veſicæ tumida de quâ in ACTIS ACAD. REG. Scientiarum. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1291. Vir ſeptuagenario major, ſatis vegetus, refrigeratis pedibus; undecimo hinc die in *urinæ ſuppreſſionem* incidit. Hanc ſequitur febricula; ac demùm, omnibus incaſſùm tentatis, mors.

Veſicæ orificio appendicula calloſa, interiùs adnata, in articuli magnitudinem excreverat; ſic ſita ut præpediret lotii fluxum, & ingreſſum catheteris. Veſica lotio turgebat. RHODIUS.

OBS. 1292. Septuagenarius incidit in *iſchuriam, doloribus ingentibus ſtipatam.* Viribus tandem deficientibus duodecimo morbi die, inter tormina expiravit.

Circà cervicem veſicæ occurrit tuberculum, ovi gallinacei magnitudine. Renes & ureteres inculpati cernebantur. Dexter pulmo nonnihil putridus deprehenditur. REISELIUS.

VESICA. OBS. 1293. Exenterato cadavere cujuſdam *iſchuriâ veſicari* extincti, deprehendebatur corpus quoddam glandulofum, in cavum veſicæ protuberans, & in cervice ſitum; quaſi proſtatæ adnatum, quod ingreſſum catheteris præpediebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1294. In cadavere cujuſdam qui *mictu aſſiduo*, cum *graviſſimis doloribus*, & pertinaciſſimis, laborabat, inventus eſt tumor, inſtar ovi anſerini, viſcidâ, tenacique materiâ repletus. Totum veſicæ corpus ità erat durum & calloſum, ut novacula vix diſſecari potuerit. ZACUTUS.

OBS. 1295. Exenteratum cadaver cujuſdam *hydrope aſcite* ſublati, exhibebat in orificio veſicæ protuberantiam ſubrotundam, uvæ acini magnitudine, quæ ſi magis excreviſſet urinæ fluxum, procul dubio, impediviſſet. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1296. Luſtrato corpore cujuſdam qui *diabete ſpuriâ* laboraverat, contracta reperta fuit veſica, cum tumore, & gangrænâ in ejus cavo. BALLONIUS.

OBS. 1297. In cadaveribus variorum *iſchuriâ* interemptorum, excreſcentiam fungoſam, juxtà orificium internum, veſicæ adnatam vidit RIOLANUS.

OBS. 1298. Quidam inter *iſchuriam* denatus, ſectione exhibet in cervice veſicæ carunculam quæ urinam ſupprimebat. BALLONIUS.

Proſtat affinis caſus in obſervatione Libr. I. 1124.

## *Veſica ſcirrhoſa.*

OBS. 1299. Quidam nobilis, *lithiaſi* laborans, lithotomiæ ſubjicitur. Vulnere glutine nutritio, paulò citiùs fortè quàm par eſſet, ferrruminato; de *dolore veſicæ* queritur, cum *tumore* in

*in perineo*, ſenſim ad pugni magnitudinem accedente. Intereà ſæviente dolore ad ſectionem tumoris devenitur, cujus ope extrahitur lapis ingens, ſitus inter peritoneum & veſicam. Vulnus in fiſtulam abit, quâ lotium deinceps fluebat, haud ſine magnâ moleſtiâ; ſub quo ſtatu vitam duxit miſeram per ſeptemdecim annos. VESICA.

Secto cadavere deprehendebatur lapis cum purulentiâ in utroque rene. Veſica corpus ſcirrhoſum ſolidum mentiebatur; relicto duntaxat anguſtiſſimo canali in medio ad urinæ fluxum. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 1300. Quidam in quo *omnia calculi ſigna* adfuerunt, niſi quod, cum cathetere immiſſo nil calculoſi deprehendi potuit; tandem morbi ſævitie extinguitur.

Inter ſectionem cadaveris inventus eſt ſcirrhus, vel tumor durus in veſicâ, qui adeò creverat, ut totam veſicam impleret; vixque ſpatium quod urina, ubi in veſicam influit, permeare poſſet, reliquiſſet. FABR. HILDANUS.

OBS. 1301. In cadavere puellæ, quæ *veſicæ calculo* jamdiù torquebatur, reperitur veſica dura, calloſa, & craſſa, duos calculos continens. Ren dexter deficiebat. Siniſter triplo major copioſo pure, innumeriſque calculis, & arenulis, ſcatebat. MECKEREN.

OBS. 1302. Vir provectæ ætatis *mingendi difficultate*, cum *maximis doloribus*, aliquot annos, laborabat, cùm tandem fatis ceſſit.

Occurrebat ſcirrhus ingens in veſicâ ad capitis infantis magnitudinem accedens. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1303. Septuagenarius *iſchuriâ pertinaciſſimâ* conflictabatur, quâ demùm poſt magnos perpeſſos dolores, vitam cum morte commutavit.

Reperitur veſicæ cervix dura alba & ſcirrhoſa; ejus verò corpus inflammatum, & ſphacelatum. DEODATUS.

Qq

VESICA.

OBS. 1304. Quidam *ſtranguriâ* laborans, cum *immani dolore* in veſicâ, & lotio purulento, tandem obiit.

Luſtrato cadavere, deprehenditur veſica omninò calloſa, puſtuliſque piſum æquantibus referta; quâ compreſſâ prodibat pus album. PARÆUS.

---

## *Veſicæ excreſcentiæ fungoſæ.*

OBS. 1305. Obiit vir mediæ ætatis, qui jam per multos annos, *mictu ſanguineo* laboraverat; ultimis autem menſibus *carunculas cum urinâ* excreverat.

In hâc, præter aquam in pectore & abdomine, reperitur veſica lotio cruento diſtenta, continens fungum inſignem adnatum lateri dextro, ovi gallinacei magnitudinem ſuperans; & ulceroſum. BLASIUS.

OBS. 1306. In cadavere cujuſdam *diuturno veſicæ dolore*, cum *ſtranguriâ* & urinæ purulentæ excretione, vexati, inveniebatur veſica craſſiſſima, è cujus interiori tunicâ propullulabant variæ excreſcentiæ carneæ, & duræ; quæ pro ſcabie veſicæ ab adſtantibus habebantur. RUYSCHIUS.

OBS. 1307. Sexagenarius poſt *dolores acerbiſſimos* à calculo veſicæ, in *iſchuriam* incidit. Lithotomo ſe ſubjecit, cujus ope calculus trium unciarum extrahitur. Die vigeſimo quinto à ſectione obiit.

Luſtratis partibus læſis, inveniuntur novem corpora quaſi pyramidalia, veſicæ intùs adnata. DRELINCURTIUS.

---

## *Veſica cum appendicibus.*

OBS. 1308. Vir ſeptem & quinquaginta annorum, debilis conſtitutionis, *ſaburram arenoſam* aliquando deponebat, *cum ardore urethræ* inter meiendum. Poſt annum morbus exacerbatur: urget *ſtranguria*, cum *teneſmo*. Tùm exeuntem urinam comitabatur *dolor* acerbiſſimus præſertim *in glande*. De ingenti dolore in dorſo querebatur: urinæ pallidæ deponebant ſedimentum mucoſum,

cum granis arenoſis craſſioribus, & nonnullis lapillis, qui haud rarò tritici granum æquabant. Nullus erat, cathetere immiſſo, ad veſicam aditus, ob repagulum, uti videbatur, carnoſum. Intereà erumpit *circà pubem tumor*, qui ſenſim ad pugni magnitudinem accedit, cum fluctuatione, & nonnullis inflammationis notis; quo-compreſſo dolebat veſica; & micturiebat æger. Poſt quemvis corporis motum *urinæ* erant *cruentæ*, cum ſuſpicione puris. Tandem omnibus in pejus ruentibus incandeſcit febris, & poſt viginti dies, doloribus attritus, obiit.

VESICA.

Secto cadavere ſequentia fidelibus oculis objecta fuerunt. Proſtrata nempè quadruplo major, quàm naturalis fert conformatio. Veſicæ corpus craſſum, contractum, cum variis cuniculis, innumeris lapillis rotundis ſcatentibus. Ad ſiniſtrum latus perforata videbatur veſica deſinens in ſaccum, qui veſicam adſcititiam multò ampliorem repræſentabat, continentem ſaburram putrem, vel olidum mucum, qui maximo niſu & immani dolore à miſello ægro profundebatur. Ren inſuper dexter totus erat purulentus. MAYERNE.

OBS. 1309. Vir ſexagenario major, aliàs ſanus & robuſtus, incidit in *iſchuriam veſicæ*, cum quodam *ſenſu ponderis in abdomine:* ſed de nullo dolore conquerebatur. Perſiſtente morbo, tandem obiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniebat veſica cum binis appendicibus, ſacciformibus, & urinâ turgidis. Præterea occurrebat inteſtinum colon à flatibus ultrà modum diſtentum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1309. (*a*) In cadavere cujuſdam pueri, *hydrope anaſarcâ* extincti reperiebatur membrana interna veſicæ quæ areolas contextus lacertoſi ſubierat; efformans ſaccum quemdam cochlear urinæ circiter unum continentem. PORTAL.

## *Calculus veſicæ.*

OBS. 1310. Quædam fœmina quadragenaria à triennio *doloribus nephriticis* laborans, febre malignâ corripitur, quâ feliciter curatâ, recrudeſcunt dolores nephritici, qui *ad inguina* propagantur, *cum quodam pondere.* Malo in dies creſcente, perſentitur gravitas circà pubem, quam concomitatur *mictio involuntaria*, *ardens*, & purulenta,

VESICA. *cum deſidendi deſiderio.* Obſtetrix cui ſe commiſit ægra affectum pro uteri prolapſu recognovit. Omnibus poſtremò in deteriora ruentibus, vitam cum morte commutavit.

Exenterato cadavere, in propatulum veniebant renes, & ureteres ſabulo albo infarcti, & putredine quaſi tacti. In collo veſicæ durus lapis invenitur duas uncias pendens. Uterus ſolito grandior materiâ quâdam albâ, viſcidâ & compactâ erat repletus; cum inflammatione, & exulceratione pudendorum. THILESIUS.

OBS. 1311. Mulier quinquagenaria è vineis redux *acutiſſimos dolores* ſubitò ſentit *in abdomine* & *circà inguina;* quibus per quatuor annos continuis, lecto affixa manet. Inſuper fertur per alvum dejeciſſe, præcedentibus doloribus immanibus, officula, lapillos, ligna, ariſtas, &c. Tandem tabe conſumpta, moritur.

Inter diſſectionem cadaveris, invenitur pubis valdè protenſum & craſſum; ac ſubſtantiâ tophaceâ quaſi incruſtatum. Veſica erat ſphacelo corrupta, & intùs tota exulcerata, continens calculum, ovi gallinacei magnitudine, album & echinatum. Alius erat paulò minor in urethram adactus. HERMANNUS.

OBS. 1312. Vir ſexagenarius. *dyſuriæ & ſtranguriæ* obnoxius; graviſſimum paroxyſmum ter quaterve quotannis patiebatur; quem præcedebat lotium copioſius, cum alvi exoneratione. Dein ad lapidis quaſi duritiem *diſtendebatur abdomen*; & utraque ſupprimebatur excretio; urinâ ardentiſſimâ guttatim fluente. Durabat hæc aceſſio dies aliquot; tandem inter graviorem occubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, reperitur in veſicâ lapis ſcaber & durus; cujus color erat fuſcus; & pondus trium unciarum; nullâ adhæſione. BINNINGERUS.

OBS. 1313. Vir ætatis quadraginta annorum per plures annos *dyſuriâ & ſtranguriâ* torquebatur. Ingraveſcentibus ſymptomatibus cogitatur de cytotomiâ; ſed vires minimè ſinunt. Tandem inter cruciatus fato functus eſt.

Deprehenduntur renes urinâ turgidi & diſtenti, cum ureteribus etiam ampliſſimis. Veſica continebat calculum ad uncias quinque accedentem; præter quem alius reperitur minor in veſicæ ſubſtantiâ deliteſcens. Hepar inſuper lividum & corruptum occurrit. Pulmones quoque malè affecti videbantur. CATTIERUS.

OBS. 1314. Quidam diris *cruciatibus nephriticis*, ac interdum *mingendi difficultate*, tenebatur. Excrementa dura & nigra excernebat. Immiſſo in veſicam cathetere, nullus deprehenſus fuit calculus. Dein *urina* excernitur *cruenta*: atroces mingendi conatus in dies ingraveſcunt; quibus tandem morte liberatus fuit.

Reſerato abdomine, ingens lapis erat in veſicâ, quæ intùs tota carnoſa, & multis filamentis intertexta, nonnullas gangrænæ notas oſtendebat. PLATERUS.

OBS. 1315. Vir ſexagenario major, lacertoſus & viribus valens, nulla præviâ ægritudine, *ſtranguriâ* corripitur cum *dolore circà glandem* penis. Poſt annum integrum in genuinam *iſchuriam* incidit, cui medetur catheter: inter cujus uſum febre ardente corripitur, cephalalgiâ atrociſſimâ, ſiti & vigiliis ſtipatâ. Accedente demùm ſingultu obiit.

Secto abdomine, reperitur lapis mirè ramoſus & quaſi echinatus; vel vegetationis ſpeciem accuratè referens. EX ACTIS LONDINENSIBBUS

OBS 1316. Quidam ſeptuagenarius *ſtranguriâ* laborabat, cum vehementi ſimul *egerendi cupidine*. Urina erat ſabuloſa & cruenta. Inter hunc rerum ſtatum, accedit febris cum ſiti & linguæ ſcabritie, quâ brevi e medio tollitur.

Introſpecto cadavere, inveniebantur in veſicæ alveo duo lapides inæquales & horridi, acutis eminentiis obducti. Conſpiciebatur facies interna veſicæ aphtis lividis & nigris; atque pluribus ulcuſculis defœdata. CALDERA.

OBS. 1317. Vir provectæ ætatis, per plures annos *calculo veſicæ* conflictatus; tandem atrociſſimis enervatus doloribus, ad plures migravit.

Ureter ſiniſter calculum fovebat, magnitudine avellanæ. In veſicâ verò deprehendebatur calculus, ſat grandis, ruffus & ſiliceus, novem uncias pendens. Veſicula fellis plures pſeudo-lapides continebat. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1317. (*a*) Vir ſexagenarius *lithiaſi* conflictatus tandem in *iſchuriam* pertinaciſſimam incidit. Adacto cathetere ut via lotio

VESICA. panderetur erumpit ſanguinis mictus quem excipit materiæ mucoſæ & purulentæ excretio uſque ad obitum.

Renes deprehenduntur ſani ; veſica verò nonaginta calculos cicera magnitudine æquantes vel ſuperantes continebat. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1318. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viri quinque & quinquaginta annorum, poſt dolores *nephriticos* & *arthriticos* contumaciſſimos demortui, reperiebatur in veſicâ ingens calculus triangularis & decem uncias pendens. HELWIGIUS.

OBS. 1319. Luſtratis interaneis cujuſdam qui, poſt immanes *à lithiaſi dolores*, occubuerat, deprehendebatur in veſicâ lapis inſtar ovi anſerini. Præterea veſicula fellea tres & quinquaginta calculos biliares recondebat. VECKERUS.

OBS. 1319. (*a*) In cadavere cujuſdam viri *lithiaſi* laborantis, & poſt immanes dolores extincti, in propatulum veniebat lapis ingens in veſicâ deliteſcens. Inſuper cyſtis fellea concretionibus biliaribus etiam ſcatebat. SALMUTHUS.

OBS. 1320. Quidam integro triennio *urinæ difficultate* laborabat ; cum maximâ calculi veſicæ ſuſpicione. Superveniente tandem febre comatosâ, occubuit.

Inter ſectionem cadaveris occurrit veſica continens calculum quindecim uncias pendentem. BEVEROVICIUS.

OBS. 1321. Sexagenarius melancholicus *dyſuriâ* & *ſtranguriâ*, diu noctuque, torquebatur. Urina erat alba, nonnunquam fœtida, & turbida. Ingraveſcente malo, obiit.

Cadaver in apricum protulit geminos calculos aſperos, quorum major ad uncias quatuor accedebat. THONERUS.

OBS. 1322. Vir duodetriginta annorum *ltihiaſi* diù excruciatus, tandem incidit in febrem lethalem.

Inveniuntur in veſicâ ſeptem calculi, formâ & magnitudine nucis juglandis, omnes æquales mole & pondere. PAWIUS.

OBS. 1323. In cadavere cujuſdam qui diù *veſicæ calculo* laboraverat, inveniebatur lapis duo & triginta uncias pendens, compactus & duriſſimus; ex quo ſcilicet, ut ex ſilice, eliciebatur ignis. ZACUTUS. VESICA.

OBS. 1324. Quidam theologus jamdiù *dyſuriâ* & *ſtranguriâ* conflictatus, tandem doloribus victus occubuit.

Eviſceratum cadaver exhibebat veſicam foventem ingentem calculum, quatuor ſcilicet & triginta uncias pendentem. LOSSIUS.

OBS. 1325. Inciſo cadavere cujuſdam pueri *dyſenteriâ* & *ſtranguriâ* per plures annos laborantis, deprehendebatur in veſicâ lapis duriſſimus, plus quàm ſeptem uncias pendens. VALLESIUS.

OBS. 1326. De lapide in veſicâ cujuſdam *calculoſi* reperto, ponderis libræ Anglicæ, mentionem ſubjecit. HELMONTIUS.

OBS. 1327. In cadavere ſenis *veſicæ doloribus* enecati, novem reperiutur lapides, nucis avellanæ magnitudine, cum erosâ veſicâ. FONTANUS.

OBS. 1328. Decem lapides ova columbina æquantes; in cadavere cujuſdam ſenis *immanibus doloribus* confecti. Vidit BRASSAVOLUS.

OBS. 1329. Corpus cujuſdam *lithiaſi* laborantis exhibebat plusquàm quinquaginta lapides, avellanæ magnitudine. FONSECA.

OBS. 1330. In alio *ſimili affectu* extincto tres lapides portentoſæ molis ſe inveniſſe teſtatur. DONATUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 505, 1091, 1110, 1684.

VESICA.

## *Lapides corpus extraneum recondentes.*

OBS. 1331. Juvenis viginti annorum ictus fuit à globulo ſclopetario ad coccygem. Curatum fuit vulnus, globulo in corpore deliteſcente. Quindecim elapſis annis de *dyſuriâ & dolore ad veſicam* conqueritur. Tandem exacerbatis doloribus, accedente febre continuâ, è vivis deceſſit.

Secto cadavere, deprehendebatur in veſicâ calculus, ovi magnitudinem adæquans, & recondens in medio globulum plumbeum. OFFREDUS.

OBS. 1332. In cadavere cujuſdam viri robuſti & quadragenarii, inveniebatur in veſicâ calculus etiam recondens globulum plumbeum. Se circâ inguen, obviâ cicatriculâ, olim à viginti annis, *globo læſum* fuiſſe & globum evanuiſſe, amicis ſuis narrare ſolitus fuerat. SEGERUS.

Affinem caſum præbet obſervatio Libr. I. 1247.

## *Lapides tunicati.*

OBS. 1333. Quidam ſenex *veſicæ calculo* jamdiû laborans, præter *acerbos cruciatus inter mingendum*, rariſſimè deambulabat, ſine doloris ſenſu. Variis tamen gaudebat intermiſſionibus inter quas videbatur ſaniſſimus. Doloris expers per integrum quinquennium, ſubitò omnimodâ *urinæ ſuppreſſione* corripitur, quâ perſiſtente è vivis tandem diſceſſit.

Luſtrato cadavere reperiebatur durus tumor propè veſicæ cervicem ſitus, qui urinæ fluxum præpediebat. Erat ſaccus in ipſâmet veſicæ tunicâ efformatus, qui duos ingentes calculos recondebat. TULPIUS.

OBS. 1333. (*a*) Juvenis quidam jamdiu *lithiaſeos* doloribus vexabatur; cum exaſperatis doloribus è vivis tollitur.

Occurrunt tres calculi in veſicâ, mole ad ovum columbinum accedentes, quorum unus deliteſcebat in proceſſu ſacciformi membranæ internæ veſicæ. PORTAL.

OBS. 1334.

OBS. 1334. Quidam juvenis per biennium *dyſuriâ*, *cum excretione variorum lapillorum*, laborabat. Accedebat ſpirandidifficultas, cum tuſſi & dolore capitis immani. Quibus exacerbatis in orci fauces præceps delabitur.

Deprehenduntur pulmones ſcirrhoſi plevræ & diaphragmati accreti. Ileum varias ecchymoſes exhibebat. Colon ultrà modum conſtrictum vix minimum digitum admittebat. Veſica verò tres lapides tunicatos recondebat qui avellanæ molem vix ſuperabant. WATERUS.

OBS. 1335. In cadavere cujuſdam juvenis viginti annorum, *lithiaſi* extincti, viſicæ pars ſiniſtra erat inflammata, cum ulcere exiguo. Juxtà idem latus protuberabant bini tumores à totidem lapidibus, qui foveâ intrà veſicæ fibras inſculptâ recipiebantur; quorum alter ad avellanæ magnitudinem accedens erat ſuperficie aſperâ; alter quaſi triangularis & acuminatus videbatur. Ren inſuper ſiniſter ulcere tactus deprehenditur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1336. Vir ſexagenario major *calculo veſicæ* laborabat. Tribus lapidibus lithotomiâ extractis, inter atrociora tormina; ingruit febris ardens, prævio rigore: urinæ ſufflaminantur: venter tumet, accedit delirium, & quinto ab operatione die è medio tollitur.

Proſtata tumida, & ſcirrhoſa deprehenditur. Occurrunt in veſicâ tres lapides, intrà foveas veſicæ lateribus inſculptus adacti; adeò ut inibi erant quaſi incarcerati. EX ACTIS CHIR. PARIS.

OBS. 1337. Vir quinque & ſeptuaginta annorum, poſt diuturnos & *accerbiſſimos veſicæ cruciatus*, ſectionis periculum ſubire voluit. Nullus lapis manu lithotomi deprehenſus, aut exemptus eſt. Octavo poſt operationem die moritur.

Veſica continebat triginta lapides in propriis tunicis incluſos; in peculiaribus quibuſdam alveolis, quibus tota veſica replebatur, exiguo tantùm meatu emiſſioni urinæ relicto. HOLTZAPPELLIUS.

OBS. 1338. Quidam mercator *dyſuriâ* & *ſtranguriâ*, aliiſque omnibus calculi ſignis, & ſymptomatibus torquebatur: ſed immiſſo cathetere in veſicam, nil deprehenditur. Omnibus intereà in pejus ruentibus ultimum diem clauſit.

VESICA. Exenterato cadavere, & ſectâ veſicâ inveniebantur duo magni calculi, membranâ ſeorſim incluſi. HOLLERIUS.

OBS. 1339. Juvenis trium & viginti annorum *calculo veſicæ* laborans, lithotomiæ ſubmittitur; quâ nonnulla duntaxat lapidis ramenta extrahuntur. Poſtridiè obiit.

Luſtrato abdomine deprehendebatur in veſicâ lapis variis prominentiis exaſperata, nidulans in peculiari cyſti à retropulſis veſicæ membranis efformata. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 1340. Vir ſexageſimum ætatis annum agens, macilentus & debilis, jamdudùm *lithiaſi* laborans, incaſſùm celebratâ cyſtotomiâ, ad plures migrat.

Inter cadaveris exenterationem occurrebat lapis, parvum ovum gallinaceum æquans, in veſicæ quâdam foveâ, cujus aditus anguſtior erat fundo, reconditus. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 1341. In cadavere cujuſdam æthiopis quindecim annorum; & *calculo laborantis*, bis infauſto ſuceſſu ſecti, invenitur in parte poſticâ veſicæ, lapis incarceratus in quâdam cyſti callosâ, & in corpus veſicæ quaſi immersâ. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 1342. Vir quidam, omnibus *lapidis in veſicâ ſignis*, vitam moleſtiſſimam trahebat. Immiſſo cathetere nullus perſentitur lapis. Poſt multos tandem cruciatus è vivis deceſſit.

Aperto cadavere invenitur lapis ingens in veſicâ, involucro anguillæ pellis inſtar, circumveſtitus. DONATUS.

OBS. 1343. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam *calculo* jamdiu *conflictati*. In propatulum veniebat intrà veſicam calculus peculiari membranâ involutus, & veſicæ tunicis arctè alligatus. TULPIUS.

OBS. 1344. In cadavere cujuſdam qui *omnia calculi ſigna* exactè habuerat, licèt immiſſo cathetere explorari nequiverit, reperie-

batur in veſicâ lapis nuci juglandi haud abſimilis, & propriâ quaſi tunicâ obvallatus. VERZASCHA. VESICA.

OBS. 1345. Quidam à multis annis *calculo* atrociter vexabatur. Nullus tamen lithotomus unquam calculum in ipſo deprehendere potuit. Poſt obitum reperti ſunt calculi peculiari ſacculo veſicæ adnato incluſi. BAUHINUS.

OBS. 1346. In cadavere cujuſdam inter *calculi tormina* extincti, reperiebantur in veſicâ duo lapides à corrugatis veſicæ tunicis arctè circumdati. Præterea alter ren putredine erat conſumptus. TULPIUS.

OBS. 1347. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam mulieris, *febre malignâ* ſublatæ, *nullis*, dum viveret, *doloribus nephriticis* conflictatæ, reperitur in rene ſiniſtro calculus triangularis peculiari cyſti obvolutus, & immobilis. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 1348. Quidam ſenex poſt acerbiſſimos cruciatus plurimos *calcutos* eminxit. Tandem inter *iſchuriam* obiit. Fluctuabant in fundo veſicæ undecim calculi, præter duos ſat inſignes qui intrà veſicæ tunicas latebant. TULPIUS.

OBS. 1349. In cadavere cujuſdam *calculoſi*, deprehendebantur novem lapides in totidem ſaccis, è veſicâ prognatis; adeò ut ſic ſiti omnem catheteris explorationem fugerent. Ren ſiniſter ſemi-putridus occurrit. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1350. Inter exenterationem cujuſdam viri ætatis conſiſtentis, *lithiaſi* extincti, detegitur lapis reconditus in cellulâ, proceſſu quodam membranaceo, è laminâ veſicæ internâ oriundo, conflatâ & accuratè clausâ. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 1351. Secto cadavere cujuſdam, poſt diuturnos *calculi cruciatus*, interempti, reperiebantur in veſicâ novem & triginta

VESICA. calculi, figurâ & magnitudine diſpares. Latitabat unuſquiſque in ſuo receptaculo membranacco. TULPIUS.

OBS. 1352. Inter anatomen cujuſdam viri quinquagenarii inter *calculi tormina* extincti, reperiebantur tredecim calculi, in totidem veſicæ cellulis adacti. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIBUS.

His ſubnectere licet obſervatio Libr. I. 1265.

---

*Lapides lihontriptico eroſi.*

OBS. 1353. Viro octo & quinquaginta annorum, *calculo veſicæ* cathetere explorato, exhibetur remedium lithontripticum Anglicanum; cujus ope materiam viſcidam, ſabuloſam, cum laminis & ramentis lapideis excernebat; imò & calculum nuclei olivæ molem æquantem. Elapſis octodecim menſibus, doloribus fugatis & lotio liberè fluente, benè ſe habebat æger; adeò ut medicamen haud ultrà propinatur. Poſteà *arthritici* obnoxius, *ſtranguriam* fugacem nonnunquam patiebatur. Poſt duodecim annos *dolore ſtomachi* atrociſſimo, *immani vomitu* ſtipato, è medio tollitur.

Secto cadavere inveniebatur pylorus tumidus & obſtructus: renes erant putridi & purulenti: ac deliteſcebat in veſicâ lapis cruſtâ mucosâ obductus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1354. Quinquagenarius *calculo veſicæ*, cathetere explorato, conflictabatur, cum febre lentâ & maraſmo; ac omnibus ſignis ulceris in veſicâ. Huic tamen remedium Anglicanum per menſem ſubminiſtratum fuit. Poſteà morbo in pejus ruente, ad incitos redactus, occubuit.

Lapis inventitur in veſicâ ad minoris ovi gallinacei molem accedens; in quam ſtupendum effectum exeruerat laudatum remedium: etenim ferè tota ſuperficies erat eroſa. Prætereà renes, & veſica, exulcerata deprehendebantur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1355. Quidam quatuor & triginta annorum, lapidem in veſicâ geſtabat cum ſignis exulcerationis in ipſomet organo. Ipſi propinatum fuit lithontripticum Stephen per tres menſes; quibus elapſis exacerbantur dolores, & cætera ſymptomata, uſque ad obitum. VESICA.

Occurrit lapis in veſicâ ad majoris caſtaneæ molem accedens, paſſim eroſus & altè excavatus; quaſi fuiſſet aquæ ex alto cadenti diù ſubjectus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1356. Vir quatuor & ſeptuaginta annorum poſt uſum lithontriptici Anglicani per tres menſes, lithotomiæ ſubmittitur; cujus ope extrahitur lapis aſper & inæqualis; ejus enim laminæ ſuperiores mirum in modum abſumptæ, inæqualiter, deprehenduntur. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

## *Lapides innoxii.*

OBS. 1357. In cadavere cujuſdam nobilis ſexagenarii, qui dum viveret *nullam de lithiaſi ſuſpicionem* habebat, & inſultu apoplectico illicò ferè ſublatus fuerat, reperiebatur in veſicâ lapis ingens accuratè ſphericus, & ſummè perpolitus, mali aurantii magnitudinem fermè æquans, & ſilicis inſtar duriſſimus E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1358. Vir ſeptuagenarius *febre* quâdam *lentâ*, ut plerumque ſolent ſenes, cum apepſiâ, virium languore aliiſque ſymptomatibus laborabat, quibus tandem mortalitatem exuit.

Erat in veſicâ calculus duriſſimus, & pyriformis, in medio ſecundùm longitudinem pervius ad urinæ fluxum; qui quatuordecim uncias pendebat. Nulla fuerat calculi ſuſpicio. LOSSIUS.

OBS. 1359. Nonagenarius integrâ valetudine vixit. Poſteà feliciter præ caloris vivifici inopiâ extinguitur. Neque de urinæ ſuppreſſione, nec *de dolore veſicæ unquam* queri auditus eſt.

Inventi ſunt in veſicæ alveo tres lapides leves & totâ ſuâ ſuperficie æquales, quorum major ad ovum columbinum accedebat. BONETUS.

VESICA. OBS. 1360. In cadavere cujuſdam qui dum viveret *omni calculi ſigno carebat*, lapis in veſicâ quam inſcius & abſque moleſtiâ geſtabat, repertus fuit. MERCURIALIS.

---

*Veſicæ defectus nativus.*

OBS. 1361. Inter exenterationem cujuſdam viri, ætatis quinque & triginta annorum, *frequenti mictione* per totum vitæ tempus laborantis, annotatur, haud citrà omnium admirationem, veſicam planè defeciſſe. Ureteres verò, qui veſicæ munia obibant magni admodùm, vel ſummè dilatati deprehendebantur; & circà pubem coëuntes, in urethram deſinebant. BLASIUS.

De Veſicâ inflammatâ vide, Libr. I. obſervationem 1567.
——— gangrenosâ vide, Libr. I. obſerv. 1257, 1303, 1592, 1681; Libr. II. 331.
——— putri, vide obſervationem Libr. I. 1402.
——— falsò incuſatâ, vide obſervationem Libr. I. 615.
De Herniâ veſicæ, vide obſervationem Libr. IV. 135.

---

# *SECTIO DUODECIMA.*

## DE UTERO.

---

*Uteri inflammatio.*

OBSERVATIO 1362. Puerpera ſuppreſſis lochiis de *dolore in regione uteri* durâ & tumidâ querebatur cum *febre*, cephalalgiâ & tuſſi. Quarto die poſt paſtum in ſeſe concidunt mammæ; & poſtridiè obiit.

Uterus & ovaria phlogoſi tacta deprehenduntur. Inteſtina materiâ quadam lacteâ obducabantur. Simili fermè humore ſcatebant pulmones; cum copiâ ſeri ſubalbicantis tum in pectore, tum in abdomine. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

---

*Uterus ingens & infarctus.*

OBS. 1363. Juvenis mulier extrà tempus imprægnationis,

*fluori albo copioſo* obnoxia, cum *doloribus* gravativis immanibus *in regione hypogaſtricâ*, incidit in hydropem uterinum; ac tandem poſt ingentes cruciatus, obiit.

UTERUS.

Secto cadavere, hæc ſe obtulere. Uterus ſcilicet ingens & ponderis centum librarum; qui aquæ ſubcruentæ octo & viginti pintas continebat; præter quatuor molas, quarum major ad magnitudinem capitis fœtus nonimeſtris accedebat. Erant inſuper varia corpora, quaſi glanduloſa, materiâ albâ & viſcidâ infarcta. Non apparebant ovaria & tubæ. Meſenterium firmiter utero annectebatur. Ac demùm jecur erat aridum. CARONIUS.

OBS. 1364. Viduæ quinquagenariæ *venter tumuit*, ſine noxâ. Sed increſcente in dies tumore, *moleſto pondere* querebatur. Intereà artus inferiores fiunt œdematoſi. Morbo per quadriennium perſiſtente, & ingraveſcente; tandem viribus fractis ad plures migravit.

Inter exenterationem cadaveris, deprehendebatur ingens uteri moles, octoginta libras ponderans; partim ichore flavo; partim materiâ adiposâ & oleoginosâ infarctus erat. Occurrebant in medio crines, inſtar lanæ flaveſcentis, materiâ illâ adiposâ involuti. FABR. HILDANUS.

OBS. 1365. In cadavere puellæ cujus *abdomen erat altiſſimum*; deprehenditur uterus adeò expanſus, ut ferè univerſam abdominis cavitatem adimpleret; & hinc viſcera in anguſtiſſimum ſpatium coacta erant. Infarctus erat materiâ quâdam rubicundâ, carni minutim diſſectæ haud abſimili; & ejus latera partim eroſa conſpiciebantur; adeò ut pluribus in locis ad chartæ tenuitatem diducta eſſent. BAUGRANDIUS.

OBS. 1365. (*a*) Introſpecto cadavere cujuſdam mulieris quæ *poſt partum* obierat uterus maximè diſtentus & ſanguine plenus reperiebatur os ejus, labiorum cicatrice, obturabatur, & ovaria maximè tumentia apparebant. PORTAL.

OBS. 1366. Fœmina in tertium menſem gravida vapulata marito; pedibuſque ad hypogaſtrium conculcatur. *Venter* poſteà *crevit* inæqualiter. Inter denique difficilimum partum ſubitâ & enormi *hæmorrhagiâ* è medio tollitur.

UTERUS. Reperitur in ſubſtantiâ lateris dextri uteri ſteatoma ingens & rotundum, tredecim libras pendens. Ovaria & tubæ erant in ſtatu naturali. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1367. Cuidam mulieri *intumuit venter* abſque dolore. Senſim increſcente tumore, de *moleſto pondere* querebatur. Sub hâc rerum conditione, poſt triennium fatis ceſſit.

Uterus ingens occurrit, ac diverſis materiebus infarctus, carnoſis nempè excreſcentiis membranis, tendinibus, oſſiculis, lapillis, &c. adeò ut pondus omnium ad quadraginta libras accederet. ROUSSETUS.

Hunc ordinem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 1363, 1426, 1429, 1431, 1443, 1454. Libr. IV. 143.

---

## *Uterus ſcirrhoſus & cartilagineus.*

OBS. 1368. Fœmina quinque & viginti annorum, formoſiſſima, *febre ardente* corripitur, cum horroribus inordinatis & *dolore æſtuante in hypogaſtrio.* Accedunt anxietates, cardialgiæ, cum ſpirandi difficultate. Intereà *tumet abdomen*: dolor ad dorſum propagatur Opportunis remediis omnia compeſcuntur circà nonum morbi diem, cum ſanitatis ſpe; perſiſtentibus tamen febre mitiori, & tumore abdominis. Ad quatuor menſes, cum nonnullis induciis, protelatur hic ſtatus; donec adveniente aſcite, cum tibiis œdematoſis, ad plures demùm abierit.

Luſtrato cadavere, præter colluviem ſeroſam in abdomine ſtagnantem, reperitur uterus à naturali magnitudine parùm recedens, denſior & firmior, cartilagineam, vel oſſeam duritiem æmulans. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1369. Mulier ſexagenaria à quinque & triginta annis, geſtabat *tumorem ſcirrhoſum* in regione uteri, qui *inter ventris tormina* acerbiora, ſenſim increverat. Circà quinquageſimum ætatis annum menſes fuerant ſuppreſſi. Hanc ſuppreſſionem ſequebatur *mania*, poſt ſeptennium ab uteri hæmorrhagiâ fugata. Tandem compreſſis omnibus viſceribus ab ſtupendâ tumoris mole; erumpit exomphalos, & dein bubonocele, à cujus incarceratione enecatur.

Reperitur

Reperitur uterus ingens & pondo novem circiter librarum : ejus latera denſiſſima & craſſiſſima duritiem oſſeam extùs aſſequebantur. Hæc cruſta oſſea ſcalpello ſecari neſcia, nonnullas interſectiones quaſi tendineas præ ſe ferebat. Cavum uteri erat planè oblitteratum. E DIARIO MEDICO.

UTERUS.

OBS. 1370. Mulier quadragenaria *inſultibus hyſtericis*, convulſivis & vehementioribus obnoxia, in uteri tumorem durum & indolentem incidit, quo fugatur affectus hyſtericus. Sufflaminatis ſolito tempore, menſibus erumpunt, *hemorrhoïdes*, nonnihil fluentes ; quibus per viginti annos vexatur. Tandem tabe confecta, obiit.

Luſtratis interaneis, conſpiciebatur uterus ingens, vel ad capitis molem accedens, cujus ambitus erat duriſſimus, & mere oſſeus. Intùs verò recondebat materiam purulentam, ſordidam & fœtidiſſimam. Ex ACT. CHIRURG. PARIS.

OBS. 1371. Quædam gravida circà finem noni menſis *parturientium doloribus* torquetur, tum acerbis, ut hinc emergant lypothymiæ, cum maximis horroribus. Accedunt ſudores frigidi : brachium dextrum infantis mortui extrà collum uteri propendebat. Ac tandem interiit mater.

Abdomen ſero ſanguineo replebatur. Exempto fœtu, invenitur ſcirrhus duriſſimus in ſubſtantiâ uteri, qui magnitudinem capitis infantis ferè adæquabat. FABR. HILDANUS.

OBS. 1372. Fœmina quadragenaria maximo *abdominis tumore* afficiebatur ; donec tandem eo quotidie incrementum ſumente, & magis indureſcente, viribus deficientibus, naturæ debitum ſolveret.

Uterus, unà cum abdomine, totus ſcirrhoſus repertus eſt. Tantâ pollebat duritie, ut vix cultro diſcindi potuerit. SCHOLTZIUS.

OBS. 1373. Quædam matrona quinque & ſexaginta annorum poſt *caſum è rhedâ*, in lævam capitis partem, defluxum perſenſit in maxillam diuturnum, & dolore ſtipatum ; unde febris, ſudores nocturni, phantaſmata melancholica, & mors.

UTERUS.

Pulmo erat inflammatus cum maculis nigris. Uterus ſcirrhoſus immensè tumebat, cum proſtatis purulentis. DEODATUS.

OBS. 1374. Virgo triginta annorum, *menſium ſuppreſſione* laborabat, & dein doloribus rheumaticis. Accedit macies, & dein *aſcites cum dolore immani circà pubem;* tumente pede cum dolore; ac demùm malo increſcente obiit.

Præter aquam in abdomine ſtagnantem, erat tumor orbicularis, carnoſus, vel ſcirrhoſus, ſubalbicans, externo uteri fundo adnatus, CRELLIUS.

OBS. 1375. Cuidam mulieri poſt *partum laborioſum*, remanet *venter tumidus*, undè emerſit molæ ſuſpicio. Accedentibus gravioribus ſymptomatibus, ſequenti à partu die, interiit.

Inter cadaveris exenterationem, reperitur inſignis uteri craſſities, per totum ambitum ſcirrhoſi ad trium digitorum ſpiſſitudinem. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1376. Quædam mulier ob *ventrem tumidum, pro gravidâ* habebatur; cùm incidit in *urinæ ſuppreſſionem*, cum dolore in hypogaſtrio. Tandem evaneſcente partûs ſpe, & morbo ingraveſcente, fatis ceſſit.

Reſerato abdomine, in conſpectum venit uterus ingentis magnitudinis, deformis & calloſus. SALMUTHUS.

OBS. 1377. Lapidicidæ uxor ſummâ cum difficultate fœtum edit, qui paulò poſt extinguitur. *Venter* remanet *tumidus*, cum ſuſpicione molæ Die ſequenti à partu interiit.

Inſignis erat uteri craſſities per totam ſubſtantiam ſcirrhoſi; lateribus pollicis craſſitiem ſuperantibus. MANGETUS.

OBS. 1378. Mulier quinque & triginta annorum, *ventrem* ultrà modum *protuberantem*, tredecim abhinc annis geſtabat, *à ſubitò ſuppreſſis menſibus.* Poſt varios & diuturnos cruciatus tandem extinguitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniebat uterus

ingens & ſcirrhoſus ; quatuor & quadraginta libras pendens. Ex ACTIS PARISIENSIBUS. UTERUS.

OBS. 1379. In cadavere cujuſdam virginis ſeptuagenariæ, cui *venter à pueritiâ intumuerat*, & menſes quinquageſimo ætatis anno adhuc fluebant, deprehendebatur uterus ingens, durus & quaſi cartilagineus ; vel ponderis octodecim librarum. BLASIUS.

OBS. 1380. In quâdam muliere hydrope *aſcite* extinctæ, præter triginta menſuras lymphæ flaveſcentis, uterus ingens & ſcirrhoſus occurrit. ROMMELIUS.

OBS. 1381. In cadaveribus variarum mulierum, quarum *venter* erat *protuberans*, uterum ſcirrhoſum, & ad capitis humani molem accedentem vidit PARÆUS.

Inter affines recenſeri debent obſervationes Libr. I. 1406, 1431, 1433, 1443, 1458, 1505, 1647.

---

## *Uterus lapideſcens.*

OBS. 1382. Matrona ſex & ſexaginta annorum, nuſquam de dolore vel gravitate in regione uteri querula ; *diarrhææ billioſæ* obnoxia, *febre* corripitur ; & fortuitò contuſionem patitur in oſſe ſacro, quæ inflammationem & gangrænam lethalem poſt ſe trahit.

Deprehendebatur corpus lapideum ultrà ſex uncias pendens in ipſomet corpore uteri, inter tubam dextram, & uteri cervicem. In altero latere aliud occurrit etiam in ipſomet contextu uteri, ſed mole minus : adeò ut pro ſcirrhis lapideſcentibus haberi debeant prædicta corpora. PECQUETUS.

OBS. 1383. In cadavere cujuſdam mulieris ſeptem & triginta annorum, quæ *ventrem durum & protuberantem* jampridem geſtabat, inveniebatur uterus lapideus, ſeptem libras pendens. Lien ſimili

UTERUS.

fermè modo erat affectus. Hepar paſſim cartilagineum deprehenditur. Peritoneum verò craſſum & duriſſimum vix cultro dividi poterat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1384. Exenterato cadavere cujuſdam fœminæ *diuturno morbo* extinctæ, in conſpectum veniebat uterus ingentis magnitudinis, & quaſi lapideus; in cujus cavo annotabantur prominentiæ ad ſtalactites, formâ & duritie accedentes. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 1385. Inter ſectionem cadaveris virginis ſexagenariæ, obſervatur uterus triplo major, ſuperficie inæquali, & ſubſtantiâ merè lapideâ. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

## *Ulcus uteri.*

OBS. 1386. Fœmina quinque & triginta annorum, poſt laborioſum partum *dolorem circà inguen* dextrum patiebatur; cum *menſium ſuppreſſione*. Decem elapſis annis *hæmorrhagiâ uteri* corripitur enormi, quâ ſuperatâ remanſit fluor albus, hæmorrhagiâ nonnunquam recurrente. Sæviebat dolor in utroque inguine. Intereà languet appetitus; urget ſitis; ingruit moleſtiſſima cordis palpitatio & accedit hydrops. Viribus demùm deficientibus inter hæmorrhagiam enormem anno ætatis ſexageſimo quarto extinguitur.

Renes à variis ſacculis conflati nullum parenchyma exhibuerant: ureteres ſummè dilatati deprehendebantur. Uterus occurrit mole major & ſcirrhoſus: cujus tota facies interna ulcere cancroſo conſpurcabatur. Simili fermè modo lædebatur proximior vaginæ pars. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1386 (*a*) Fœmina ætatis quinquaginta annorum, menſtruis ab octennio deficientibus, *fluore albo* corripitur copioſo, cum virium debilitate. *Pudenda erodebantur* ab acrimoniâ hujuſce humoris; indè grumi ſanguinis prodierunt, ingenti cum dolore præſertim in hypochondriis; & alvo adſtrictâ. Tandem ſupervenientibus *immanibus circà pubem & anum doloribus*, cum vomitu materiæ bilioſæ, mortua eſt.

Introſpecto cadavere, occurrit meſenterium ſcirrhoſum. Uterus morbosè hærebat veſicæ & inteſtino recto. Conſpiciebantur hydatides ſat magnæ circà ovaria purulenta & ulcerata. Uterus erat mole major, exulceratus, & pure conſpurcatus. Ulcus extrà uteri pomæria in vicinam quoque vaginam ſerpſit; nam hic canulis quaſi gangrænâ tactùs, prorsùs nigricare viſus eſt. MURALTUS. UTERUS.

OBS. 1387. Mulier de *maximo ventris dolore & lumborum* conquerebatur; non ſecùs ac de anxietatibus circà præcordia, cum difficili decubitu ob ventrem qui intrà viginti annorum ſpatium in *horrendam molem* excreverat. Inæqualis erat ventris durities, abſque fluctuatione. Tandem inter haſce anguſtias ad Superos migravit.

Secto abdomine protinùs effluxit liquor admodùm putridus ad quatuor ſcilicet pintas. Tumor ingens & rotundus reliquam abdominis cavitatem adimplebat. Erat hic tumor uteri quadraginta libras pendens; quo ſecto patet ſubſtantia ſcirrhoſa, cujus poſtica pars duodecim tranſverſos digitos æquabat; & varia corpora glandiformia continebat. Uteri cavum replebat materia nigricans & putrida, inſtar pugni majoris craſſa; quæ à molâ, vel placentâ non excretâ, ortum fortè ſumebat. GRAAF.

OBS. 1388. Quædam matrona *dolore circà uterum* gravativo, & lancinante per triennium conflictabatur; cum quodam *fluxu albicante per vaginam*; intrà quam detegitur corpus lapideum ad ovi gallinacei magnitudinem accedens, quod facilè extrahitur. Procedente morbo & ſævientibus doloribus excrementa & enemata per vaginam exitum ſibi parabant; & paulò poſt occubuit.

Inſtitutâ cadaveris exenteratione, deprehendebatur ulcus ſordidiſſimum, & gangrænoſum in orificio uteri; labefactis vaginâ & & inteſtino recto. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 1389. Mulier nobilis vigeſimum nonum ætatis annum agens, de *dolore circà orificium uteri* querebatur. Dein in *hæmorrhagiam* uteri incidit; quam recurrentem excipit *fluxus ichoroſus & fœtidus*. Interdùm erumpit ſanguis majori proventu; ſuccedente ſaniei fluxu. Tandem immani ſanguinis profluvio extinguitur.

Luſtrato cadavere inveniebatur ulcus cancroſum, circà oſtium

Uterus. uteri, cujus fundus ſphacelo tactus conſpiciebatur. E Miscellan. curiosis.

OBS. 1390. In cadavere mulieris triginta annorum, quæ *fluxu albo* per ſeptem menſes laboraverat; ultimis temporibus gravi, dolorifico & *fœtidiſſimo*, cum *dyſuriâ*; reperiebatur veſica ità diſtenta, ut ad capitis humani magnitudinem accedebat. Vagina ulcere ſordido afficiebatur, cum variis occalleſcentiis. Uterus, tubæ & ovaria erant etiam purulentiâ defœdata. Blasius.

OBS. 1391. Matrona diuturni *fluore albo* detenta tam *acri*, ut præ nimio dolore incedere, aut quieſcere non valeret. *Febris* incandeſcit, & *pudendi* labia tumefactu & *ulcerata* erant; urgente dolore hypogaſtrii. Omnia poſtremò in pejus ruunt, uſque ad mortem.

Sectum cadaver exhibuit uterum exulceratum & ſcirrhoſum; ac vagina à fœdâ manante colluvie putris evaſerat. Graaf.

OBS. 1392. Quædam mulier poſt ſufflaminata catamænia; dolorem & inflammationem genitalium patiebatur; quæ propter verecundiam neglecta faceſſit in abſceſſum & *ulcus in collo matricis*. Tandem variis incaſſùm tentatis, *dolores urgent*; accedunt febris & vigiliæ: ac poſtremò ſyncope lethali è medio rapitur.

Introſpecto cadavere, tota uteri cervix exulcerata, & planè cancroſa, offenditur. Fabr. Hildanus.

OBS. 1393. Mulier à partu laborioſo in *flurorem album* incidit; cum *dolore circà uterum*. Poſt quatuor menſes inter haſce moleſtias, tandem vitam cum morte commutavit.

Inciſo abdomine, reperiebatur uterus omninò purulentus & exulceratus. Blasius.

Ad hanc claſſem revocari debent obſervationes Libr. 1292, 1436, 1572. Vide inſuper *Viſcera putrida*.

## *Uterus putris & gangrænoſus.*

OBS. 1394. Matrona ſex & triginta annos nata *nephriticis doloribus* per octiduum graviſſimè divexata, *morbillis purpuratis* corripitur; qui cùm altero die mox evanuiſſent; acceſſerunt convulſiones quæ brevi miſellam ægram ad libitinæ rationem mittunt.

Cor inveniebatur flaccidum, abſque humore in pericardio. Ren ſiniſter fovebat calculum phaſeoli magnitudine: minor erat in dextro. Prætereà uteri fundus intùs & extùs ſphacelo tactus annotatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1395. Fœmina quadragenaria *poſt caſum*, *dolores* in regione *uteri* acerbiſſimos patiebatur; qui ſeptimo die cum vitâ ceſſarunt.

Exenterato cadavere, conſpiciebatur uterus capitis puerilis magnitudine; qui ſcilicet in tumorem carnoſum & gangrænoſum, ſine exulceratione, degeneraverat. Ejus cavitas erat anguſta & concreto ſanguine plena. Omentum ligamenti inſtar, externo uteri fundo firmiſſimè alligatum erat. BARTHOLINUS.

OBS 1396. Quædam mulier, cùm per aliquot annos ſenſim emacruiſſet, & omne alimentorum genus faſtidiviſſet paroxyſmo febrili, *tertianæ* typum referente, cum maximo *ad hypogaſtrium dolore*, corripitur. Accedente rigore tertii inſultûs è vivis tollitur.

Pulmones erant nonnihil inflammati; cum hepate exſucco. Prætereà uterus corruptus conſpicitur & quaſi gangrænâ affectus; plenuſque tabo & ſanie. THEVART.

OBS. 1397. Muliercula *dolores* ineffabiles *in uteri regione* patiebatur, cum continuo *ſanguinis* profluvio. Mors ſæpius optata hiſce miſeriis finem tandem imponit.

Uterus putridus deprehenditur; adeò ut cervix ſolo attactu à corpore uteri ſeſe disjunxerit. Inteſtina à prægreſſis inflammatione

UTERUS.

& excoriatione, extrinſecè coalita conſpiciuntur. RUYSCHIUS.

OBS. 1398. In cadavere cujuſdam mulieris *hydropicæ*, inter alias læſiones, uterum planè putrefactum. vidit POSTHIUS.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 1403. Libr. II. 363. Vide *Viſcera putrida*.

---

## *Uterus perforatus.*

OBS. 1399. Mulier *quartanâ* laborans, de *menſium ſuppreſſione* querebatur. *Tumebat venter* abſque gravitatis ſuſpicione; hinc opem medicam efflagitabat. Inter præpoſtera remedia, fœtus in utero enecatur, & putreſcit: tractu temporis denudata oſſa cadaverculi, uterum poſteriora verſùs, circà inteſtinum rectum perforarunt; ità ut ſenſim per alvum unà cum excrementis oſſa fuerint excreta. Viribus tandem exhauſtis, interiit.

Secto cadavere reperiebantur in utero oſſa capitis, nonnullæque aliæ fœtûs reliquiæ, cum putrido utero qua parte inſpicit rectum perforato. ROUSSETUS.

OBS. 1400. Muliercula *lue venereâ* affecta, *à novem annis gravida*, *fluxum* uberrimum, & *putidiſſimum* patiebatur *per genitalia*. Tandem ventre ſemper protuberante in *iſchuriam* incidit, & fluxum alvi moleſtiſſimum. Progrediente morbo, vires deficiunt; & macie confecta extinguitur.

Inveniuntur, præter epiploon abſumptum, tumor cyſticus inteſtinis hærens & fœtum continens; in quo innoteſcunt genuina fœtûs involucra. Uteri fundus perforatus, & lato ulcere confoſſus annotatur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1401. Gravida de *dolore uteri* ſubinde conqueſta, *laborioſo partu* miſerè torquebatur. Quinto die fœtu jam extincto, periit.

Reſerato

Reſerato abdomine, occurrit puer robuſtus extrà uterum, omnibus involucris ſolutus, pedibus extenſis lienem contingens. Uterus erat in parte ſiniſtrâ diſruptus; intùs exulceratus & gangrænoſus; cum tumore ad cervicem uteri uſque ſe extendente, craſſitie quatuor digitorum. E MISCELLAN. CURIOSIS. UTERUS.

De hâcce læſione mentio ſubjicitur in obſervatione Libr. I. 1693.

## *Uterus abſumptus.*

OBS. 1402. Fœmina trigeſimum tertium ætatis annum agens; levem *dyſuriam* per plures menſes tacitè tulit. Dein malo ingraveſcente, *ejulatu horrifico* præſentes terrebat; cum *fœtore inſigni* à partibus afflictis. Simul querebatur de *dolore* atrociſſimo *femoris* & *tibiæ*, quem ſolum opium in triplâ doſi miteſcere valebat. Intereà morbus in dies exaſperatur; *tumet abdomen*, cum ingentibus *circà uterum cruciatibus*, & *fluxu ſanioſo fœtidiſſimo*. Sævit febris hectica cum macie: urget tuſſis violenta, cum ſputo cruento. Tandem fatis imperantibus paruit.

Exenterato cadavere, nulla deprehendere licuit uteri veſtigia, præter quædam ramenta fracida, parva, & in tetricam materiam euntia. Simili fermè labe inquinabatur veſica, uſque ad collum. Introſpecto pectore pulmones conſpiciebantur exulcerati. NOZET.

Affinem caſum exhibet obſervatio Libr. I. 129. Vide etiam *Viſcera putrida*.

## *Uterus inter partum diſruptus.*

OBS. 1403. Juvencula inſtante *partûs tempore*, *urgentibus doloribus*; fœtum excludere fruſtrà allaborabat: ac demùm viribus fractis interiit.

Luſtrato cadavere, uterus patet laceratus, & quaſi ex ulcere perforatus; fœtu maſculino perfecto, ſed mortuo, cum ſecundinis extrà uterum inter inteſtina latitante; manu tantùm dextrâ in

UTERUS.

vaginâ prominente. Uterus diſſectus in fundo, ad palmæ craſſitiem ſcirrhosâ duritie tumidus apparuit. SCHOLZUS.

OBS. 1403. (*a*) In cadavere cujuſdam mulieris *inter partum extinctæ*, in conſpectum veniebat uterus quinque ferè uncias latus, & totidem longus, antè & retrò compreſſus, & paulùm ſuprà oſſis pubis marginem eminens. Apparuit foramen in ipſo utero ad latus dextrum oſtii; cujus caro ſpongioſa diſſoluta abierat in multas, cruentas; tenues & araneoſas membranas. Pars ſuperior vaginæ erat enormiter dilatata; non adeò inferior. CLAR. HALLERUS.

OBS. 1404. Gravida ſeptem & quadraginta annorum; poſt caſum graviſſimum *immanibus doloribus in latere dextro abdominis* torquebatur, fœtu nullum ampliùs motum edente. Poſt octiduum *parturientium dolores* patitur; inter quos fruſtrà omni adhibitâ arte chirurgicâ, intrà triduum rapitur.

Aqua ſubcruenta & fœtidiſſima ſtagnabat in abdomine; cum fœtûs capite & brachio, ſuis involucris integris; quæ exitum ſibi paraverant per uteri dilacerationem. BEHLING.

OBS. 1405 Paupercula uterum ferens, toto geſtationis tempore ſemper de *doloribus in abdomine* querula, juſto appropinquante partûs tempore, inter ingentes conatus, cum parere nequiret, expiravit.

Secto abdomine, in conſpectum venit infans mortuus extrà uterum ſitus. Uterus diſruptus, ſemi-putridus & ſphacelatus occurrit. RAYGERUS.

OBS. 1406. Quædam mulier totos ſex dies *parturiens*, tandem *dolorum vehementiâ* ènecatur.

Reperitur uterus laceratus, & caput infantuli in ventris capacitatem dimiſſum. Erat autem in utero ſcirrhus, qui capitem infantis propemodum æquabant. FABR. HILDANUS.

OBS. 1407. Mulier quadragenaria, inter vigeſimam graviditatem, circà ſolitum partûs terminum fœtum mortuum enixa, *immani hemorrhagiâ* nullâ arte compeſcendâ extinguitur.

Luſtratis interaneis, reperiebatur uterus circà cervicem dilaceratus, undè hæmorrhagia. EX ACTIS LONDINENSIBUS. UTERUS.

OBS. 1408. Mulier ad quadrageſimum ætatis annum accedens, cum jam ſeptem fœtus mortuos peperiſſet; tandem octavo partu, fœtu non edito, ſuccubuit.

Reperitur fœtus; omnibus numeris abſolutus, in cavo abdominis, nullo velamine cinctus; ob uteri diſruptionem. DOLDIUS.

OBS. 1408. (*a*) In cadavere fœminæ cui *inter ſudores frigidos infans extractus* fuerat, reperiebatur in latere ſiniſtro uteri propè cervicem inſigne foramen. Uterus erat ferè ſcirrhoſus, craſſiſſimus, ad intervallum tubarum tenuior quàm alibi. CLAR. HALLERUS.

OBS. 1409. In cadavere cujuſdam gravidæ *inter partûs tormina* extinctæ, in conſpectum veniebant in abdomine, placenta, & fœtus mortuus, quæ ex utero dilacerato exitum ſibi paraverant MULLERUS.

OBS. 1410. Quædam fœmina *inter pariendum* moritur; quæ diſſecta exhibet infantem extrà uterum ſuprà inteſtina; à dilaceratione ſcilicet uteri propè cervicem. SALMUTHUS.

OBS. 1411. In cadavere mulieris *ex partu* mortuæ, compertus eſt uterus erumpente infante laceratus, cum capite in lævam ventris capacitatem dimiſſo. FABR. HILDANUS.

OBS. 1412. In cadavere *parturientis* occurrit in utero fœtus maturus & robuſtus, qui maximo impetu ſe movens ad exitum, uterum in latere dextro laceraverat. FABR. HILDANUS.

OBS. 1413. Corpus mulierculæ inter *partûs tormina* extinctæ, exhibebat uterum diſruptum, cum fœtu mortuo in abdominis

UTERUS. cavo. Placenta erat oſtio uteri accreta. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1414. Luſtrato cadavere mulieris *inter partum* ſublatæ, deprehendebatur fœtus nonimeſtris mortuus in abdomine; ab utero dilacerato circà cervicem. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1415. In cadaveribus plurium mulierum *inter partum difficilem* raptarum, uterus erat dilaceratus nunc in fundo, nunc circà latera; ſed ſæpiùs in cervice. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1416. Aperto abdomine *parturientis* extinctæ, repertus eſt fœtus inteſtinis incumbens, rupto utero; cum magnâ ſanguinis copiâ in abdomine. GUILLEMEAU.

OBS. 1417. Similem fermè caſum obſervavit in paupérculæ parturientis cadavere. PINEAU.

---

## *Uteri hydrops.*

OBS. 1418. Fœmina poſt partum retinuit *ventris tumorem*, qui ſenſim per quatuor annos increſcens, tandem tres ulnas in ambitu excedebat.

In mortuæ cadavere occurrit uterus in tantam molem extenſus, ut totum ventrem occuparet. Omentum & peritoneum computruerant. Omniaque viſcera gracilia in anguſtum locum erant redacta. Incredibilem aquæ copiam, purpureæ & cruentæ continebat uterus, cujus cavitas tantæ capacitatis fuit judicata, ut puer decem annorum facilè potuerit in eo deliteſcere. Annotabatur in orificio uteri tumor orbicularis quo arctè claudebatur prædictum oſtium. Recondebat hic tumor materiam albam tenacem, & glutinis inſtar concretum. BONETUS.

UTERUS.

OBS. 1419. Mulier quinquagenaria, cujus menſes ab anno duntaxat ſupprimebantur, incidit in *tumorem ventris*, qui quotidie increſcens, tandem elapſis quatuor annis, miſellam ſuffocat.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, deprehenditur uterus in immenſam molem diſtentus, & peritoneo adglutinatus, ſtupendam aquæ copiam, vel ſeptuaginta libras continens. Obſervabantur in ejus ambitu innumeræ veſiculæ humore viſcido turgidæ. Prætereà reperiebatur circà cervicem uteri tumor durus, ovi anſerini magnitudinem æquans. Pulmones quoque erant labefactati, cum ſtagnante aquâ in thoracis cavo. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1420. Mulieri ab infelici partu, & *ſuppreſſis lochiis*, *tumor* protuberat; & ſenſim increſcente malo inflantur pudendi labra. Dein accedunt ſtrangulationes, & *ſuffocationes*. Ingruente demùm febre hecticâ, & fractis viribus, è vitâ deceſſit.

Primâ ſectione multum ſaniei emiſit abdomen. Reperitur uterus mole maximus, ad diaphragma ſeſe extendens; omnibus aliis reconditis viſceribus. Peritoneo, aliiſque partibus hærebat; ſanguinem purulentum, cum aquâ commixtum, qualis primâ ſectione educebatur, continebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1421 Fœmina quædam leproſa *tumorem in ventre* habebat, qui prægnationem oſtentendere videbatur. Præterito tandem partûs tempore, cogitatur de *hydrope*; qui accedentibus ſolitis ſymptomatibus tandem manifeſtus evadit; & poſteà lethum accerſit.

Introſpectis interaneis, in propatulum veniebat uterus ingentis molis; & colluvie aqueâ citrinâ, & putridâ, mirè diſtentus. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1422. Quædam mulier cùm utero ſe gerere exiſtimaret, *intumeſcente* quotidie *ventre*, prægreſſo ſtatuto partûs tempore; tandem malo corporis habitu, *febre lentâ* corripitur, & poſt plures menſes obiit.

Cùm inter ægritudinem diſpar ſententia à medicis prolata eſſet; luſtrato cadavere, invenitur uterus aquâ plenus; quod nullus animadverterat. DONATUS.

OBS. 1423. In cadavere fœminæ quæ per plures annos *ventrem*

UTERUS. *mole ſtupendum* geſtaverat, uterus ingens ultrà centum aquæ libras continebat: peritoneo erat connatus. Ovarium dextrum mirè etiam excreverat; quaſi è novem ovis anſerinis conflatum videbatur. VESALIUS.

OBS. 1424. Inter ſectionem cujuſdam mulierculæ *hydrope extinctæ*, invenitur uterus plurimâ aquâ turgens, & veſiculis quibuſdam purulentâ materiâ prægnantibus diſtinctus. Pariterque abdomen multâ aquâ erat diſtentum. CAR. PISO.

OBS. 1425. In cadavere virginis quinquagenariæ, cachecticæ, & *ventris tumore* à triennio laborantis, deprehendebatur uterus puſtulis aquoſis refertus; cum ſanioſâ & fœtidâ colluvie in abdomine. BLANCARDUS.

Exemplum hujuſce læſionis præbet obſervatio Libr. I 1363.

---

## *Uterus effuſo ſanguine turgens.*

OBS. 1426. Mulier poſt infelicem partum, *immanes cruciatus in cervice uteri* perſenſit; nec mariti congreſſum ampliùs ferre potuit. Nulla poſteà fluxerunt menſtrua. Tandem incidit in dolores ventris & lumborum intolerabiles. *Uterus durus & tumens* è contactu deprehendebatur. Accedente demùm febre graviſſimâ, & ultrà modum ſævientibus doloribus, extinguitur.

Secto cadavere, invenitur abdomen aquâ cruentâ, nigrâ & fœtidiſſimâ repletum. Cervix uteri ſpiſſiſſima, ac velut cartilaginoſa, tranſverſi digiti craſſitie coaluerat. Uterus demùm mole ingens ſanguine putrido & gravè olente turgebat. PLATERUS.

OBS. 1427. Quædam fœmina quinquagenaria, infœcunda, menſium difficultate laborabat; inter quorum ſcilicet fluxum *dolores immanes* patiebatur in *abdomine ſubtumido*: ſanguine nonnunquam è naribus erumpente. Sub quâ rerum conditione caſu fortuito enecatur.

Exenterato cadavere deprehendebatur oſculum uteri proceſſu quodam membranoſo, è vaginâ oriundo obturatum: relictis dun-

taxat duobus exiguis foraminibus. Uterus verò occurrit mole major ab ſtagnante ſanguine in ejus cavo diſtentus. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1428 Quædam mulier poſt difficilem & *laborioſum partum*, *inflammationem in cervice uteri* patiebatur; cujus latera brevi coaluerunt; adeò ut præpediretur lochiorum fluxus. Abdomen poſteà permanet tumidum, cum atrocibus doloribus, quibus tandem conficitur miſella decumbens.

Luſtrato cadavere, reperitur muliebris ſinus gangrænâ tactus. Uterus verò aquâ cruentâ, putredinem redolente, erat diſtentus. SCROCKIUS.

Ad traditas accedit obſervatio Libr. II. 186.

## *Mo veſicularis.*

OBS. 1429. Mulier juvenis de moleſto *tumentis abdominis pondere*, antè & poſt puerperium querebatur; aliàs ſana. Menſes intereà, & urinæ ritè fluebant. Accedit autem ut levi lapſu corrueret, tertio antè obitum die; hinc *dolores atrociores*, ſuffocatio & mors.

Reſerato abdomine exiliit humor cruentus. Uterus omnem ferè implebat cavitatem, compluribus ligamentis ad peritoneum & diaphragma revinctus. In tunicâ uteri, ubi caſus ipſam alliſerat, ſugillatio conſpiciebatur, cum diſrupto peritoneo. Molam recondebat uterus, circà fundum ſitam, cucurbitam æquantem; cum ingenti hydatidum copiâ, diverſis materiebus turgentium, quarum majores ad ovum gallinaceum accedebant. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1430. Introſpecto cadavere cujuſdam mulieris quæ *pro gravidâ* habebatur; ſectione uteri in conſpectum venit ſubſtantia membranacea globoſa, innumeris veſiculis aquoſis, & pellucidis referta. MERCATUS.

Haud abſimilis læſionis exemplum præbet obſervatio Libr. I. 1438.

## *Mola carnea.*

OBS. 1431. Quædam mulier de *dolore ventris & lumborum*, ac de anxietatibus circà præcordia conquerebatur. Intereà *venter in horrendam molem* ſenſim excreverat, cujus primordia jam antè quinque & viginti annos perſentire cœperat. Inæqualis erat ventris durities, & nulla percipiebatur fluctuatio. Urget dolorum ferocia; collabuntur vires; ac demùm anno ætatis quinquageſimo, vitam cum morte commutavit.

Inter ſectionem cadaveris reperiebatur in abdomine præter octo circiter libras liquoris admodùm putridi, ingens tumor rotundus, qui totam ferè abdominis cavitatem adimplebat. Ex adhæreſcentibus tubis & ovariis uterus dignoſcitur, qui ad minimum quadraginta libras pendebat; cujus ſubſtantia partim ſcirrhoſa, partim glanduloſa videbatur. Ejus cavum occupabat materia craſſa, inſtar majoris pugni, nigricans, & putris. GRAAF.

OBS. 1432. Paupercula ſe *utero geſtare opinabatur*; exactis novem menſibus, nil producitur; & perſeverat *tumor*. Cùm annos ſexdecim has tumoris moleſtias tuliſſet; tandem emaciata, ad Superos migravit.

Reſerato abdomine; uterus undequaque diſtentus magnam cucurbitam referebat. Ejus laterum craſſities quinque tranſverſos digitos æquabat. Maſſam carneam continebat quæ pro molâ utero accreta habebatur. Præterea deprehendebatur in collo uteri abſceſſus ſteatomatis naturam referens. BALLONIUS.

OBS. 1433. In cadavere mulieris quæ à ſeptemdecim annis *tumorem abdominis* geſtabat reperitur uterus ingens unico ovario præditus, ità durus & ſcirrhoſus, ut vix cultro ſecari poſſet. In ejus cavo deprehendebatur carnea moles caput pueri æquans, diverſis materiebus, atheromatum inſtar, referta & utero hærens. Inſuper conſpiciebatur in mediâ uteri cervice tumor durus, cartilagineo-oſſeus, totam viam occupans. PARÆUS.

OBS. 1434. Cadaver mulieris cujus *abdomen* ita *intumuerat* ut tres haberet in ambitu ulnas, exhibebat præter ingentem aquæ copiam, uterum in eam molem elatum, ut totum ferè abdomen occuparet. Recondebat molam ex multis duris & ſcirrhoſis condylomatibus, & nonnihil purulentis conſtantem. Diaphragma multis in locis exeſum conſpiciebatur PAWIUS. UTERUS.

OBS. 1435. Matrona *gravidam ſe eſſe putabat.* Elapſis aliquot menſibus pejus ſe habere cœpit, ventre de die in diem creſcente. Intereà deficit appetitus, urgent *ventris dolores*, præſertim in latere ſiniſtro. Tandem cùm in hâc miſeriâ ultrà duos annos langueſceret, auctâ febriculâ, è vitâ diſceſſit.

Secto abdomine, plurimum aquæ ſubcruentæ effluxit. Uterus conſpiciebatur ingens molam carneam, duram, hinc indè putridam recondens, cum aquæ fœtidæ libris ſex. Ovaria ad pugni magnitudinem excreverant. Ren ſiniſter erat putris, & hepar purulentum. FABR. HILDANUS.

OBS. 1436. Puella tredecim annos nata, poſt caſum ab alto, de colli dolore queritur. Poſt plures hebdomadas emerſit *dolor in dorſo; dein in hypogaſtrio.* Gravida pronuntiatur. Auctâ tamen in dies ægritudine poſt duos menſes ad meliorem vitam tranſit.

Uterus ovi gallinacei magnitudine reperitur ulceribus obſitus; ſed ſinè pure & fœtore. Continebat fruſtulum carnis ſpongioſæ, & putridæ, uncias quatuor pendens. BARTHOLINUS.

OBS. 1437. Quædam mulier quadrageſimum primum ætatis annum agens, per ſexennium, *abdomen utriforme* geſtabat, ſinè tamen moleſtiâ, ſi excipias pondus. Tandem fatis ceſſit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, reperiebatur in utero ultrà modùm tumente, mola rotunda è pluribus veſicis, juglandis magnitudine, conflata, & utero adnata, ponderis quindecim librarum. LOSSIUS.

OBS. 1438. Mulier quinquagenaria ex congreſſu cum adoleſcentulo imprægnatur. Adſunt omnia graviditatis ſigna ad quartum menſem, quo menſes copioſi fluebant, & ſingulis menſibus recur-

UTERUS. rebant, *ventre* manente *tumido*. Nono menſe *parturientium dolores* paſſa eſt; ſed nihil excluditur. Menſes identidem fluunt, permanente ventris tumore. Tandem pluribus elapſis annis, inter mœrorem & ærumnas mortua eſt.

Inter exenterationem cadaveris inventæ ſunt in utero duæ molæ carneæ diſtinctæ. POLLET.

OBS. 1439. Mulier ſeptem & quinquaginta annorum, per plures annos, *frequenti dyſuriâ* laborabat; ægrè etiam dejiciebat, & *pondus* moleſtiſſimum patiebatur *circà genitalia*; donec viribus exhauſtis occubuit.

Secto utero occurrit mola extùs oſſea & intùs carnea, totum viſceris cavum, cum arctâ connexione replens. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIBUS.

OBS. 1440. Fœmina quinquageſimum quintum ætatis annum agens, *tumorem* durum quindecim abhinc annis *in abdomine* geſtabat; cujus demùm incremento varii emergunt morbi, quibus extinguitur.

Reperiebatur uterus ingens, continens molam carneam, cum aquæ citrinæ libris duodecim. E DIARIO ERUDITOR.

OBS. 1441. In cadavere mulieris à quindecim annis viduæ; ac vitæ integræ, cujus *abdomen* erat *utriforme*, quale eſt hydropicorum; reperiebatur mola vivens, & incorrupta. DURETUS.

OBS. 1442. Inter ſectionem mulieris *tumore uteri* laborantis; deprehendebatur in utero mola, ovo anſerino magnitudine æqualis, & putrida; cum malè affectâ uteri ſubſtantiâ. PARÆUS.

Huicce claſſi adſcribi debent obſervationes Libr. I. 812, 1366, 1647, 852.

## *Mola oſſea.*

OBS. 1443. Matrona quinque & ſeptuaginta annos numerans, *mictum cruentum* per nonnullos menſes paſſa, *febre* corripitur, *ventris torminibus*, & dolore lumborum ſtipatâ. Dein urinæ mucoſæ, purulentæ & fœtidæ evadunt; cùm exacerbatis doloribus, & deficientibus viribus occubuit.

Exenterato cadavere, in conſpectum venit ren ſiniſter mole major, lapidem & arenulas, cum materiâ purulentâ & gravè olente recondens. Uterus ingens & ſcirrhoſus, capitis magnitudine, corpus quoddam compactum, & quaſi oſſeum, ad uncias ſex accedens, fovebat. EX ACT. CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 1444. Fœmina ſeptem & quinquaginta annorum *aſthmatica*, de quodam *pondere in hypogaſtrio*, cum mingendi difficultate, jamdiù querebatur. Tandem vehementiori inſultu aſthmatico enecatur.

Uterus continebat molam carneam pugni magnitudinem ſuperantem, ſubſtantiæ uteri firmirer accretam, & partim oſſeam. Pulmo dexter ſcirrhoſus plevræ hærebat. EX ACT. LONDINENSIB.

His ſubnectere licet obſervationem Libr. I. 1439.

## *Lapides in utero.*

OBS. 1445. Virgo ſexagenaria major de quodam *pondere in regione uteri*; non ſecùs ac de doloribus in lumbis & femoribus multis abhinc annis conquerebatur; cum inceſſu difficili. Præterea immani pruritu in ſinu pudoris, & vicinis partibus vexabatur. Tandem inflammatione pectoris enecatur.

Aperto cadavere, inveniebatur in cavo uteri, haud inſolitæ molis, lapis duriſſimus, & albicans ſuperficie inæquali; ac drachmas novem pendens. EX ACT. CHIRURG. PARISIENS.

UTERUS.

OBS. 1446. Vetula quinque & ſeptuaginta annorum, *mingendi difficultate*, acerbiſſimis *doloribus in lumbis*, pube & perineo ſtipatâ, à quindecim circiter annis conflictabatur. Sub quo rerum ſtatu ſenſim exacerbato tandem occubuit.

Luſtrato cadavere reperiebantur renes, cum veſicâ, planè inculpati: ſed uterus ſcirrhoſus fovebat calculum levem & friabilem ponderis quatuor unciarum. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 1447. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam fœminæ, quæ jampridem accerbiſſimis *doloribus* in *hypogaſtrio* torquebatur, inveniebantur in utero duo & triginta lapides, quorum majores ad fabæ magnitudinem accedebant. MORUS.

OBS. 1448. Plura proſtant apud varios auctores, autopſiâ anatomicâ edoctos exempla *lapidum intrà uterum* deliteſcentium, *abſque*, vel leviſſimo, *incommodo*. EX ACT. CHIR. PARISIENS.

OBS. 1449. In cadavere mulieris *doloribus uterinis*, *cum febre*, diù vexatæ, extractus fuit è diſſecto utero lapis ingens, gypſeus, mucori nigerrimo, & copioſo innatans. DONATUS.

OBS. 1450. Matrona de *dyſpnœâ* querula, *abdomen* geſtabat *tumidum*, cum ſuppreſſis menſibus. Dein in *aſcitem* incidit, & poſt decennium moritur.

Reperiebatur in utero lapis quatuor librarum, coloris fuſci, & multis eminentiis exaſperatus. BARTHOLINUS.

OBS. 1451. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viduæ, quæ ob *ventrem tumidum*, pro gravidâ inconſultò habebatur, reperti ſunt plures lapides in utero. MŒBIUS.

OBS. 1452. In luſtratis cadaveribus variarum mulierum *lapides in utero* ſe obſervaſſe teſtantur HOLLERIUS, GEMMA, THOMAS A VEGA, &c.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 632. Libr. IV. 113.

UTERUS.

### *Fœtus petrefactus.*

OBS. 1453. Inter exenterationem cujuſdam mulieris ſeptuagenariæ, *ab octo & viginti annis*, uti videbatur, *gravidæ*, deprehendebatur in utero infans in orbem implicitus, & ex tranſverſo poſitus in ſuâ cyſti calloſâ. Omnia hujuſce cadaverculi viſcera, etſi ſummè conſpicua, ſicca & indurata annotabantur. Manus præſertim & pedes obſervabantur planè lapidefacti, & quaſi marmorei. ALBOSIUS.

Affinem caſum exhibet obſervatio Libr. I. 1536.

### *Os uteri occluſum & obturatum.*

OBS. 1454. Quædam mulier *per ſex dies partûs dolores* patiebatur. Infans primis diebus vivus perſentiebatur. Tandem nulla ſigna vitæ edens, matrem jam doloribus fractam è vivis tollit.

Aperto utero emanavit fœtor intolerabilis. Exempto infante, collum uteri abſceſſu turgidum reperitur, cum ſanie putidiſſimâ, cui prædictus obex omnem egreſſum denegabat. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1455. Expleto geſtationis tempore, fœmina *nullo conatu fœtum eniti potuit.* Hinc extinctus infans miſeræ quoquè matris acceleravit interitum.

Sectum cadaver exhibebat in orificio uteri carneam excreſcentiam, quâ planè obturabatur oſtium; & omnem infantii exitum denegabat. BARTHOLINUS.

OBS. 1456. In cadavere cujuſdam *fœminæ ſalaciſſimæ* & ſterilis, arteria ſpermatica bifida reperiebatur. Extrà collum uteri propendebat excreſcentia carnea, longitudine digitum minorem, craſſitie verò lumbricum æquans, quæ uteri collum exactè claudebat;

UTERUS.

adeò ut nullum ſemen uterum ingredi potuerit. BIERLINGIUS.

OBS. 1457. Mulier quinto graviditatis menſe *paralyſi inferiorum partium* corripitur. Ob longam in decubitu moram, gangræna repente nates occupat; ac nil conferentibus præſidiis moritur.

Reperiebatur os uteri arctiſſimè clauſum, cum fœtu optimi habitûs mortuo. BARTHOLINUS.

OBS. 1458. Quædam matrona *poſt primum* & laborioſiſſimum *puerperium ſterilis* manſit. Poſt obitum ſecta exhibet in cervice uteri ſcirrhus, magnitudine ovi anſerini, qui hanc viam planè obturabat. HILDANUS.

OBS. 1459. In aliâ muliere, etiam *ſterili*, deprehendebatur in uteri cervice interiori tuberculum piſi magnitudine, quo accuratè obturabatur illud oſtium. JOUBERTUS.

Huc pertinent obſervationes Libr. I. 1418, 1426, 1427, 1433.

## *Uterus duplex.*

OBS. 1460. Virgo nobilis vigeſimum ſextum ætatis annum agens, diù ægra, orthoſtadiâ tamen, menſibus modò nimiis, modò deficientibus laborabat. Urina erat limpida: *hyſtericis* tandem *convulſionibus*, quibus erat obnoxia, ferè abſque ullo decubitu, interiit.

Luſtrato cadavere occurrit ren unicus, in ſiniſtro latere ſitus, à naturali formâ degener, & libras urinæ duas continens. Duplex reperitur uterus, cum duabus vaginis: uterque unico ovario, à naturali minimè recedente inſtruebatur. CLAR. HALLERUS.

OBS. 1460. (*a*) Inter ſectionem cadaveris cujuſdam virginis novemdecim annos natæ, patebant duo orificia vaginæ, ſuo

hymene inſtructa. Duæ vaginæ ad latus ſibi poſitæ & æquales orificium uteri excipiebant; qui etiam duplex reperiebatur. Unica tamen utrinque erat tuba, cum unico ovario. CISENMANNUS. UTERUS.

### *Uteri defectus.*

OBS. 1461. Luſtrato cadavere cujuſdam fœminæ *ſterilis*, aliàs ſanæ, quæ mirum in modum querebatur quoties cum viro coïbat; genitalia externa, & vagina, nil peculiare & morboſum referebant; ſed haud citrà ſtuporem annotabatur, uterum & teſtes planè deſiderari. COLUMBUS.

De Utero materiâ craſſâ repleto, vide obſervat. Libr. I. 1310; Libr. II. 776.
De Uteri herniâ, vide obſerv. Libr. IV. 140.
De Uteri prolapſu, vide obſerv. Libr. IV. 141.

## *SECTIO DECIMA-TERTIA.*

## DE TUBIS ET OVARIIS.

### *Hydrops tubarum.*

OBSERVATIO 1462. In cadavere virginis trium & quadraginta annorum, quæ ab octodecim annis *ventris intumeſcentiâ moleſtiſſimâ* laboraverat; cum extremâ macie totius corporis; abdomen in tantam molem excreverat ut reliquæ partes vix conſpicerentur; quo aperto nulla aqua effluxit: omnis enim continebatur in dextrâ uteri tubâ, ad libras ſcilicet duodecim & centum. Craſſitiem ſemi-digiti habebant tubæ morboſæ latera, quorum ſuperficies multis veſiculis aquoſis, quaſi conſperſa, cernebatur. In latere oppoſito alter tumor conſpiciebatur continens purulentam, fungoſam, & cartilagineam materiam. Hepar inſuper ſe præbet

OVARIA. multis hydatidibus obſitum, quarum majores ovum columbinum ſuperabant. MUNNICKS.

OBS. 1463. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam fœminæ *ſterilis*, & cujus *abdomen* multis abhinc annis *in immenſum tumebat*, maxima colluviei purulentæ copia reperiebatur in utrâque uteri tubâ. TULPIUS.

In hac claſſe recipi queunt obſervationes Libr. I. 1064, 1693; 1755.

---

## *Tubarum purulentia.*

OBS. 1464. Fœmina triginta annorum innupta & ruricola poſt *febrem quartanam* pertinaciſſimam, menſtruis caruit; *tumoremque* mox *in ſiniſtro hypochondrio* animadvertit; cui in dies increſcenti jungitur *aſcites*. Progrediente morbo ad paracentheſim confugitur, quâ educitur colluvies quædam gelatinoſa ad quatuor & viginti libras. Tandem erumpente è pulmonibus pure ſuffocatur.

Reſerato pectore patent bronchia & trachea pure ſcatentia, à diſruptâ pulmonum vomicâ. Luſtrato abdomine conſtitit tubam Fallopianam, mirè expanſam, tumorem ſiniſtrum efformaſſe, qui ſcilicet laticis purulenti albi octodecim libras continebat. CLAR. DE HAEN.

---

## *Fœtus in tubâ.*

OBS. 1465. Mulier quatuor & triginta annos nata, poſt decennium *ſterilis* conjugii, tandem imprægnatur. Tertio geſtationis menſe fœtûs motionem circà ilium ſiniſtrum perſentit. Quinto de *pondere mobili per abdomen* queritur. Paulò poſt malè ſe habere cœpit; ingruunt ſcilicet *vomitiones*, & ſæviunt *ventris tormina*, cum teneſmo. Octavo menſe exacerbatis ſymptomatibus dejecit nonnulla fœtûs putridi oſſa, & dein totum fermè fœtum membratim, cum materiebus ichoroſis per podicem enixa fuit. Nonnullis elapſis menſibus inter haſce anguſtias tandem obiit.

Secto cadavere in conſpectum venit omentum ſiniſtrorsùm protenſum,

tenſum, & peritoneo hærens, non ſecùs ac ovario & veſicæ. Inteſtinum ileum varias inflammationis notas exhibebat. Uterus erat incolumis. Placenta verò invenitur denſiſſima & albicans; fimbriis tubæ Fallopianæ, non ſecùs ac inteſtino colo implantata, cui ulcere exeſo & perforato hiabat placenta. CLAR. BIANCHI.

OBS. 1466. Quædam gravida quatuor & viginti annorum, novem elapſis menſibus in parturientium dolores incidit; ſed incaſſùm. *Venter* poſteà ſimili fermè modo *tumet*, ſinè tamen magnâ moleſtiâ. Sub hoc ſtatu nonnunquam recurrunt *tormina atrociora. Febris* tandem exſurgit, *cum diarrhœâ* enormi, & ventris ſubſidentiâ. Rebus poſtremò in pejus ruentibus circà ſeptimum à primo graviditatis indicio annum ad plures migrat.

Reſerato abdomine reperiebantur infantis oſſa integrà, uti videbatur decimeſtris, in tubâ Fallopianâ ſiniſtrâ, quæ denſitatem & craſſitiem uteri contraxerat; variaſque gangrænæ notas exhibebat. Simili fermè labe afficiebatur hærens inteſtinum rectum, in quod tuba pervio foramine hiabat; adeò ut tumores cum carnibus putridis per hancce viam exitum ſibi paraverant. E DIARIO MEDICO.

Inter affines numerari debent obſervationes Libr. I. 1476, 1478, 1753. Inſuper vide *Fœtus extrà uterum*.

## *Ovaria tumentia.*

OBS. 1467. Cuidam mulieri *venter poſt puerperium* in tantam magnitudinem ſenſim *increverat* ut ejus ambitus continebat quinque pedes geometricos. Miſeram ſub hâc rerum conditione aliquandiù traxit vitam. Tandem triduò antè obitum, rupto umbilico ultrà octodecim aquæ menſuræ effluxerunt, paululùm ſubſidente ventre.

Luſtrato corpore, reperiuntur viginti aquæ menſuræ in abdomine. Ovarium dextrum ad ovi anſerini magnitudinem erat adauctum, pilis, & materiâ quâdam purulentâ, oleoginoſâ & albâ infarctum. FABR. HILDANUS.

OBS. 1468. In cadavere pauperculæ, *hydrope* defunctæ, abdomen continebat ſeri limpidi octo & quadraginta libras; poſt

OVARIA. cujus effluxum *tumor* remanſit in *inguine ſiniſtro* duriſſimus, de quo patiens diù conqueſta erat; qui nihil aliud erat quàm ovarium glandulis & hydatidibus intùs & extùs compactum, & tres libras pendens. Ovarium dextrum ſimili fermè modo afficiebatur; & decem ponderabat uncias. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1468. (*a*) Sectâ muliere quæ *tumorem in regione iliacâ ſiniſtrâ* gerebat reperiebatur ovarium ejuſdem lateris maximè diſtentum, & intùs aquæ circiter pintam continentem; præthereà corpora lutea innatantia, & veſiculæ quamplurimæ ſero turgidæ apparebant. PORTAL.

OBS. 1469. Luſtratis interaneis cadaveris cujuſdam viginis *hyſtericæ*, in conſpectum veniebat ovarium, inſtar majuſculæ pilæ, protuberans, croceo humore infarctum, & vicinas partes tingens. Gravè olebat prædictus latex, & quid tetrum præ ſe ferebat. VESALIUS.

OBS. 1470. Inter exenterationem cujuſdam virginis quatuordecim annorum, *affectibus hyſtericis* etiam obnoxiæ; ſed pulmonum inflammatione ſublatæ, deprehendebatur ovarium dextrum mole majus & humore quodam luteo & fœtidiſſimo ſcatens. VESALIUS.

OBS. 1471. In cadaveribus variarium *hyſtericarum*, deprehenduntur ovaria, nunc mole majora, nunc veſiculis ſero limpido, vel croceo plenis, referta; nunc materiam ſimilem ſero, vel purulentam, cum copiâ pilorum recondebat. J. BAUHINUS.

OBS. 1472. Cultro anatomico ſubjectis cadaveribus nonnullarum *hyſtericarum*, deprehendebantur ovaria excedentia magnitudinem pilæ palmariæ; materiâ nunc viſcidâ, nunc auriginosâ, nunc croceâ infarcta. DIEMERBROEK.

OBS. 1473. In cadavere mulieris novem & triginta annorum, quæ jamdudùm *doloribus nephriticis*, cum vomitu & urinâ cruentâ, erat obnoxia, in apricum veniebat ovarium ingens, & materiâ

quâdam ſteatomatosâ, cum oſſibus & pilis fœtum. E DIARIO ERUDITORUM. OVARIA.

OBS. 1474. In virginibus *hyſtericis* teſtes pugno grandiores, ſeroſo ſemine turgentes; quin etiam tubam uteri amplificatam, & valdè dilatatam ſæpiùs ſe vidiſſe teſtatur RIOLANUS.

De ſimili læſione mentio ſubjicitur in obſervationibus Libr. I. 110, 1435.

---

## *Ovaria ingentia.*

OBS. 1475. Fœmina triginta annorum, *menſibus deficientibus*, & doloribus nephriticis obnoxia, de *dolore ſtomachi* circà lienem, cum *tumente abdomine*, & nonnullâ fluctuatione querebatur. Præterea febre lentâ, ſiti, tuſſiculâ & vigiliis laborabat. Progrediente morbo venter magis protuberat, & macilentior evadit: deficit appetitus; febris & dolores exacerbantur, lotio parcè fluente. Celebratâ paracentheſi, educitur primò materia craſſa, viſcida, purulenta & ſanioſa ad libras tres; & dein aquâ ad duplum. Poſtridiè ſubitò corripitur *dolore ſæviſſimo in latere ſiniſtro* ad pedem ſe ſpargente; cum ſudore immani, vomitu & lypothymiis; ac brevi ad plures abiit.

Reperitur in ſiniſtrâ abdominis parte tumor ingens, & in dextrâ ſaccus aquâ plenus ejuſdem fermè magnitudinis. Peritoneum erat denſiſſimum, craſſum & ſcirrhoſum. Stomachum & inteſtina obſidebant tumores albicantes, ſcirrhoſi & grandiniformes. Epiploon ſemi-putridum obſervatur. Tumor lateris ſiniſtri nil aliud erat quàm ovarium viginti circiter libras pendens; & materias diverſæ ſortis diſtinctis cellulis recondens. Ovarium dextrum in ſaccum ejuſdem lateris abierat. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1476. Mulier quadragenaria, menſibus jam per plures annos ſuppreſſis, *tumore in abdomine* conqueritur qui ſenſim ſtupendam molem aſſequitur, pro variis ſymptomatibus hinc oriundis moleſtiſſimam. Poſt decem annos inter haſce ærumnas, occubuit.

Deprehendebatur in abdomine tumor quindecim libras pendens, qui ſectus exhibuit materias carneas, gypſeas, glanduloſas &

OVARIA. veſiculares ; membranas, vaſa & oſſa. Attento animo conſpecta hæc rudis & indigeſta moles exhibebat fœtûs trimeſtris reliquias in tubâ Fallopianâ ; quæ ſenſim infarcta, & diverſimodè labefactata uterum, ovarium & ligamenta in conſortium traxit ; è quibus invicem accretis conflari videbatur prædictus tumor. Ex Actis Parisiensibus.

OBS. 1477. Virgo ſexdecim annorum in *ventris tumorem* incidit, haud ſine graviditatis ſuſpicione. Procedente morbo, innoteſcit *hydrops* pertinaciſſimus ; menſibus planè ſuppreſſis. Tandem impeditur reſpiratio à protuberante abdomine ; omniſque denegatur decubitus. Poſt celebratam paracenteſim, benè ſe habere videbatur ægra ; cùm febre purpuratâ, delirio ſtipatâ corripitur, quâ intrà quatriduum tollitur.

Luſtrato corpore, præter aquæ copiam in abdominis cavo ſtagnantem deprehenditur ovarium ſiniſtrum mole maximum hydatidibus variæ magnitudinis ſcatens. Schacherus.

OBS. 1478. In cadavere cujuſdam fœminæ quæ multis abhinc annis *ventrem tumidum* geſtabat, occurrit ſaccus ingens qui ab utero, veſicâ & inteſtino colo prodire videbatur, ad hypochondrium ſiniſtrum aſcendens ; qui accurato examini ſubjectus, exhibet ovarium dextrum ingens, & variis materiebus refertum ; nempè humore quodam gelatinoſo, ſubluteo ; materiâ ſebaceâ, &c. quæ ſubſtantiæ peculiaribus cellulis, vel receptaculis continebantur. Prætereà animadvertebantur cum hiſce ſubſtantiis pilorum glomeramen, & tres dentes cum ſuis alveolis. Ex Actis Parisiens.

OBS. 1479. Mulier ſex & triginta annorum, ſuppreſſis menſibus & *ventre tumido*, pro gravidâ habebatur, cum circà decimum menſem procidit aqua per vaginam, & venter ſubſidet. Poſteà erumpunt menſes ; & ſecunda videbatur valetudo ; cùm denuò recurrit morbus, qui poſt plures menſes tanta *ventris tormina* poſt ſe trahit, ut viribus exhauſtis occubuerit miſella mulier.

Aqua ad libras ſexdecim ſtagnabat in abdomine. Nigricabant viſcera & peritoneum, quibus hærebat tumor ingens inferiorem abdominis partem replens ; quo examini ſubjecto, innoteſcit ovarium ſiniſtrum, pluribus cellulis, diverſis materiebus ſcatentibus, turgidum. Ex Actis Edimburgensibus.

OVARIA.

OBS. 1480. Virgo quæ amorem clandeſtinum, renuentibus parentibus contraxerat, *furore uterino*, & amentiâ corripitur. Nuda proſilit, laſciva petens, & niſi à robuſtiſſimis vinculis contineri poteſt. Perpetuò vigilat; oculi ſcintillant; facies igneſcit; humor viſcidus & acris per ſinum pudoris effluit; pulſuſque vehemens exploratur; tandem venæ ſectionibus exhauſta obiit.

Clitoris mirâ magnitudine prominebat. Occurrebant ovaria ingentis molis, cum ovulis inſperſis piſum æquantibus. MANGETUS.

OBS. 1481. Mulier ſex & viginti annorum, inter menſium ſuppreſſionem de acerbiſſimis *ventris doloribus* conquerebatur. Abdomen prætereà geſtabat tenſum & protuberantem. Tandem doloribus attrita, extremum diem clauſit.

Secto cadavere occurrit utrumque ovarium, ad capitis humani molem accedens, & ſuperficie inæquali. Horum ſubſtantia albicans & compacta veſiculas humore ſubrubente turgidas recondebat. Stagnabat inſuper in abdomine aqua limpida, inodora, ad libras ſex. Ejuſdem humoris libræ duæ etiam reperiebantur in pectore. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1482. Paupercula quadragenaria *tumorem* in abdominis *regione iliacâ* geſtabat, cum ſpirandi difficultate & *dyſuriâ*. Tumore in dies increſcente; tandem è medio tollitur.

Reſerato abdomine, in propatulum venit ovarium dextrum ingens; quod ſacci inſtar, varia corpora celluloſa, materiâ ſeroſâ, ſebaceâ & purulentâ, turgentia recondebat. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1483. In cadavere mulieris quadraginta circiter annorum, quæ *tumorem abdominis* ultrà triennium geſtaverat, reperitur ovarium dextrum mirum in modum diſtentum, hydatidibus fœtum, humore mucoſo & purulento turgidis; præter maximam aquæ ſubluteæ & graveolentis copiam in abdominis cavo ſtagnantem. VATERUS.

OBS. 1484. Mulier duorum & quadraginta annorum, duodecim abhinc annis *ventrem tumidum* geſtabat cum ſuppreſſis menſibus, & febriculâ; ſinè tamen dolore. Progrediente morbo deficit appetitus, proſternuntur vires, & accedit lethum.

OVARIA. Ovarium dextrum mole maximum quatuordecim libras pendebat; cum aquâ copiosâ in abdomine ſtagnante. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1485 Inſtitutâ exenteratione cujuſdam mulieris ſexagenariæ, cujus jampridem *abdomen* erat *tumidum*, cum *doloribus in hypogaſtrio;* animadvertebatur ovarium dextrum duorum pugnorum magnitudinem adæquans, materias purulentas, fuſcas, ſubrubras, cartilagineas, & oſſeas recondens. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1486. Virgo clauſtralis in *furorem uterinum* incidit, & tam enormem effrænatamque libidinem oſtendit, ut catenis vincienda fuerit. Dum conatus varios, quibus ab iis ſe impediret adhibet, derepentè ſuffocatur.

Teſticulus ſiniſter pugni magnitudinem æquabat, craſſo, uti videbatur ſpermate turgidus. BLEGNI.

OBS. 1487. In cadavere mulieris ſexagenariæ à decem annis *hydropicæ*, nullus reperiebatur tumor ſtagnans in abdomine: ſed ovarium dextrum ſtupendæ molis deprehenditur, ac centum libras, & ampliùs pendens; quod humorem viſcidum & fuſcum continebat. Plures etiam occurrunt hydatides pellucidæ, circà fimbrias tubæ Fallopianæ. VATERUS.

OBS. 1488. Quædam virgo in *furorem uterinum* incidit; dein tantâ maniâ fuit correpta ut catenis vinciri deberet. Intereà ex improviſo obiit.

Luſtrato cadavere occurrit ovarium dextrum pugni magnitudinem forte ſuperans, materiâque lentâ & viſcidâ infarctum. BLANCARDUS.

OBS. 1489. Mulier ruſtica, ſuppreſſis menſibus, *abdominis tumore* laborabat. Re naturæ commiſſâ, poſt maximum tumoris incrementum, quaſi ſubitò periit.

Introſpectis interaneis ovarium ſiniſtrum ingens annotatur, & aqueo liquamine repletum. ROLFINKIUS.

OBS. 1490. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam mulieris *derepentè extinctæ*, in propatulum veniebat magnus tumor teſticuli dextri, ob copiam pilorum, materiæque ſebaceæ, & purulentæ, quibus ſcatebat. J. BAUHINUS. OVARIA.

OBS. 1491. Quædam vidua ad *affectus hyſtericos* valdè proclivis; ex improviſo in terram concidit exanimis. Aperto cadavere deprehendebatur teſticulus ſiniſter ovi gallinacei molem æquans, intùs & extùs nigricans. RIVERIUS.

OBS. 1492. In cadavere cujuſdam fœminæ, quæ *aſcitica* putabatur, venter non affuſâ aquâ; ſed tumore opplebatur ovarii ſiniſtri, ponderis quatuor & viginti librarum, quod humore viſcido, lento & lutulento partim ſcatebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1493. In cadavere cujuſdam virginis à quinque & viginti annis *ſuffocationibus uterinis* obnoxiæ, & febre putridâ ſublatæ, erant ovaria ingentia, veſiculis tetro, & atro humore repletis, obſita. HEURNIUS.

In hâc ſerie locum aſſequi volent obſervationes Libr. I. 1423, 1693, 1698, 1699; Libr. IV. 168.

---

## *Ovariorum purulentia.*

OBS. 1494. Mulier quadragenaria diuturno pectoris morbo oppreſſa *tumorem* geſtabat *in hypogaſtrio*, qui ad umbilici regionem accedebat; haud ſine maximâ moleſtiâ, quâ tandem victa occubuit.

Reperiebatur in abdomine corpus quoddam pugni magnitudinem ſuperans; à quo inteſtina ſursùm & extrorsùm compellebantur. Quo examini ſubjecto, innoteſcit ovarium ſiniſtrum, ſubrotundum & tuberoſum, in pelvis medio ſitum, variiſque abſceſſibus refertum, CLAR. MORGAGNUS.

OVARIA.

OBS. 1495. Quædam fœmina ex aſſiduâ & contumaciſſimâ *gonorrhœâ*, enormes *cruciatus circà uteri regionem* patiebatur. Tandem doloribus victa extremum diem clauſit.

Cadavere cultro anatomico ſubjecta deprehendebatur in abdomine abſceſſus ingens in altero ovario. PANAROLUS.

Inter affines numerari debent obſervationes Libr. II. 372, 856; Libr. III. 198.

## *Ovaria ſcirrhoſa.*

OBS. 1496. Mulier ſexagenaria multarum prolium parens, à pluribus annis *phthiſi*, uti videbatur, laborans, tandem diarrhœâ colliquativâ, cum doloribus vagis in abdomine corripitur. Sequitur ventris & pedum intumeſcentia, quæ mortem poſt ſe trahit.

Nulla reperitur exulceratio in pulmonibus, materiâ ſolummodò ſpumosâ infarctis. Ramus arteriæ cœliacæ ad lienem tendens in anevryſma ſeu in ſaccum rotundum oſſeum nucis juglandis magnitudine dilatatus erat. Ovaria mole majora occurrebant ſcirrhoſa & tuberculoſa. Tuba Fallopiana ſiniſtra exhibebat tumorem oſſeum ovum gallinaceum magnitudine æquantem qui intùs recondebat diverſas cavitates membranâ inveſtitas. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1496. (*a*) Mulier quinque & triginta annos natæ poſt quintum partum, *tumor* grandis, durus & inæqualis *in inguine ſiniſtro* tangitur. *Venter* intereà magis *tumet*; ac per tres annos in tantam molem excrevit, ut tandem miſellam ægram ſuffocaverit.

Secto abdomine effluxit aqua ad libras quinquaginta. Dein luſtratis interaneis, reperitur tumor ingens, decem libras ad minimum pendens, variis tuberibus & ſulcis inæqualis; globis ſcilicet quaſi in acervum congeſtis conſtans, tubæ ſiniſtræ hærens, qui nil aliud erat quàm ovarium ſiniſtrum, ſcirrhoſum, & diverſas materias recondens DRELINCURTIUS.

OBS. 1497.

OVARIA.

OBS. 1497. Cuidam mulieri octo & viginti annorum *venter tumebat cum dolore in inguine ſiniſtro.* Inter ſpem graviditatis, innoteſcit *hydrops.* Intereà venter ulteriùs protuberat Nil proficientibus remediis ad paracenteſim devenitur, quæ intrà quadriennium quinquageſies fuit celebrata : eductâ ſtupendâ aquæ copiâ, tandem occubuit.

Omnia abdominis viſcera cruſtâ quàdam gelatinosâ obducebantur. Epiploon ingens & ſcirrhoſum inveniebatur. Ovarium ſiniſtrum mole maximum & ſcirrhoſum, involucro quaſi cartilaginoſo, varias hydatides recondebat. EX ACTIS LONDINENSIB.

OBS. 1498. Mulier quadragenaria, & fœcundiſſima, de inordinatis menſibus querebatur. Poſt biennium erumpunt *in utroque hypogaſtrio tumores duri & mobiles.* Irritis omnibus præſidiis ſolitum incrementum capiunt prædicti tumores ; & hydropem lethalem poſt ſe trahunt.

Deprehendebantur ovaria ſtupendæ molis, quæ ſeorſim quatuordecim libras pendebant. Horum ſubſtantia ſcirrhoſa innumeris hydatidibus erat referta. Uterus inſuper occurrit durus & exiguus ; omentum ſemi-putridum ; & meſenterium ſcirrhoſum. EX ACTIS CHIRURGIENS. PARISIENSIBUS.

OBS. 1499. Mulier juvenis & formoſa, à marito ob zelotipiam faſtidita, tacitè injuriam concoquit. Intereà à non exculto naturæ fundo, crebris *affectibus hyſtericis* divexatur ; quibus ſuccedit *delirium melancholicum :* tandem diutino mœrore, & inædiâ confecta extinguitur.

Secto cadavere, teſtes vaſaque omnia tum præparantia, tum aſſervantia ; vel deferentia materiâ quâdam lentâ, induratâ ; ac in gypſeam duritiem concretâ, infarcta deprehendebantur. BONETUS.

Ad hanc ordinem revocari debent obſervationes Libr. I. 918 ; 1267, 1520, 1702, 1707. Libr. II. 363.

## *Tumores ex ovariis.*

OBS. 1500. Fœmina quadragenaria, debilis conſtitutionis, poſt numeroſos partus, & varios abortus, *hyſterica* evadit, cum *ventre tumido, reſpiratione difficili*, & *tuſſi ſiccâ.* Explorato abdomine, deprehenditur in regione umbilicali corpus ſcirrhoſum ingens, incipiens à latere dextro, paulò ſuprà umbilicum, & ſeſe extendens ad hypogaſtricam regionem, cum motu aquæ reſonantis. Intereà urget tuſſis ferina, diu noctuque, cum ſputo cruento, ſummâ ſpirandi difficultate, febriculâ, & decumbendi impotentiâ. Sub hoc rerum ſtatu menſes copiosè & inordinatè fluebant; abdomen fit tumidius, tenſius & gravius. Poſteà accedit dolor lateris circà hepatis regionem, cum urinâ paucâ; craſſâ & lixiviosâ, atque crurum tumore. Omnia in pejus ruunt; ac demùm fractis viribus ad extremam maciem reducta, obiit.

Præter ingentem aquæ flaveſcentis & lixivioſæ copiam in abdomine, invenitur tuber magnum, ponderis decem librarum, extùs carnoſum, intùs pure cruento ſcatens, ex ovario dextro ortum ducens. Aliud tuber deprehenditur in meſenterio pugni magnitudinem ſuperans. Alia verò minoris molis paſſim occurrunt. Præterea pancreas erat duriſſimum; omentum putre & partim abſumptum. Utrumque denique pectoris latus aquam recondebat, cum pulmonibus nonnihil inflammatis, & maculis nigris conſperſis. HARDERUS.

OBS. 1501. Quædam muliercula quinque & quadraginta annos nata jamdudùm *hyſterica*; & variis *abdominis protuberantis torminibus* obnoxia, tandem in hydropem *aſcitem* incidit; quæ ſenſim ad ultimum gradum devecta, mortem poſt ſe trahit.

Exenterato cadavere, præter diluviem aquoſam in abdomine ſtagnantem, in propatulum veniebat alterum ovarium duplo major, è quo erumpebat tumor quidam cyſticus, pugni magnitudinem ſuperans, & materiâ quâdam ſebaceâ ſcatens. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 1502. In virgine triginta annorum, *chloroſi* laborante, & *repentinâ morte* extinctâ in conſpectum veniebat teſticulus ſiniſter

pugno major ; intùs humore ſeroſo & ſubflavo refertus ; foris verò ſanguine ſuffuſus. RIOLANUS. OVARIA.

OBS 1503. Inter ſectionem cujuſdam fœminæ, de *dolore & tumore in hypogaſtrio dextro* ſæpiùs querulæ, reperitur tumor ovario dextro tumido adnatus ; quaſi ovum ex ovo protuberans. RUYSCHIUS.

OBS. 1504. In nonnullis virginibus *hyſtericis* & *puerperis*, poſt obitum diſſectis teſtes atheromate, & ſteatomate, magnitudine pugni diſtentos ſe vidiſſe teſtatur RIOLANUS.

Haud abſimilem caſum exhibet obſervatio Libr II. 1.

---

## *Hydrops ovariorum.*

OBS. 1505. Mulier duorum & quinquaginta annorum menſtruans, à duodecim retrò annis tuſſi vexata, poſt venæ ſectionem fluxu menſtruo caruit. Paulò poſt de *dolore in hypogaſtrio* queritur & *tumet venter.* Poſt menſem dura omnia deprehenduntur in hypogaſtrio ; nullâ fluctuatione. Dein inter ambulandum, quodam dolore cum dilacerationis ſenſu in ſiniſtrâ abdominis parte corripitur, Ex illo die manifeſta fuit *humorum undulatio* & venter magis protuberat. Inſtituta paracenteſis duodecim libras humoris fuſci & turbidi eduxit. Poſt duos circiter menſes repetitur hæc operatio, quâ evacuatur ſimilis latex ad libras ſexdecim. Tum ſæviunt anxietates, & urget ſpirandi difficultas cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. Tandem variis incaſſùm tentatis præſidiis obiit.

Corpus ingens fuſcum & durum totum replebat abdomen, ab imâ pelvi ad hepar & lienem. Accurato examine patuit ovarium dextrum quod quatuor & viginti aquæ libras continebat ; præter varia tubercula ſebacea aut ichoroſa, quibus ſcatebat prædictum ovarium ſacciforme. Ovarium ſiniſtrum in varios degeneraverat tumores. Uterus mutatus fuerat in duram ſubſtantiam difficilè perſcindendam ; & ejus cavitas ferè oblitterata. Pauca erat aqua in abdominis cavo : ſed ſtagnabat in dextro thoracis latere ad

OVARIA. libras tres. Plevra inſuper, diaphragma & mediaſtinum tuberculoſa deprehendebantur. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1506. Muliercula duorum & quadraginta annorum à bubone peſtilenti liberata, paulò poſt *cruris dextri tumeſcentiam* patitur. Tumore in dies increſcente ægrè incedebat. Dein *venter tumebat* ſine moleſtiâ; menſibus inordinatè fluentibus. Triennio ante obitum, appetitus imminuitur, & *reſpiratio* fit *difficilis*. Serum interdum è crure œdematoſo per diapedeſim fluebat certo proventu cum ſolamine. Dein intumuit pes ſiniſter; tument pudenda, cum manifeſtis hydropis indiciis. Ingraveſcente demùm ſpirandi difficultate, viribuſque exhauſtis, à morbo decem circiter annorum ſuccubuit.

Reſerato abdomine, in apricum venit moles ingens, utrem aquâ repletum referens; qui uter nil aliud erat quàm ovarium dextrum continens ſeri ſubflavi ſexaginta libras, cum variis corporibus diverſæ molis & naturæ, quorum nonnulla erant ſanioſa, purulenta & putrida; inter quæ plurima patebant ovula. Tuba ejuſdem lateris erat planè oblitterata: ne guttula quidem ſeri extravaſati obſervata fuit in abdominis cavo. ZWINGERUS.

OBS. 1507. Quædam mulier *hemicraniæ*, *convulſionibus*, *febribuſque tertianis* obnoxia, de *dolore lateris* conqueritur, *lotio* nonnunquam *cruento*, & *purulento*. Pus etiam per anum & uterum excreverat; & à venere, per multos annos ob dolorem abhorruit. Dein protuberante primùm latere dextro abdominis; totus *intumuit venter*, *cum maximis doloribus*. Accedunt proſtremò raucedo & ſpirandi difficultas; & poſt ægritudinem ſexdecim annorum ſuffocata expiravit.

Primâ abdominis ſectione reperitur tumor inſignis in dextro latere; vel ipſummet ovarium ingens, atque aquæ libras novem, & ultrà, continens: omentum verò erat planè abſumptum. Circà collum uteri conſpiciebantur binæ fiſtulæ ad anum vergentes, & purulentæ. Multum prætereà ſeri ſtagnabat in utroque thoracis latere. Mirum ſanè nullum reperiri pus, nec in abdomine, nec in renibus, & nullum fuiſſe fœtorem. C. BAUHINUS.

OBS. 1508. Fœmina triginta annorum, poſt *partum imma-*

*turum*, lochiis parcè fluentibus, manſit *venter tumidus ;* tanquam adhuc gravida eſſet. Creſcente tumore, accedunt ſitis inextinguibilis ; *ardor ingens in abdomine ;* dolor à cibo & potu ; *ſtranguria*, aliaque ſyptomata, quibus tandem è medio tollitur.

OVARIA.

Luſtrato cadavere, propatulum venit ſaccus membranaceus, craſſus, peritoneo, utero & inteſtino recto firmiter adnatus ; ubi ovarii ſiniſtri vaſa, & tuba cum aliquot hydatidibus, illic infixa apparebant. Præter ingentem aquæ copiam continebat hic ſaccus tumorem glanduloſum pugno majorem exulceratum & putridum. Omentum ad ſuperiora retruſum plurimis corporibus glandiformibus ſcatebat. Prætereà vermis reperitur in ileo ultrà octo ulnas longus & depreſſus, cujus fruſta interdum ejiciebat, dum viveret, ægra. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1509. Mulier quinque & quadraginta annorum febri cuidam intermittenti obnoxia, quam largo vini potu depellere ſolebat ; ob intempeſtivè *cohibitam urinam* præ verecundiâ incidit in *iſchuriam.* Dein *tumet abdomen.* Fruſtrà variis adhibitis remediis, tandem è decocto juniperi benè ſe habet : ſed venter inæqualis figurâ & tactu deprehenditur. Poſteà ad paracenteſim devenitur, cujus ope educuntur liquoris fuſci & ſpiſſi ſex & quinquaginta libras. Accedunt anxietates ; vires deficiunt ; ac tandem ſuperveniente ſingultu pertinaciſſimo migravit ad Superos.

Reperitur in abdomine ſaccus ingens, totum ferè abdomen replens, peritoneo partim accretus, qui ab ovario ſiniſtro ortum ducebat. Hic ſaccus craſſus, tuberoſus & ſemi-purulentus aquam fuſcam, copioſam & fœtidam recondebat ; præter quam alia ſtagnabat in abdomine minimè fœtens. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1510. Mulier quinquagenaria *tumore ventris* laborabat, qui pro graviditatis ſigno à nonnullis habebatur. Progrediente intumeſcentiâ, & ſuperato ſolito partûs tempore cogitatur de *hydrope ;* hinc varia in uſum trahuntur præſidia ; ſed fruſtrà. Intereà maximum incrementum capit tumor ; adeò ut poſt quatriduum, ventrem portentoſum haud ſine magnâ moleſtiâ geſtabat ægra : quæ demùm fatis ceſſit.

Aperto cadavere in apricum veniebat ſaccus ingens in abdomine, quinquaginta ad minimum aquæ ſordidæ libras continens ; qui accuratiori examini ſubjectus exhibet ovarium dextrum in hanc portentoſam molem diſtentum ; quod, exhauſtâ colluvie, duodecim libras ponderabat. Huic tumori accreta erat tuba

Ovaria. ejuſdem lateris, à nativâ formâ planè degener E nostris Adversariis.

OBS. 1511. Fœmina ſeptem & quinquaginta annorum poſt immanem *uteri hæmorrhagiam*, de *dolore ventris* queritur. Hunc excipit *tumor abdominis;* & brevi in propatulum venit *hydrops*, quam per plures annos geſtavit, cum obſcurâ fluctuatione. Inciſo, arte chirurgicâ, abdomine, educitur materia quædam gelatinoſa & craſſiſſima ad quinque & triginta libras. Protelatâ hâc evacuatione per plures dies, accedit *alvi fluxus;* ingruit *febris*, vires deficiunt, & decimo à primâ operatione die obiit.

Inveniebatur in abdomine tumor cyſticus totam fermè cavitatem occupans; erumpens è latere dextro uteri, ex ovario ſcilicet & tubâ fallopianâ, cujus pars fimbriata in ſuperficie tumoris percipiebatur. Præter materiam vel colluviem gelatinoſam, varias hydatides recondebat prædictus tumor. Ex Actis Chirurg. Parisiensium.

OBS. 1512 Mulier quadrageſimum quintum ætatis annum agens, poſt *hæmorrhagiam uteri* periculoſiſſimam incidit in *hydropem* abdominis, vel *aſcitem;* propter quam paracenteſis novemdecies intrà annum celebratur. Tandem viribus exhauſtis; & urgente febre lentâ, ad plures migravit.

Secto abdomine, fluit aqua gelatinoſa ad libras quadraginta. Dein in conſpectum venit ſaccus ampliſſimus totum ventrem replens, omniaque viſcera cooperiens, & occultans, cui arctè hærebant omentum & muſculi abdominales; parte infimâ utero adnatus, è quo prodire videbatur, propè tubam fallopianam vix dignoſcendam. Varios inſuper tumores ſcirrhoſos, & purulentos, quorum nonnulli pugni magnitudinem æquabant, cum innumeris hydatidibus, recondebat hic tumor cyſticus, ex ovario prognatus. Ex Actis Chirurg. Parisiensium.

OBS. 1513. Mulier melancholica viginti annorum, pectore opprimitur, cum *protuberante abdomine.* Appetitus proſternitur, cum ſiti, *febre hecticâ*, & tabe. Dein accedunt *diarrhœa* torminoſa, ſudores colliquativi, *tumor hydropicus crurum & abdominis;* tuſſis perpetua, & *reſpiratio anhæloſa;* quibus ægra in maraſmi ſtatum redigitur ſpatio ſex hebdomadarum; & tandem interiit.

Pulmones infarcti plevræ hærebant. Unius ovarii parenchyma exulceratione planè exeſum & conſumptum deprehendebatur;

cujus involucrum mirè diſtentum occurrebat ; continens ſcilicet plures lymphæ purulentæ libras , cum oſſiculis , & quibuſdam fibrillis flavi crinis formam præ ſe ferentibus. MORTON.

OVARIA.

OBS. 1514. Quædam virgo *ſuppreſſis menſibus* malè ſe habebat, donec tandem *intumeſceret venter*, ut ratione molis malè audiret ; vel graviditatis ſuſpicionem moveret. Cum benè ſibi conſcia de vitâ deſperaſſet , ut mortuum corpus ſecaretur pro innocentiæ teſtimonio petiit.

Ideò inciſo poſt obitum abdomine effluxit plurima aqua. Omentum conſpiciebatur ſemi-corruptum. Ovaria ex utrâque parte non ſolùm capitis recens nati magnitudinem aſſequebatur ; ſed etiam livida , & quaſi fungoſa ſe præbebant ; ac veſicis aquoſis plena , quæ ex majori parte ruptæ fuerant ; unde aqua ſtagnans in abdomine. Pulmones præterea ſemi-corrupti inveniebantur. SCHENCKIUS.

OBS. 1515. Virgo quinquageſimum quintum ætatis annum agens, jamdiù in *hydropem* inciderat. Equidem ſtupenda erat abdominis & artuum inferiorum moles, cum difficili reſpiratione. Paracenteſi ter celebratâ educitur colluvies lutulenta , ſanioſa , & ex rubro nigricans ; ac graveolens. Intereà pergente morbo, & urgentibus doloribus , vires deficiunt, & accedit lethum.

Secto abdomine , & exhauſtâ materiâ ejuſdem indolis in ejus cavo ſtagnante , invenitur ingens ſaccus , extrà quam ſita erant viſcera , quaſi recondita. Ejus facies interior obſita erat abſceſſibus, tumoribus ſcirrhoſis & hydatidibus. Hæc cyſtis nil aliud erat quàm ovarium ſiniſtrum. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1516. Quædam virgo quadragenaria hydrope *aſcite* corripitur. Poſt lapſum ab alto fit inſolita humorum evacuatio per anum , & genitalia. Venter ſubſidet remanente quodam tumore. Octo annis ſub hâc rerum conditione elapſis ; *dolore* vehementi *lumborum* , & ſiti intensâ prehenditur : accedit *ſpirandi difficultas* ; vires collabuntur ; & paulò poſt obiit.

Aperto cadavere , hepar occurrit partibus ambientibus morboſè hærens , & nonnullas gangrænæ notas exhibens propè ſtomachum. Cyſtis fellea inanis annotatur. Renes obſidebant hydatides. Ovarium dextrum mole majus , & pondo quatuor librarum , laticem fuſcum , cum variis corpuſculis ſcirrhoſis continebat. Siniſtrum,

OVARIA. magnitudine mali aurantii, hydatidibus ſcatebat. EX ACT. PHIS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 1517. Matrona quædam *hydropica*, cultro anatomico poſt obitum ſubjecta, ſtupendam aquæ flaveſcentis, urinæ haud abſimilis, copiam, vel menſuras quatuor & viginti, exhibuit in abdomine. Dimidium hujuſce cavitatis occupabat ſaccus membranaceus quinque menſuras aquæ limpidæ continens. Circà latus dextrum alius minor unius & dimidiæ menſuræ capax, humorem craſſum, & amurcæ ſimilem recondens. Alter in ſiniſtro latero ejuſdem magnitudinis ſero lacteſcente plenus. Nonnulli prætereà alii minores occurrebant humore diverſo ſcatentes. Varia ligamenta in ſiniſtram uteri tubam implantata prædictos ſaccos colligabant. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1518. Virgo triginta annorum poſt quemdam laborem arduum, conqueritur de *dolore ſubitaneo in abdomine*, quod dein in *tumorem* attollitur. Hunc tumorem ſolitum incrementum in dies ſumentem per quindecim annos geſtavit; quibus elapſis reſpiratio fit difficilis; non ſecùs ac inceſſus. Accedunt lypothymiæ, tuſſis ſicca & febris lenta, quibus tandem occubu t.

Exenterato cadavere reperitur in abdomine corpus quoddam ſphericum, lateri ſiniſtro uteri adnatum, & jure pro ovario habitum, latice ichoroſo repletum. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 1519. Quædam mulier, ſuppreſſis menſibus, in *tumorem abdominis* incidit, qui ſenſim ità increvit ut ſucceſſu temporis enormis evaſerit. Intereà *artus œdematoſi* ruborem eryſipelaceum patiuntur; hunc preſſo pede ſequebatur gangrena, quæ ferulam habuit exitum.

Celebratâ cadaveris ſectione, deprehendebatur in abdomine ſaccus ingens craſſiſſimus colluviem quamdam mucoſam continens, ad libras circiter quinquaginta. Peritoneo, utero & tubæ dextræ hærebat hic tumor cyſticus; & pro ovario dextro ab omnibus habebatur. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 1520. Vidua quinque & quadraginta annorum ad *hyſtericum affectum* proclivis, in febrem lentam ſenſim incidit cum levi ſpirandi difficultate, de *dolore in regione epigaſtricâ* dextrâ. Dein artus

artus inferiores fiunt œdematoſi ; collabuntur vires & accedit lethum.

OVARIA.

Reſerato abdomine, ovarium dextrum ſex hydatides exhibebat, quarum majores ad ovi columbini magnitudinem accedebant ; minores verò nucem avellanam æquabant. Ovarium ſiniſtrum duplo majus quàm par erat, ſcirrhoſum deprehendebatur. BARRERUS.

OBS. 1521. Obſtetrix quadraginta annorum de *tumoribus moleſtiſſimis* in ſiniſtro *abdominis* latere querebatur. Progrediente morbo, venter ingentem molem ſenſim adipiſcitur. Urgentibus denique gravioribus ſymptomatibus ad Superos migravit.

Reperiebatur in abdomine cyſtis materiâ fæculentâ, adiposâ & cruentâ turgens, uteri dextro lateri adnata ; hinc pro ovario ab omnibus habita. Integer hic ſaccus ad quinquaginta libras accedebat. CAMERARIUS.

OBS. 1522. In cadavere cujuſdam mulierculæ quæ à pluribus annis *ventrem tumidum*, cum tibiis œdematoſis geſtabat ; & inter *ſingultum* pertinaciſſimum extinctæ ; paſſim occurrunt in tubo inteſtinali maculæ gangrænoſæ. Diaphragma circà œſophagum levi phlogoſi tactum conſpicitur. Ovarium ſiniſtrum mole majus, humorem lutulentum continebat. Stagnabat inſuper colluviei ſeroſæ & turbidæ copia in abdomine. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 1523. Quædam mulier, *ſuppreſſis menſibus*, *abdominis tumore* laborabat, qui ſenſim incrementum ſumens, tandem poſt novem annos vitæ impoſuit finem.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, præter omentum putridum videre fuit utramque uteri tubam novem circiter aquæ puriſſimæ libras continuiſſe, innumeris propè modum veſicis incluſas. TULPIUS.

OBS. 1524. In cadavere fœminæ duorum & quadraginta annorum, quæ jampridem *abdomen ſummè protuberans* geſtabat, comperiebatur ſaccus ingens octodecim libras ſeri ſublutei recondens. E latere dextro uteri ortum mutuari videbatur ; & poſt accuratius examen ovarium innoteſcit, quod plura corpora veſiculoſa, latice fuſco turgida continebat. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

OVARIA.

OBS. 1525. Virgo quinque & quadraginta annorum poſt ſuppreſſos menſes *ventris protuberantiâ*, & *ſpirandi difficultate* laborabat. Senſim increſcens, ingens dein evadit tumor abdominis quem per quinque annos geſtavit. Poſteà ingruit vomitus; crura fiunt œdematoſa; vires deficiunt, & obiit.

Occurrit ovarium dextrum mole ampliſſimum & ſexaginta libras pendens, variis cellulis aquâ turgidis refertum. IMHOFFIUS.

OBS. 1526. Vidua quinquagenaria cujus *venter* à pluribus annis *intumuerat*, de quodam *pondere in regione hypogaſtricâ* querebatur; ubi tactu percipiebatur corpus magnum, durum & mobile. Intereà morbo ſenſim ingraveſcente occubuit.

Luſtrato abdomine in conſpectum venit ſaccus ingens ſexaginta aquæ libras continens; ex ipſomet ovario mirè dilatato, ortum ducens. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 1527. In cadavere mulieris, quæ multis abhinc annis *immenſum abdominis tumorem* geſtabat, in conſpectum veniebat ovarium ſtupendæ molis; quod ſcilicet totam abdominis cavitatem non ſolùm replebat; ſed etiam diaphragma uſque ad tertiam coſtam legitimam repellebat. EX ACT. EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 1528. Luſtrato cadavere cujuſdam ſeptuagenariæ, *hydrope abdominis* extinctæ, reperiebatur ovarium mirum in modum turgens, & totum ferè abdomen explens, aquâ, ichore & pure infarctum. Simulque prætereà vera erat aſcites. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1529. Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam *hydropicæ*, exhibet ovarium dextrum totam fermè abdominis cavitatem occupans; in quo octoginta libræ, & ampliùs, ſeri limpidi congeſtæ fuerant. CLAR. BIANCHI.

OBS. 1530. In cadavere cujuſdam *hydropicæ* nulla erat in abdomine aquæ ſtagnatio; ſed ovarium in immenſam molem accreverat

è congerie hydatidum, quarum majores plures aquæ viſcidæ libras continebant. Ex Actis Londinensibus. OVARIA.

OBS. 1531. Inter ſectionem mulieris quæ dum viveret de *tumore dextri lateris* querebatur; occurrit ovarium dextrum decem aquæ libras continens. Bauhinus.

In hâc ſerie recipi debet obſervatio Libr. I. 1701.

## *Fœtus extrà uterum.*

OBS. 1532. Mulier duorum & viginti annorum *dolores in hypogaſtrio* patiebatur, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. Septimo graviditatis menſe exploratum uteri oſculum omnem graviditatis opinionem excludebat; etſi fœtus movebatur in abdomine. Intereà accedunt vomitus, inappetentia, ſitis morboſa, febris & vigiliæ cum alvo adſtrictâ. Facies ſubflavo colore fœdatur, cum macie totius corporis, nonnunquam recurrentibus animi deliquis. Poſteà *inſolito pondere ad fundum abdominis* premebatur ægra, fœtu nullum motum edente. Poſt menſem à fœtu mortuo, ingruit *febris* immanis cum intenſo frigore; urgentibus lypothymiis. Abdominis moles in immenſum accrevit, cum imminente ſuffocatione. Tum *fœtus* à ferè ſeptem hebdomadis mortuus & ſemi-putridus *ſectione Cæſareâ extrahitur*; quâ fluxit pleno gurgite ſerum putridum, ſanioſum & fœtidiſſimum. Undecimo ab operaratione die exacerbatur febris; urget ſpirandi difficultas; impeditur deglutitio, & accedunt convulſiones lethales.

Luſtrato cadavere, invenitur ſaccus ingens totam fermè abdominis cavitatem occupans; in quo fœtus fuerat contentus. Singulis partibus undequaque circumpoſitis intimè adhærebat prædictus ſaccus, qui nil aliud erat quàm tuba ſiniſtra in immenſum dilatata; utero remanente qualis in non gravidis ſolet. Ex Instituto Bononiensi.

OVARIA.

OBS. 1533. Mulier triginta annos nata inter primos graviditatis menſes, *dolores acerbos in toto imo ventre* cum nauſeis, & animi deliquiis patiebatur. Quinto menſe lacte diſtenduntur mammæ; & perſiſtentibus doloribus, accedunt febricula & macies. Labente nono menſe ingruunt *dolores lumbares* vehementiſſimi, & per quatriduum ſæviunt. Fœtus extrà ſitum tactu percipitur; ceſſat ejus motio, & ſilent dolores. Paulò poſt lecto ſurgit mulier & domeſtica penſa ſumit; cum tamen *remanente ponderis ſenſu* in ventre tumido. Dein prodeunt menſes. Senſim inter quatuordecim annos res in deterius ruebant; donec febre lentâ, ad extremam maciem redacta, ac doloribus ulceribuſque per univerſum corpus attrita prægnans obiit.

Reſerato abdomine, peritoneum exſuccum denſa & coriacea fœtûs incorrupti involucra obtegebat; quæ etiam meſenterio arctiſſimè jugebantur. Fœtus cruſtâ quâdam ſebaceâ obducebatur; & octo libras pendebat. Omnes ejus partes molles & flexiles annotabantur. Saccus erat apertus qui ſiniſtrum crus fœtûs recipit & materiam quamdam memoratæ cruſtæ haud abſimilem. Hic ſaccus dignoſcitur pro ovario dextro, in quo fœtus enutritus, ad debitam naſcentium magnitudinem excreverat. CLAR. BIANCHI.

OBS. 1534. Mulier gravida ſolito tempore, in dolores parturientium incidit, ſed fruſtrà. Accurato examini ſubjectus uterus reperitur vacuus; & nullum fuit dubium quin infans indeſinenti motu agitatus, extrà uterum ſitus fuiſſet. *Præterito partûs tempore, ceſſat motus infantis*, & compeſcuntur ventris dolores: ſed remanet *ventris tumor*, uſque ad obitum; per triginta ſcilicet annos: quibus elapſis, ingruit pectoris inflammatio, quæ graviſſimis ſymptomatibus ſtipata, tandem miſellam ægram ad libitinæ rationem mittit.

Exenterato cadavere deprehenditur in abdomine tumor capitis humani magnitudinem ſuperans, utero adnatus, qui nil aliud erat quàm tuba fallopiana in immenſum dilatata, continens fœtum nonimeſtrem putriditatis expertem; cujus involucra erant craſſiora & denſiora; partim ſcilicet cartilaginea, partim oſſea. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1535. Quædam fœmina, ſuppreſſis menſibus, incidit in *dolores colicos* pertinaciſſimos, & *vomitu* ſtipatas. Intereà *venter* ſenſim *tumebat*, cum *motione* quâdam *internâ*, quaſi à corpore vivente extrà regionem uteri. Poſt novem menſes à ſuppreſſis

menſibus, *dolores* fiunt *acerbiores*, ceſſante prædicto motu interno. Urget vomitus cum alvi fluxu contumaciſſimo; & inter haſce ærumnas vitam miſerrimam traxit ultrà ſex menſes.

OVARIA.

Abdomen aquæ ſubrubræ quatuor & viginti libras continebat. Prætereà occurrit fœtus mortuus nonimeſtris ſitus in latere ventris dextro, capite hepar attingente. Funiculus umbilicalis octo pollices longus, à placentâ ortum trahebat, tribus ſuperioribus lumborum vertebris hærente. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1536. Mulier quadrageſimum ætatis annum agens ſæpiùs conquerebatur ſe lapideam quamdam molem in utero geſtare. *Pondus* ſentiebat tribus *infrà umbilicum* digitis, permoleſtum. Tandem ſub hâc rerum conditione caſu ab alto, ſubitò enecatur.

Secto abdomine occurrit tumor ingens ad capitis magnitudinem accedens, cujus involucrum duriſſimum & denſiſſimum, ope variorum ligamentorum vicinioribus partibus annectebatur. Continebat prædictus tumor fœtum communem ſitum retinentem; qui jam aliquatenùs lapideſcere cœperat; neque ultrà eam magnitudinem excreverat, quam fœtus ſemeſtris aſſequi ſolet. Uterus inſuper illæſus & intactus reperiebatur. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 1537. Fœmina quatuor & triginta annorum inter adverſam valetudinem, ad decimum graviditatis menſem perducitur, nullo adveniente partu. Exacerbatis tùm *ventris doloribus*, non ampliùs movetur fœtus; *venter ſubſidet;* hypogaſtrio tamen remanente tumido. Dein *ſedantur dolores;* ſed vires collabuntur; & poſt decem circiter dies abiit ad plures.

Abdomen ſex aquæ cruentæ libras continebat; quibus exhauſtis, in conſpectum venit fœtus nonimeſtris partim nudùs, partim ſuis involucris obductus. Cyſtis quâ fœtus cum ſuis membranis involvebatur, à dilatatâ tubâ oriri videbatur. BRUNETUS.

OBS. 1538. Quædam mulier circà ſeptimum impraegnationis menſem, *ventris doloribus accerbiſſimis* corripitur: poſtridie ſedatis haud ampliùs ſentit infantis motum: *venter ſubſidet*, *hypogaſtrio* tantùm remanente *duro*, & *tumido*. Poſt elapſum annum ingruit febris; recrudeſcunt dolores in hypogaſtricâ regione. Progrediente

OVARIA.

febre contabeſcit ægra ; & tandem collapſis viribus occubuit.

Inter ſectionem cadaveris, deprehendebatur pulmo dexter plevræ accretus. Luſtrato abdomine occurrit in regione hypogaſtricâ, vel pelvi, ſerum ſordidum & ſanioſum cui innatabat fœtus nudus, & ſemi-putridus. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 1539. Fœmina circà quartum imprægnationis menſem de *tumore duro*, ovi magnitudine, *ſuprà regionem inguinis dextri* conqueritur. Accedunt *dolores graviſſimi* circà pubem, frequentes *cardialgiæ* & interdum lypothymiæ; quibus ſenſim ingraveſcentibus fatis ceſſit.

Inciſo ſtatim abdomine, ut fœtus Sacri Baptiſmatis fonte ablueretur, cætera perluſtrantur. Reperiuntur in cavo abdominis concreti ſanguinis libræ ſex. Tuba fallopiana quæ anteà fœtum continebat, lacera animadvertitur, cum diſruptione vicinarum partium : utero manente ſano & integro. RIOLANUS.

OBS. 1540. In cadavere mulieris ſexagenariæ *à triginta annis pro gravidâ habitæ*, & tandem peripneumoniâ ſublatæ ; inveniebatur in imo ventre tumor ad capitis virilis molem accedens, ſitus in regione umbilicali & hypogaſtricâ, è tubâ uteri dextrâ oriundus, epiploo, peritoneo, cæteriſque partibus ambientibus hærens ; pondo octo librarum ; cujus involucrum craſſiſſimum & denſiſſimum ; cartilaginis ſcilicet, vel oſſis duritiem referens recondebat fœtum decimeſtrem, putriditatis expertem, nullo ambiente liquore. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 1541. Vetula quatuor & nonaginta annorum circà quadrageſimum octavum ætatis annum *ventrem tumidum* geſtabat, *cum omnibus graviditatis ſignis. Nullus* tamen *ſequitur partus ;* & remanet tumor pondere tantùm moleſtus, quo ſcilicet ſex & quadraginta annos laboravit, vel uſque ad obitum.

Luſtrato abdomine in apricum venit corpus durum ad capitis magnitudinem accedens, & in tubâ ſitum. Erat fœtus nonimeſtris cum ſuis involucris duriſſimis, cartilagineis vel oſſeis, quæ fœtum à putredine vindicaverant. EX ACT. PARISIENSIS.

OBS. 1542. Quædam mulier circà quintum graviditatis menſem, nullâ præviâ ægritudine, ſyncope corripitur. Quâ fugatâ de *dolore atrociſſimo in abdomine circà inguen* dextrum queritur: accedunt ſudores frigidi, & mors. OVARIA.

Inſtitutâ ſectione cadaveris, deprehendebatur in abdomine maxima effuſi ſanguinis copia, cui innatabat embryo, pollicis magnitudinem æquans, ovarium dextrum tumidum, & diſruptum annotabatur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1543. Quædam fœmina poſt majores in abdomine moleſtias, inter *partus tormina*, uti nonnullis videbatur, obiit.

Reperitur abdominis cavum ſanguine partim fluido, partim congrumato plenum, cum fœtu, fortè quadrimeſtri nudo. Ovarium dextrum quadruplo majus diſruptum occurrit, & ſanguine conſpurcacum; utero ,| & cæteris partibus planè inculpatis. LA ROQUE.

OBS. 1544. In cadavere mulieris *graviditate octodecim annorum* conflictatæ, reperitur corpus ovale ad capitis virilis molem accedens, ſitum in pelvi, ponè uterum aliàs ſanum. Fœtum octimeſtrem exſiccatum, & inodorum recondebat prædictus tumor; ſacci inſtar, ovario ſiniſtro adnatus. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 1545. Luſtrato corpore cujuſdam mulieris ſexagenariæ, *à ſex & viginti annos gravidæ*, inveniebatur fœtus mortuus, undecim pollices longus, & pondo octo librarum, extrà uterum, in abdominis cavo; cujus dorſo hærebat epiploon craſſiſſimum. Varias ſanè alterationes ſubierat, abſque tamen fœtore, & putriditate. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1546. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam fœminæ *diuturnis partûs torminibus*; irritiſque conatibus extinctæ, reperitur puellus optimè formatus, extrà uterum locatus, vivens; inter uterum ſcilicet, & rectum inteſtinum, inſonte, & illæſo utero. MONCONIUS.

OVARIA.

OBS. 1547. Quædam *gravida* crudelibus per quatuor menſes *ventris doloribus* torquebatur ; quibus tandem ulteriùs ſævientibus è vivis tollitur.

Secto cadavere inventus eſt fœtus pollicis longitudine, & craſſitie, benè conformatus, intrà alteram uteri tubam locatus. RIOLANUS.

OBS. 1548. Fœmina triginta annorum nono graviditatis menſe *parturientium doloribus* per decem continuos dies laborbat ; ac tandem obiit.

Introſpectis interaneis, uterus invenitur vacuus. Occurrit fœtus mortuus in tubâ Fallopianâ dextrâ E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1549. Mulier juvenis & *prægnans*, poſt quadraginta circiter dies *à lapſu*, *febre* & rigore corripitur, & quinto die interiit.

Aperto cadavere deprehenditur fœtus mortuus in dextrâ uteri tubâ deliteſcens. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1550. In cadaveribus nonnullarum mulierum que *ventris tumore*, cum graviditatis ſuſpicione, laboraverant, fœtum in uteri tubâ latitantem ſe obſervaſſe teſtatur RIOLANUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 1400, 1401.

SECTIO

# SECTIO DUODECIMA-QUARTA.

## DE LÆSIONIBUS ABDOMINIS GENERALIBUS.

### *Ariditas viſcerum.*

OBSERVATIO 1551. Quædam matrona *leprâ* laborabat : omni capillitio deciduo , torvus erat aſpectus , micantibus oculis. Vultum gutta roſacea fœdabat , & luridus color violaceo proximus. Protuberabant tumores in collo , & juxtà claviculas. Lingua puſtulis obſita tumebat , cum oris fœtore. Mammarum nulla erant veſtigia ; voce interdum raucâ. Obtuſus erat ſenſus tactûs ; cum abdomine duro & reſpiratione anhelâ. Fæces tetro odore nares feriebant ; cum lotio turbido , & fœtido. Cutis ubique ſcabra & arida colorem fuſcum & nigro proximum præ ſe ferebat. Femora & tibias, omni ſenſu deſtituta , ſquamæ veſtiebant ; etiam acu altè aductâ. Genitalia prurientia puſtulæ obſidebant. Accedit febris cum ſiti inextinguibili & vultûs defœdatione quæ horrorem omnibus incutiebat. Tandem hiſce miſeriis victa obiit.

Pulmones aridi & ſcirrhoſi deprehenduntur ; cum tracheâ exſuccâ & aridâ. Jecur lividum & ſcirrhoſum , admodùm parvum , & quaſi lapideum ſe probat. Lien etiam ſummè parvus & durus conſpicitur. Pancreas quoque erat ſiccum ; meſenterium aridum & ſcirrhoſum. Inania inteſtina ſimili labe erant tacta. Renes occurrunt calculis infarcti , non ſecùs ac ureteres , & veſica. Uterus coarctatus, & exſiccatus obſervatur. Inanes demùm erant arteriæ : venæ verò ſanguine atro & aduſto ſcatebant. BONETUS.

OBS. 1552. Inter exenterationem cujuſdam juvenis *hydrophobiâ* ſublati ſanum & planè inculpatum deprehendebatur cerebrum : ſed omnia viſcera, tùm pectoris , tùm abdominis arida & exſucca annotabantur. BONETUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1552. (*a*) Apertis nonnullorum *hydrophoborum* cadaveribus, nulla apparent in faucibus inflammationis veſtigia; etſi dum viverent, de anginâ querebantur: ſed ſicciora erant viſcera vitalia & naturalia. ROLFINCKIUS.

OBS. 1553. In cadaveribus variorum *febre epidemicâ*, *ſiti inextinguibili* ſtipatâ, denatorum, reperiebantur cor, pulmones, hepar & reliqua viſcera tandem exuſta. PANAROLUS.

---

## *Viſcera adipe obruta.*

OBS. 1554. In cadavere cujuſdam qui *abdomen durum* etſi in *inſignem magnitudinem* elevatum diù geſtabat, atque poſt varios exantlatos cruciatuum labores abiit, annotabatur ſub cute, abdominis pinguedo trium digitorum altitudinem æquans. Tanta erat adipis copia in abdomine ut hâc quaſi obruerentur viſcera. Diaphragma inſuper ſolito durus & craſſius obſervatur; atque inteſtina flatu turgebant. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1555. Quædam virgo *ſcabie fœdiſſimâ* laborabat, quâ poſt plures annos evanaſcente, accedunt dolores univerſales cum genuum retractione; & quâdam voracitate. Intereà totum *corpus & præcipuè abdomen* ità *tument*, ut anaſarcâ, & aſcite affecta, viderentur. Tandem trigeſimo quinto ætatis anno obiit.

Luſtrato cadavere deprehendebatur ſub tegumentis, & in meſenterio ingens adipis anomalæ copia. Simili labe afficiebatur omentum. BONETUS.

OBS. 1555. (*a*) In cadavere mulieris quadragenariæ & *morbo ignoto brevi demortuæ* quæ abdomen maxime tumidum geſtabat, nihil aliud morboſi in corpore reperiebatur niſi ſumma adipis copia quâ obruebantur pleraque corporis viſcera præſertim abdominalia, & cor quod involucro adipis craſſiſſimo obvolvebatur. PORTAL.

LÆSIONES GENERALES.

## *Viſcera puſtuloſa & tuberculoſa.*

OBS. 1556. In cadaveribus variorum *inter variolas* extinctorum; reperiebantur cerebri vaſa cruore ſuprà modum tumentia; & ſerum ſtagnans in ventriculis, aliiſque cerebri receſſibus. Hepar ſanguine infarctum videbatur; cum veſiculâ fellis bile atro-viridi repletâ. Puſtulæ verò varioloſæ occurrunt in membranis cerebri, pulmonum, ventriculi & inteſtinorum. Sanguis inſuper erat fluidiſſimus. CHIRAC.

OBS. 1557. Puer duodecim annorum *variolis* corripitur. Cùm omnia benè ſe habere videbantur, erumpunt ſputa cruenta. Sanguis etiam unà cum urinâ excernitur. Ac tandem moritur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione deprehendebatur internum corpus exanthematibus, vel puſtulis varioloſis ſcatens. BALLONIUS.

OBS. 1558. Quidam juvenis *variolis* laborans, fluxu dyſenterico corripitur, ac febris vehementiâ è medio tollitur.

Inter exenterationem cadaveris in propatulum veniunt hepar, lien, ventriculus & inteſtina, haud ſecùs ac cutis, ſordidiſſimis papulis manantibus ſcatentia. Simili modo inquinabantur pulmones. HORSTIUS.

OBS. 1559. Luſtratis interaneis quorumdam *variolis* enecatorum; deprehendebantur papulæ varioloſæ viſcera tùm pectoris, tùm abdominis obſidentes, & defœdantes. FERNELIUS.

OBS. 1560. In duobus puellis inter *morbillos* extinctis annotabantur viſcera vitalia, & naturalia puſtulis onuſtis, ſimillibus his que in cute emergunt, obſita. PARÆUS.

OBS. 1561. In cadavere cujuſdam *variolis malignis* ſublati, reperiuntur viſcera omnia, undiqùe varioloſis eruptionibus infeſta. HORSTIUS.

OBS. 1562. In quodam *varioloſo*, viſcera non ſecùs ac cutis, tuberculis vel papulis varioloſis conſperſa vidit ROD. A CASTRO.

His ſubnectere licet obſervationem Libr. II. 204.



## *Viſcera inflammata.*

OBS. 1563. In cadavere puellæ inter *variolas* extinctæ, omentum apparuit inflammatum & ſemi-putridum. Lien etiam putriditatis notas exhibebat. Ventriculi anterior pars erat inflammata. Hepar etiam phlogoſi tactum, maculis gangrænoſis erat ſignatum. Paſſim demùm occurrebant inflammationis notæ. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1564. Inter ſectionem puellæ *variolis* extinctæ hepar, lien, ventriculus omentum, aliaque abdominis viſcera inflammationis reliquias exhibebant. Pulmones etiam utriuſque lateris, totâ ſuperficie maculis & puſtulis inſignibus conſperſi, ac penè putridi obſervabantur. TH. BARTHOLINUS.

OBS. 1565. In cadavere cujuſdam *febre malignâ* ſublati, reperitur cerebrum cum phlogoſeos & ſyderationis notis. Simili fermè modo afficiebantur viſcera, & membranæ pectoris. In abdomine quoque hepar & lien inflammata & ſphacelata conſpiciebantur; non ſecùs ac pancreas, meſenterium & inteſtina. Epiploon erat putre. BONETUS.

OBS. 1566. In cadaveribus *febre tertianâ* denatorum, qui de *ventris torminibus*, querebantur, in conſpectum veniebant inflammationes circà jecoris cavam partem, in ventriculo, inteſtinis, omento & liene, cum nonnullis, paſſim occurrentibus gangrenæ notis. SPIGELIUS.

OBS. 1567. Quidam *ardentiſſimâ febre* corripitur, cum ſiti inextinguibili, lentore & albedine linguæ; urgentibus vigiliis, & accedente corporis extenuatione obiit.

Jecur, inteſtina, & veſica inflammatione quâdam eryſipelaceâ erant detenta; præterea ren ſiniſter abſceſſum fovebat. SYLVATICUS.

OBS. 1568. Quidam *febre* & *inflammatione*, uti videbatur, *renis ſiniſtri*, corripitur. Gravè accedente ſingultu interiit.

LÆSIONES GENERALES.

Ren ſiniſter fœdè computruerat. In ventriculi fundo innatabat bilis aduſta. Cætera quoque viſcera haud leviter inflammata conſpiciebantur. BONET.

OBS. 1569. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam, qui unà cum *febre ardente*, acerbiſſimis *ventris doloribus* quarto die interiit, inveniebantur inteſtina cum cæteris viſceribus inflammata & paſſim putrida. BALLONIUS.

OBS. 1570. In cadaveribus variorum *febre malignâ petechiali* denatorum, annotabantur inflammationes in pulmonibus, hepate, liene, meſenterio, aliiſque viſceribus. WEPFERUS.

In hâc ſerie recipi debent obſervationes Libr. I. 336, &c. 1156; Libr. III. 531.

---

## *Viſcerum purulentia.*

OBS. 1571. Mulier undequadraginta annos nata de *tumore abdominis*, *cum continuo dolore* querebatur. Poſt plures menſes pus ad libras duas per umbilicum effluxit, cum inſigni virium proſtratione. Regio hepatis erat dura & dolens; pulſus parvus & debilis. Urgebat tuſſis cum ſputo purulento. Appetitus tamen erat integer, & noctes placidæ. Puris materia indeſinenter fluebat ex abdomine. Intereà accedunt horrores, & corpore demùm maraſmo confecto, obiit.

Invenitur pus & ſanies fœtidiſſimi odoris in vaſis umbilicalibus, quæ ex hepate tumido & ulceroſo ſcaturiebant. Peritoneum, meſenterium, omentum & pancreas, omnia plena puris, & vix non conſumpta. Inteſtina etiam aliquâ ex parte corrupta. Uterus purulentus & ulceroſus. Diapragma, plevra & mediaſtinum putriditatis notas exhibebant. Pulmones à pure conſumpti, maximè in ſiniſtrâ, parte, ubi nil de parenchymate pulmonis conſpiciebatur.

LÆSIONES GENERALES.

Inter haſce ſtrages cor ſalvum, ſed flaccidum deprehendebatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. I. 8, 797, 799, 1123; Libr. II. 360, 369.

---

## *Viſcera ſcirrhoſa & ſtrumoſa.*

OBS. 1572. Quædam fœmina quadragenaria, à longo jam tempore *duritiem & dolorem gravantem in hypochondrio dextro* & *epigaſtrio* perſenſit. Dein febre quotidianâ prehenditur. Exaſperatur tumoris dolor; & vires ſenſim collabuntur. Supervenit frequens *vomitio* biliosa, cum *ſiti immani*, pulſu parvo & celerrimo. Dolor urget & levi tactu fit intenſior: nec deſunt inflammationis ſigna. Accedunt anxietates; reſpiratio fit difficilior, cum livore labiorum & faciei pallore; poſtremò frigent extrema, pulſus oblitteratur; & accedit lethum.

Reſerato abdomine patet omentum craſſiſſimum & ſteatomatoſum, nonnihil ſyderatum & quinque libras pendens. Pancreas quoque ſteatomatoſum conſpicitur, pondo duarum librarum, & ampliùs. Hepatis lobus ſiniſter albus & ſteatomatoſus ſolito triplo major occurrit. Similem fermè naturam exhibebat veſicula fellea, triginta & centum calculos recondens. Lien totus inflammatus & ſemi-putridus conſpicitur. Meſenterium denique corporibus ſcirrhoſis vel ſteatomatoſis refertum deprehenditur. CLAR. STORCK.

OBS. 1573. Quidam poſt potum vappæ, vel *vini adulterati* in convivio, *pondus* ſenſit *in ventriculo*: ructus habet fœtidos, & flatus in abdomine cum *æſtu hypochondriorum.* Brevi triſtitiæ & metûs dedit ſignum, non secùs ac *affectionis hypochondriacæ.* Poſt plures annos & innumera remedia, (impatiens enim æger moræ diuturnioris, ab omnibus conſilium petebat; ac obtemperabat omnibus,) accedunt lancinationes; ſubverſiones, pedes œdematoſi, appetitûs dejectio, difficilis inceſſus & virium defectus. Poſtremò defluxiones ad aurem dextram, brachium & femur ejuſdem lateris; convulſiones ventriculi, ac demùm ſopor lethalis.

Occurrit ſtomachus flatibus admodùm diſtentus, & extenuatus. Ejus fundus materiam atram & fœtidam continebat. Pylorus ità ſcirrho conſtrictus erat ut vix pennam admitteret. Præthereà meſenterium totum ſcirrhoſum & quaſi lapideum reperitur. Cor multâ pinguedine obducebatur, cæteris viſceribus inculpatis. HOECHSTETTERUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1573. (*a*) Miles quadraginta annorum *dolore* corripitur *in regione epigaſtricâ*, qui à paſtu exaſperatur; ſenſim *tumet pars affecta.* Planè deficit appetitus; accedit macies, quâ demùm confectus æger ad plures migrat.

Hepar ingens recondebat duodecim & ultrà tumores ſteatomatoſos, ad ovum gallinaceum accedentes, quorum nonnulli extùs protuberabant. Lien zonâ quâdam cartilagineâ obveſtiebatur. Arcus minor ventriculi, ſcirrhi inſtar erat induratus. Similem labem exhibebant pancreas, omentum, & meſenterium. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1574. Quædam ruſtica ſe tres ranas viventes per quatuor menſes in ventre geſtare credebat. Poſt multiplices & ærumnoſos morbos, in *hydropem aſcitem* incidit, & demùm piè obiit: nec ante obitum ab hac falsâ imaginatione ſeduci potuit.

Aperto abdomine, aqua, qualis eſt hydropicorum, affatim effluxit; unde partes infimi ventris ferè omnes concidebant; erigentibus ſeſe tribus excreſcentiis; quas vivens, annuente quodam barbi tonſore, capita ranarum putabat. Invenitur omentum ſcirrhoſum & induratum; cui adnatus erat tumor ejuſdem indolis. Meſenterium eâdem labe affectum deprehenditur. HORSTIUS.

OBS. 1575. Quidam melancholicus, dorſo deformis, duobus annis ante obitum *ore fœtebat;* cum exoriatione gingivarum, & *dentium mobilitate.* Accedit febricula, cum virium reſolutione, inter quam ad Superos migravit.

Introſpectis interaneis ſe obtulit omentum putridum & fœtidiſſimum: deinde meſenterium nigris varicibus undique circumſeptum, cum pancreate indurato & impervio. Hepar extitit parvum, nigrum atque ſcirrhoſum. Ren dexter ingens, cum calculo & gangrænâ; infrà quem erat abſceſſus flavo & fœtido pure plenus. Lien ſolito durior conſpicitur. Inſuper pulmones corrupti videntur.

LÆSIONES GENERALES.

cum duabus hydatidibus ab humero ad diaphragma, inter pulmones & plevram, aquâ veluti glaciatâ repletis. ANT. DE POZZIS.

OBS. 1576. Puella quatuordecim annorum, cùm diù *ſtrumis multis*, & magnis, hinc inde ſuppuratis atque exulceratis, in colli ambitu, & ſub axillâ ſiniſtrâ laboraſſet; tandem extremâ macie conſumpta, obiit.

Abdomen, & thoracis dextra pars, aquâ citrinâ ſcatebant; quâ etiam ultrà modum turgebat pericardium. Meſenterium, omentum & pancreas innumeris ſtrumis defœdabantur. Plures etiam occurrebant in peritoneo, diaphragmate & mediaſtino, aliæ caſtaneæ, aliæ avellanæ, aliæ ciceris magnitudine. Jecur, lien & pulmo, præter ſtrumas majuſculas quas hinc inde obtinebant, tota intùs & extùs grandine conſperſa erant. HEURNIUS.

OBS. 1577. Mulier novem & quinquaginta annorum, *febre & alvi fluxu diuturno* conſumpta, ad eam poſtremò ventriculi infirmitatem devenerat, ut nil alimenti aut medicamenti ſuſtinere poſſet; ſed illicò omnia vomitu rejiceret; donec tandem ultimum diem clauſit.

Aperto cadavere, invenitur hepar pallidum & exangue. Occurrit in ſuperiori abdominis parte, juxtà ſcilicet diaphragma, ſteatoma calloſum ovi columbini magnitudinem exhibens, & adnatum hepati quod inferiori parte cum ventriculo coaleſcebat. Omentum erat planè abſumptum. Pylorum obſidebat ſteatoma calloſum. Pancreas ſcirrhoſum, & firmiter pyloro accretum conſpiciebatur. Denique vena portæ ſteatomate calloſo premebatur. HEURNIUS.

OBS. 1578. Vir duorum & quinquaginta annorum habitûs athletici, poſt immodicum ſpiritûs vini generoſiſſimi uſum, *tuſſiculâ* per intervalla infeſtabatur. *Alvus erat obſtructa*, cum urinæ ſtillicidio. Accedit *ventris tumor*. Quibus demùm ingraveſcentibus decumbere cogitur tribus menſibus antè obitum.

Pertuſo peritoneo, prorumpebat aqua ſubcruenta. Omentum & peritoneum ſcirrhoſa conſpiciebantur, non ſecùs ac pancreas. Hepar etiam ſe præbet ſcirrhoſum & variegatum, adeò ut rubri coloris vix ſuperaſſet veſtigium in ipſo parenchymate. HARTMANNUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1579. Puer decennis *ſcrophuloſus*, & jamdudùm imminentibus ventris doloribus divexatus; tandem atrophiâ planè abſumptus extinguitur.

Totus venter erat ſcrophuloſus; adeò ut nec inteſtina, nec alias partes diſcernere liceret. Inteſtina ſanè quidem ità erant coalita, ut nullo artificio ab invicem ſeparari poſſent. Glandulæ meſentericæ ſcirrhoſæ ultrà modum tumebant; aliæ verò cartilagineam duritiem aſſequebantur; aliæ materiam variam, purulentam, pinguem, cineream, vel nigricantem continebant. BLASIUS.

OBS. 1579. (*a*) In cadavere virginis quatuor & viginti annorum, ab octodecim menſibus, *leucophlegmatiâ & aſcite* laborantis, pectoris cavum & ipſummet pericardium aquâ ſcatebant, pulmonibus parùm læſis. Hepar, lien & uterus ſcirrhoſa conſpiciebantur. Paſſim occurrebant hydatides cum maximâ aquæ ſubflavæ copiâ. E DIARIO NOSOC. MILITAR.

OBS. 1579. (*b*) Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam vetulæ, jamdudùm *hydrope aſcite* laborantis, in apricum veniebat pectus colluvie ſeroſâ ſcatens, non ſecùs ac pericardium. Pulmones tuberculoſi coſtis hærebant. Hepar, lien & pancreas ſcirrhoſa deprehendebantur, cum ingenti aquæ copiâ in abdomine. E DIARIO NOSOC. MILIT.

OBS. 1580. In cadavere puellæ & *ſcrophuloſæ* præter menſuras duas ichoris flavi & ſubfœtidi; varii ſcirrhi paſſim occurrebant ab hepate, pancreate; meſenterio, &c. enati; quorum nonnulli pugni magnitudinem ſuperabant. Plures etiam reperiebantur juxtà œſophagi & ſpinæ longitudinem, qui ſubſtantiam albicantem, inſtar ſebi concreti, recondebant. HARDERUS.

OBS. 1581. Quidam puer geſtabat *tumores ſcrophuloſos in cervice*, qui gulam & aſperam arteriam, ſimul adeò compeſſerant, ut neque potus, nec ipſemet aër tranſire poſſet; cur fit ut tandem moritur.

Diſſecto cadavere deprehendebantur tumores ſcirrhoſi orificium ſtomachi, pulmones, omentum meſenterium, pancreas, inteſtina & veſicæ collum obſidentes. NIC. FONTANUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1582. Inter ſectionem cujuſdam *hypochondriaci* reperiebantur in ventriculo libræ duæ bilioſi & melancholici humoris; ejus tunicæ inſtar chartæ papyraceæ tenues annotabantur. Lien erat exiguus, & vas breve obſtructum. Pancreas nigrum & durum ſe præbet; hepatis verò dexter lobus ſcirrhoſus conſpicitur; cyſti felleâ inani. BONETUS.

OBS. 1583. In cadavere mulieris, quæ *mammam ſtrumoſam* geſtabat, ovaria utero æqualia & ſtrumoſa occurrunt. Jecur verò multis glandulis albis & latis, foris & intùs erat conſperſum. Totum denique meſenterium ſtrumoſum conſpiciebatur: nec hujuſce labis expers erat pancreas. RIOLANUS.

OBS. 1584. In cadaveribus variorum, quos *ſtrumæ* in partibus exterioribus fœdabant, reperiebantur plurimi tumores ſtrumoſi in meſenterio; alii magnitudine nucis juglandis, alii avellanæ; non nullis pugni molem æquantibus; præter alios tumores ſcirrhoſos paſſim occurrentes. PARÆUS.

OBS. 1585. Inter ſectionem cujuſdam *ſcrophuloſi*, cujus univerſum collum ſtrumis obſitum erat; deprehendebatur univerſum meſenterium ſtrumoſum, & ſimili labe afficiebantur pectoris viſcera, & nonnulla abdominis. BARTHOLINUS.

OBS. 1586. Puer univerſam cervicem *ſtrumis* obſitam habebat; qui poſt obitum exhibuit univerſum meſenterium ſcirrhoſum: nec immunia hac hacce labe erant cætera viſcera. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1587. In cadavere puellæ *ſcrophulis*, & febre lentâ confectæ reperiebantur mille & ultrà glandulæ ſcrophuloſæ à faucibus ad os pubis uſque. BARBETTE.

OBS. 1588. Luſtratis cadaveribus variorum puerorum *ſcrophulis*

denatorum; præter meſenterium ſcirrhoſum paſſim annotabatur hæc labes in aliis viſceribus. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

LÆSIONES GENERALES.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 230, 242, 405, 675, 1011, 1700; Libr. II. 254, 861; Libr. IV. 97. Vide inſuper *Tumores in abdomine.*

## *Viſcera putrida.*

OBS. 1589. Virgo quadragenaria, à pubertate melancholica, & nonnihil maniaca, duobus ante obitum annis, cujuſdam amore perculſa, de *ventris doloribus*, crebrò recurrentibus queritur, cum *ardoris ſenſu mephitim ore & corpore exhalabat;* purulenta extuſſiebat; perpetuam *cordis & hypochondriorum dolorem* patiebatur. Tandem poſt paſtum, vino liberaliùs ſumpto, gravior ingruit cardialgia: accedunt vertigines cum virium proſtratione; & obiit.

Luſtratis interaneis, omenti nulla apparuere veſtigia. Peritoneum erat putridum & lacerum. Meſenterium & inteſtina erant ſphacelata, & purulenta. Conſpiciebatur lien nigricans ad medium hypogaſtrium devolutus. Jecur ſe præbet ſimili colore infectum, & extremis lobis putridum. Ovaria demùm corrupta annotabantur, cum multâ colluvie ſordidâ in abdominis. BONETUS.

OBS. 1590. Mulier quinque & viginti annorum, puſillæ ſtaturæ, phtiſicum habitum præ ſe ferens; ab alimentis probi ſucci aliena, in *cibi faſtidium*, cum *tumore abdominis*, leviſſimum contactum præ *dolore* non ferentis. Accedentibus febre lentâ & macie; ſupervenit *vomitus materiæ pituitoſæ, puri remixtæ*, qui triduò ante obitum deſiit; cæteris in pejus ruentibus.

Secto cadavere, reperiuntur pulmones maculis nigris conſperſi & intùs corrupti. Pericardium diſciſſum viginti circiter uncias aquæ effudit. Nulla omenti ferè erant veſtigia, & peritoneum putridum cernebatur. Hepar erat ingens & ſcirrhoſum. Meſenterium putre & inteſtina ſphacelata annotabantur; præter amurcam pituitoſam, viſcidam & purulentam quæ cavum abdominis implebat. BONETUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1591. Juvenis triginta annorum *cephalalgiâ* contumaci laborabat. Poſt exacerbatum dolorem multa *evomuit.* Dein ingruunt *cordis palpitationes ;* tremores artuum ; ac demùm *convulſiones*, quibus ſequenti die rapitur ; haud citrà veneni ſuſpicionem.

Cerebrum invenitur ſerosâ colluvie, uſque ad principium nervorum, repletum. Cutis maculis rubris erat punctata. Ventriculus, intùs coloris viridis, materiam quamdam cineritiam recondebat. Inteſtina gangrænoſa flatibus turgebant & vermibus ſcatebant. Hepar erat corruptum ; pulmones hinc inde exulcerati. Cor lividum & contractum ; corpore fœtidiſſimum odorem exhalante. HERMANNUS.

OBS. 1592. Hypochondriacus de *debilitate crurum* conquerebatur. Poſt *inunctiones mercuriales* intempeſtivè adhibitas *reſpiratio fit difficilis ;* accedunt *anxietates*, *ſitis intenſa* & vigiliæ. Deficit appetitus, *alvo adſtrictâ.* Dein *tument crura & abdomen*, cum iſchuriâ. Ingraveſcunt anxietates & ſuffocationes. Emergit *vomitus materierum nigrarum.* Exacerbantur ventris dolores, & arcetur ſomnus. Vires deficiunt. Urgent demùm animi deliquia, quibus è medio tollitur.

Obſervantur ſtomachus ulceroſus ; hepar durum & ſyderatum ; ſplen putridus ; renes materiâ craſſâ & viſcidâ referti ; veſica & genitalia necroſi infecta ; pulmones demùm nigri & pure conſpurcati. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1593. Adoleſcens quindecim annorum, poſt *peripneumoniam* graviſſimam, incidit in *febrem lentam*, cum ſiti intensâ, *ſpirandi difficultate* & *ſputo* ſanguineo, nonnihil *purulento.* Viribus demùm exhauſtis ſpiritum Creatori ſuo reddidit.

Secto cadavere deprehenditur omentum putridum. Hepar erat maximum, & partim corruptum. Lien nigricans & putris ; pancreas durum ; meſenterium & inteſtina cruſtâ quâdam gelatinosâ obducta cum ingenti aquæ copiâ in abdominis cavo. Prætereà uterque pulmonum lobus putridus, & corruptus conſpiciebatur, cum ſeri copiâ in pectore. HARDERUS.

OBS. 1594. Virgo duorum & quadraginta annorum, per plures menſes vomitui obnoxia, incidit in febrem, quæ *duplicis tertianæ*, vel *quartanæ* typum præ ſe ferebat. Octavo die continua evadit febris quam concomitantur dolor capitis & *ardor lumborum. In-*

*ſlatur epigaſtrium*, & præcipuè hypochondrium dextrum cum dolore hepatis. Sexto die accedit *icterus*, vires collabuntur, & nono interiit.

LÆSIONES GENERALES.

Cadaver exhibebat epiploon corruptum, meſenterium ſcirrhoſum & putridum, lienem ſimili labe tactum; concavam hepatis partem ſcirrhoſam & inflammatam; pancreaſque putrefactum. Ventriculus demùm exulceratus, recondebat materiam purulentam. RIVERIUS.

OBS. 1595. Puer tredecim annorum longâ & *non ſatis intellectâ ægritudine* confectus; tandem ad extremam maciem redactus, ad plures migravit.

Exenterato cadavere, omnia patent viſcera, hepar ſcilicet, lien, ventriculus & inteſtina ità invicem connexa, & conglutinata, ut nullâ arte integræ ſeparari poſſent. Hepar grandiſſimum erat & ſcirrhoſum. Lien putris & ferè abſumptus conſpiciebatur, ſicut & epiploon. Meſenterium variis ſteatomatibus erat refertum. Pulmo dexter ſemi-putridus coſtis pertinaciter adhærebat. MANGETUS.

OBS. 1596. Puer quatuordecim annorum jampridem patiebatur *tormina*, cum *ventris tumore* & per vices ingenti *diarrhæâ*. Sæviebat tuſſis cum *febre lentâ & macie*; quibus tandem perſiſtentibus fatiſcunt vires & accedit mors.

Flatus cum ichore recondebat abdomen. Omentum erat putridum, inteſtina admodùm involuta & invicem adnata. Occurrebant glandulæ inteſtinorum majuſculæ, duriuſculæ & nigricantes. Hepar etiam conſpiciebatur purulentum; pancreas ſcirrhoſum, renes corrupti; ac demùm pulmones putridi. HARDERUS.

OBS. 1597. Quædam virgo à *veſpertilione demorſa in mentis ſtuporem* incidit; adeò ut domi ad quinque & triginta annos concluſa maneret. Aliquot ante obitum menſibus de *ventris doloribus* conqueritur, qui mentis errori falsò adſcribuntur; inter quos morte quaſi ſubitaneâ rapitur.

Inter ſectionem cadaveris viſcera omnia abdominis corrupta inveniuntur, cum teterrimo fœtore. Capite aperto cerebrum integerrimum, abſque omni labe deprehenditur. BONETUS.

OBS. 1598. Quidam vino plus æquo indulgens *faucium ardore*

LÆSIONES GENERALES.

*& oris amarore* laborabat ; cùm *tumet abdomen.* Increſcente in dies tumore, tandem viribus orbatur ; & occubuit.

Secto abdomine ingens prorupit aquarum copia, vel ad menſuras octo : materiam quaſi chyloſam & turbidam referebat hæc colluvies. Epiploon ſeſe obtulit putredine conſumptum. Lien & pancreas ſcirrhoſa deprehenduntur, non ſecùs ac hepar. Meſenterium erat nonnihil putre. Ren dexter materiam gypſeam recondebat ; ſiniſter prominulam habebat hydatidem. Pulmones demùm putridis coſtis hærebant. BONETUS.

OBS. 1599. Quidam parcè vivens de ventriculi dolore cum ſiti queritur. Dein hypochondriorum intumeſcentiam percepit ; quam ſequitur *hydrops aſcites.* Alvus erat adſtricta, cum minori urinæ proventu & noctibus inſomnibus ; quibus accedunt *atrophia & virium exolutio.* Tum celebratur paracenteſis, cujus ope educitur aqua citrina & fœtida. Omnibus tandem incaſſùm tentatis, placidè animam ſuo creatori redidit.

Aperto abdomine, nullum viſcus ſanum repertum eſt ; omnia ſanè ferè conſumpta erant. Fruſtula tantùm hepatis & lienis deprehendebantur ; nullæ erant pancreatis reliquiæ, &c. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1600. Vir ſexagenarius immani *abdominis dolore* à ſex diebus laborabat, cum *febre*, *ventre duro*, ſed parum prominente, & *alvo* ſummè adſtrictâ. Præter quæ *vomitu pertinaciſſimo* angebatur & nonnunquam ſingultiebat. Proſtratis demùm viribus ; cæteriſque in deteriora ruentibus, nono morbi die inter tormina occubuit.

Luſtratis interaneis, patet abdomen luto purulento & fœtidiſſimo repletum. Epiploon planè abſumptum occurrit. Ventriculus ; inteſtina, & proximiora viſcera, invicem adglutinata, & putrida conſpiciuntur ; adeò ut, uno verbo, abdomen abſceſſûs ſordidiſſimi faciem præ ſe ferret. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1601. Quidam *febre continuâ* laborabat, cum dolore capitis, vigiliis, *duritie & tenſione utriuſque hypochondrii.* Quædam fit remiſſio circà ſeptimum diem ; ſed undecimo recrudeſcit morbus. Tùm ſitis intenſior evadit ; dejectiones fiunt bilioſæ. Proſtratis tandem viribus decimo ſeptimo die fatis ceſſit.

Inter exenterationem cadaveris reperitur hepar putrefactum &

ſriabile. Lien ſimili labe tactus occurrit. Inteſtina poſtremò annotantur ulceroſa, corrupta, & lacera; cum ſtagnatione materiæ putidiſſimæ. JULIEN.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1602. Juvenis ſexdecim annorum, gravis eduliis aſſuetus *abdomen* gerebat *tumidum & inflamtum*, cum facie pallidâ & cachecticâ; tum incidit in *febrem acutam*, *atroci ventris dolore* ſtipatam; è quâ opportunis remediis evaſit; ſed acceſſit *febris hectica*, quâ ſenſim conſumptus periit.

Omentum occurrit putridum, liquamini ſordido & fetido innatans. Inteſtina prætumida, hinc inde gangrænoſa, & tuberculis omni ex parte conſita apparebant. Hepar & lien putrida, & tabefacta, inveniebantur. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 1603. In cadavere *hectici*, *planè emaciati*, deprehendebatur omentum corruptum & totum ferè abſumptum. Ren dexter gangrænâ correptus calculum digiti craſſitie fovebat. Hepar occurrit durum tuberculis putridis refertum. Meſenterium conſpicitur purulentum & putridum; atque pancreas ſcirthoſum. Pulmones demùm purulenti tuberculis ſcatebant; ac cor exile & aridum cernebatur. BARTHOLINUS.

OBS. 1604. Muliercula à ſuppreſſis menſibus in *ventris intumeſcentiam* incidit, haud ſine imprægnationis ſpe: ſed poſt annum manifeſtus fit *hydrops aſcites*; quo tandem ſuperioribus partibus extremâ macie confectis, occubuit.

Præter aquæ putridæ menſuras duas. Omnia viſcera in putridam mucaginem videbantur converſa. Uterus hujuſce labis minimè expers, molem recondebat, caput infantile æquantem. LENTILIUS.

OBS. 1605. Quidam *febre acutâ mali moris* corripitur; cum *tumore hypochondriorum*. Dejicit per alvum materiam nigram, porraceam, cruentam & fœtidiſſimam. Accedit cataphora cum ſurditate, & temporario delirio; viribus obrutis, fruſtrà expectantur parotides; unde ſpriandi difficultas, quam ſequitur circà trigeſimum morbi diem interitus.

Cadaver exenteratum exhibet omnia abdominis viſcera marcore confecta & putredine deturpata. HOLLERIUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1606. Inſtitutâ ſectione cujuſdam *melancholici* & *ſcorbutici*, febre lentâ, cum virium reſolutione extincti, ſe obtulit omentum putridum & gravè olens. Meſenterium nigris varicibus undique circumſeptum occurrit. Hepar & pancreas ſcirrhoſam duritiem referebant. Ren dexter ſtupendæ molis calculum recondebat ad uncias quatuor accedentem. Pulmonum denique erat inſignis corruptela. BONETUS.

OBS. 1607. Cadaver cujuſdam mulieris *tabidæ* ſequentia exhibebat; omentum nempè & meſenterium penitùsconſumpta. Lienis exigua pars conſpiciebatur. Hepar inſolitæ magnitudinis affatum & quaſi torrefactum ſe præbet; præter aquam citrinam & ſordidam in abdomine ſtagnantem, cum utero purulento. Pulmones demùm erant corrupti & exulcerati; atque in pure quaſi natantes. HORSTIUS.

OBS. 1608. Ancilla poſt *caſum* graviſſimum *ventris tumore* laborare cœpit; qui in dies in monſtroſam accrevit magnitudinem; adeò ut poſt octo integros menſes, *inter cruciatus*, lecto fuerit detenta, donec tandem obierit.

Examini ſubjecto cadavere, occurrit abdomen viginti ſuprà centum aquæ libras, purulentæ & ſordidæ, continens: nobilioribus viſceribus labefactatis, vel putredine conſumptis. HANNŒUS.

OBS. 1609. Quidam inappetentiâ laborans, cum *vomitu purulento*, ſæpiùs recurrente, *gangrænâ in utroque pede* corripitur; quâ velociter progrediente, abſque dolore, tandem poſt tres menſes à primo vomitu purulento, è vitâ migravit.

Secto cadavere, omnia viſcera labefactata & corrupta, ac fœtidiſſima deprehendebantur. DODONEUS.

OBS. 1610. Quidam *febre malignâ* laborabat cum *dolore ventris* continuo & *acerbiſſimo* ad hypochondrium dextrum; ſiti immani, & vigiliis perpetuis; quibus accedentibus ſudoribus frigidis, aliiſque gravioribus ſymptomatibus, è medio tollitur.

Reperiebantur hepar & lien putrida, non ſecùs ac inteſtina tenuia, quæ perforata deprehendebantur. Similis fermè læſio animadvertitur in omento & meſenterio. MOUTON.

OBS. 1611.

OBS. 1611. In cadavere cujuſdam virginis quatuor & triginta annorum, quæ per ſexennium *hydrope* afflicta fuerat, reperiebantur præter humoris ſeroſi & ſubflavi octo & quadraginta menſuras, & maximam viſcerum corruptionem, glandulæ circà meſenterium, ad pomi magnitudinem accedentes, purulentæ quaſi materiâ plenæ. HELWIGIUS.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1612. Quidam *variis morbis*, & *immanibus doloribus*, per tredecim annos detentus, tandem macie confectus fatis ceſſit.

Luſtrato corpore ſolum cor illæſum reperiebatur: cæteræ partes erant putrefactæ, & magnum fœtorem ſpargebant. Renes lapidibus ſcatebant; & pedes magis quàm in leproſo ſquallidi erant. FABER.

OBS. 1613. In cadavere cujuſdam fœminæ duorum & ſeptuaginta annorum *hydrope aſcite* ſublatæ, invenitur in abdomine maxima ichoroſæ & purulentæ materiæ copia, vel ad quinque & triginta menſuras. Ventriculus & inteſtina; hepar & lien, renes & veſica uredine & ſitu correpta deprehendebantur. SCHULTERUS.

OBS. 1614. Inſtitutâ ſectione cujuſdam *leproſi* cujus artus inferiores ſtupendum in modum erant ſquallidi, ſolum cor inculpatum occurrebat. Cætera viſcera erant putredine defœdata. WILLISIUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 1650; Libr. II. 363, 859; Libr. IV. 149.

## *Viſcera ſiderata.*

OBS. 1615. Mulier *anginâ gangrænosâ* corripiebatur. Tunica oris linguæ & œſophagi in craſſas pelliculas, & glutinoſas abibat. Æſtus corporis erat ingens, cum ſiti immani. Urina continebat materiam furfuraceam, dein pelliculas puri intermixtas. Aderant ſingultus & ructus aſſidui. Pro *dolore & æſtu præcordiorum*, tanquam parturiens, clamitabat. Supervenit ventris torſio. Fæces purulentæ & fœtidiſſimæ dejiciuntur. *Sanguis* demùm *per os & anum*

*erumpit;* & poſt viginti dies, inter acerbiſſimos cruciatus extincta eſt.

Secto cadavere, univerſa ferè viſcera nigerrima deprehenduntur; vel ſuppuratis puſtulis plena. GEMMA.

OBS. 1616. Quidam *febre malignâ* laborans, omnibus in deteriora ruentibus, biduò ante obitum, de *æſtu viſcerum immani* conqueritur; cujus ardorem externo ac culinario igni nihil cedere aiebat; donec latiùs ſerpente veneno, miſerrimam vitam cum felici morte commutat.

Omnia viſcera conſpiciebantur nigricantia & ſphacelata: quin & ipſe ventriculus adeò computruerat, ut ſine rupturâ, digitis attrectari nequiverit. HEILMANNUS.

OBS. 1617. In cadavere puellæ octennis *peſte* raptæ occurrebant puſtulæ gangrænoſæ circà orificium ventriculi. Carbunculus ingens è peritoneo propè lienem exſurgebat. Similem tumorem exhibebat pancreas. Renes maculis & puſtulis gangrænoſis defœdabantur. Cor demùm & vaſa atro ſanguine turgebant. COUZIERS.

OBS. 1618. Inter ſectionem virginis viginti annorum *peſte* ſublatæ; plevra & pericardium varias gangrænæ notas exhibebant; non ſecùs ac cor mole maximum. Pulmones etiam nigricabant. Cyſtis fellea & ſtomachus bilem atram recondebant, hepate ſolito majori. Meſenterium paſſim gangrænoſum occurrit. Vaſa demùm cerebri ſanguine atro turgebant. SOULIERS.

OBS. 1619. In cadaveribus nonnullorum *peſte* intrà viginti quatuor horas raptorum, reperiebantur viſcera, tum pectoris, tum abdominis livida & nigricantia; vel colore rubro ſaturato; quibus ſcilicet perſpicuæ erant inflammationis gangrænoſæ notas. Vaſa inſuper ſanguine nigro ſcatebant. SOULIERS.

OBS. 1620. Cultro anatomico ſubjecta cadavera variorum *morbillis* ſublatorum exhibebant viſcera pectoris & abdominis,

maculis purpureis vel lividis ſignata. Veſicula fellis bile atro-viridi turgebat. Reperiebatur denique ſerum ſanioſum ſtagnans, tùm in pectore, tum in abdomine. CHIRAC.

LÆSIONES GENERALES.

OBS. 1621. Luſtratis interaneis variorum *febre ſemi-tertianâ* extinctorum, reperta fuere viſcera abdominalia, imò & pectoralia, nigra & ſphacelata. GEMMA.

OBS. 1622. Secto cadavere cujuſdam *fulmine tacti*, reperiebantur præcipua viſcera; cor nempe, hepar, lien & tunica inteſtina. ſyderata. GILBERTUS.

Ad traditas referri debent obſervationes Libr. I. 785, 897, 1479. Libr. II. 300, 304; 640, 770.

## *Viſcera tranſpoſita.*

OBS. 1623. Puer octodecim menſes natus, cujus *corporis habitus ſubtumidus*, colorem citrinum præ ſe ferebat; cum maximo capite, *reſpiratione anhela* conflictabatur. Pergente morbo occubuit.

Cadavere cultro anatomico ſubjecto, magna deprehendebatur colluviei ſeroſæ copia in abdomine, cum epiploo corrupto. Inſuper viſcera annotantur tranſpoſita: hepar ſcilicet ſiniſtrum latus occupabat, lien in dextro erat ſitus; & ſic de cæteris abdominis viſceribus. Idem etiam obſervatur in pectore ratione cordis, cujus apex ad dextrum latus vergebat. CARONIUS.

De Viſceribus cruſtâ obductis. Vide obſerv. Libr. I. 947, 1497. Libr. II. 723.

# SECTIO DECIMA-QUINTA.

## DE TUMORIBUS IN ABDOMINE.

### *Anevriſma abdominis.*

OBSERVATIO 1624. Vir octo & triginta annorum caſu ab alto gravem *contuſionem* patitur *in abdomine.* Dein de *acerbis ventris doloribus* querebatur; ſanguinemque grumoſum cum alvo per triduum exonerabat. Opportunâ curâ intrà ſex ſeptimanas convaluit. Poſt biennium denuò cœpit ægrotare: *difficulter reſpirabat:* obtundebatur acies oculorum: ſenſus tabeſcebant; vires concidebant, cum faciei pallore. Poſteà accedebant *animi deliquia* & vehemens perſentiebatur *pulſatio in abdomine.* Intereà urget tuſſis; reſpiratio fit anxioſa, cum pulſu debili & inæquali: moleſtior ſenſim fit abdominis pulſatio. Poſtquam hujuſce truculenti morti viciſſitudines per biennium expertus eſſet; tandem ſyncope rapitur.

Meſenterium inflammatum, lacerum & exulceratum deprehenditur, incumbens anevriſmati aortæ pugni magnitudinem excedenti, inter arterias emulgentes & iliacas ſito. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 1625. Quidam laborabat frequentibus *animi deliquiis* & vagis *ventris doloribus*, cum febre continuâ, nullis acceſſionibus diſtinctâ, pulſu inordinato & duro, inſigni extenuatione, & & urinis craſſis. Tandem ingruunt *oppreſſiones*, quæ *lypothymias* poſt ſe trahunt, & mortem.

Sectione cadaveris apparuit anevriſma aortæ, paulò ſuprà iliacas. Continebat hic tumor craſſiſſimos polypos qui ſanguinis fluxum versùs illiacas impedire videbantur. Aderat inſuper extravaſatio ſanguinis intrà tunicas meſenterii; & maxima ſanguinis effuſi copia circà renes. FANTONUS.

OBS. 1626. Mulier trigeſimum tertium ætatis annum agens, vino & ingluviei dedita, *febrem* incurrebat, ſiti, cibi faſtidio, vigiliis, *orthopnϾâ*, & *corporis jactatione* ſtipatam. Aderat *pulſatio vehemens ſuprà ventriculum*, quâ in dies augeſcente, diutinos labores, & extremum virium detrimentum jam paſſam, mors occupavit.

Luſtrato cadavere, cœliaca ſeſe obtulit ità dilatata, ut compreſſum pugnum admitteret; in quo ſinu ſanguis abundè ſtagnabat ater, grmoſus; cruoris in putredinem abeuntis imaginem præ ſe ferens. LARCHEUS.

OBS. 1627. Quidam querebatur de *dolore in regionibus ventriculi & renum*; cum *ardore* & *pulſatione*. Accedit æſtus totius corporis, & præſertim plantarum pedum moleſtiſſimus. Accedunt *inſultus epileptici*, virium languor, & mors.

Inveniebantur ventriculus & inteſtina flatu turgida. In dextro rene calculus latitabat: in ſiniſtro verò aderat veſica aquâ turgida ad nucis juglandis magnitudinem accedens. Arteria magna ſpinæ incumbens tantæ erat amplitudinis ut binos pollices admitteret. DORINGIUS.

OBS. 1628. Quidam pro *variis ægritudinibus* decumbens; qui tamen nec de dolore abdominis, nec de ponderis ſenſu; nec de ſpirandi difficultate querebatur; paulò poſt prandium repentè obiit.

Ventre aperto, in conſpectum venit ingens aortæ anevriſma, in ſuperiori abdominis parte ſitum, & ad pectus aſcedens, in cujus cavo diſruptum erat. Adeò ut latus pectoris ſiniſtrum effuſo ſanguine eſſet repletum. Superiores lumborum vertebræ cum inferioribus dorſalibus carie erant exeſæ. MORGAGNUS.

OBS. 1629. Vir quinque & triginta annorum *poſt caſum ab alto*, acerbis *dorſi & lumborum doloribus* prehenditur; adeò ut per octo menſes cubare cogeretur. Intereà intumuit latus ſiniſtrum infrà coſtas, cum quâdam *pulſatione*; tumente ſubjecto crure. Inciſo tumore ab inepto chirurgo, larga ſequitur ſanguinis profuſio, & intrà horæ quadrantem moritur æger.

Reſerato abdomine, ingens reperitur anevriſma aortæ, à diaphragmate ad pelvim ſe extendens. CLAR. MORGAGNUS.

TUMORES. OBS. 1630. Quidam de ſummo *dolore ad ſpinam dorſi*, per annum integrum, querebatur; cum ſuſpicione *luis venereæ*. Hinc pluries adhibita fuit hydrargyroſis, ſine ſucceſſu. Tandem erumpente à ſuperioribus & inferioribus ingenti ſanguinis copiâ extinguitur.

Exenterato cadavere anevriſma compertum eſt in magnæ arteriæ diviſione in iliacas; quâ parte ſpinæ incumbebat. BALLONIUS.

OBS. 1631. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam, qui per tres annos, miro, & *incognito affectu* conflictabatur, cum *pulſatione* vehementi *ſuper umbilicum*, deprehendebatur aorta duplo ſolito major ac ſanguine nigro & concreto repleta. Cor etiam majus quàm par erat inventum eſt. Hepar demùm conſpiciebatur ingens uti videbatur, læſum. BONTIUS.

OBS. 1632. Quidam mingendi difficultate tenebatur, nonnunquam accedente genuinâ *iſchuriâ*, pergente morbo cum nonnullis remiſſionibus, tandem derepentè è medio tollitur.

Subitæ cladis cauſa reperta eſt ſcilicet anevriſma diſruptum. Valdè enim erat dilatata aortæ pars quæ vaſis urinariis ſubjacet. BALLONIUS.

OBS. 1633. Quædam vetula jampridem variis *ventris doloribus*, diverſiſque aliis ſymptomatibus conflictata, tandem fatis ceſſit.

Luſtrato cadavere, inveniebatur in abdomine anevriſma aortæ, quod pugni craſſitiem longè ſuperabat. Tunica arteriæ dilatatæ, tantâ duritie pollebat, ut oſſea appareret. FALLOPIUS.

---

## *Tumores ſcirrhoſi.*

OBS. 1634. Juvenis duorum & viginti annorum, athletico & florido corporis habitu gaudens, & admiſſarius, *ſæviſſimo in abdomine dolore* ſubitò corripitur; præſertim circà regionem lumbarem; cum nonnullâ *luis venereæ* ſuſpicione. Perſiſtente & increſcente morbo per tres menſes, gravi terrore acerrimè commovetur, & in

*febrem acutam* incidit. Exacerbantur *abdominis jam protuberantis tormina;* lotio parcè fluente. Poſt nonnullos dies fugatur febris, & cætera miteſcunt ſymptomata: ſed paulo poſt recurrit morbus truculentior, qui dein in eodem ferè ſtatu perſiſtit; cum ferociſſimis exacerbationibus noctu redeuntibus; inter quas, tantam tyrannidem exercebant dolores, ut furibundus æger totas ædes ejulatu expleret. Tùm abdomen ob convulſos muſculos duritiem quaſi ſaxeam præ ſe ferebat. Sed inter remiſſionem *tumor in epigaſtrio*, propè hepar duriſſimus tactu percipiebatur. Intereà accedit ſpirandi difficultas; excernuntur ſputa cruenta; & tandem die vigeſimo à febris ortu obiit.

TUMORES.

In apricum venit reſerato abdomine tumor ingens conglobatus; quaſi è variorum tuberculorum congerie exſurgens; omnibus vertebris lumbaribus incumbens; quem trajiciebant aorta & vena cava. Oſſa tamen integra, & nullâ carie tacta occurrebant. Tumoris involucrum craſſiſſimum erat & calloſum; ejus ſubſtantia ſpongioſa variis cavernulis, ſuccis diverſæ indolis repletis intermixta. Pulmones inſuper erant infarcti & tuberculoſi. E NOSTRIS ADVERSAR.

OBS. 1634. (*a*) Mulier ſexaginta annorum, de inappetentiâ, ſiti *doloribus in abdomine*, & præſertim in regione lumbari, cum alvo adſtrictâ querebatur. Urina pauca ægrè excernebatur. Dein accedunt *anxietates* & *lypothymiæ:* pedes dolore afficiuntur & contabeſcunt. Sub hoc rerum ſtatu erumpit vomitus cum dolore ſtomachi. *Tumet abdomen* cum pulſu nonnunquam intermittente & tremulo; ac demùm fatis ceſſit.

Præter majorem aquæ copiam reperitur hepa tuberculoſum, durum & exangue. Cyſtis fellea tres calculos latici ſordido innatantes fovebat. Meſenterium eroſum & gangrænoſum. Omentum, pancreas & ovarium dextrum ſcirrhoſa hydatidibus ſcatebant. E poſticâ parte uteri excrevit ſcirrhus ingens ad renes & anum pertingens. Renes exulcerati & ferè abſumpti conſpiciebantur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 1635. Vir duorum & triginta annorum *contuſionem in lumbis* paſſus erat; ubi *dolor* poſt biennium cum *colico dolore*, *vomitu*, dolore iſchiactico & *dyſuriâ;* quibus tractu temporis acceſſerunt; *ſpirandi difficultas*, tuſſis continua, & violenta, cum maraſmo. Ac demùm ſuppreſſâ per triduum expectoratione occubuit.

TUMORES.

Meſenterium macilentum & tranſparens erat; circà cujus exortum ingens apparuit tumor, qui inteſtina in latus dextrum retruſerat: protendebatur ab appendicibus diaphragmatis ad os coccygis atque ad umbilicum & lumborum vertebris fibroſâ connexione firmiter adhærebat aortam & venam cavam involvens ſua mole. Longus erat pedem unum, ſex polices latus; quinque craſſus: pendebat ſeptem circiter libras. In fruſta diſſectus hic tumor glanduloſus apparuit & carneus. Aperto demùm thorace inveniebantur pulmones innumeris fermè tuberculis ſcatentes; quorum majora ad uncias duas accedebant. VARTHON.

OBS. 1636. Quidam *lue venereâ* laborans, de *doloribus vagis*, præſertim in capite querebatur. Fruſtrà bis adhibetur hydrargyroſis. Morbo progrediente accedit *dyſuriâ* moleſtiſſima, cum *alvo adſtrictâ. Ileo* demùm corripitur, cujus ratione propinatur libra una mercurii crudi; *venter* intereà *tumet*, cum renitentiâ; ac tandem obiit.

Reperitur latex ſubalbicans in abdomine; epiploon erat putridum; inteſtinum colon paſſim exulceratum & tribus in locis perforatum; cæcum ſimili labe affectum; ileumque inflammatum cum nonnullis gangrænæ notis. Ubique occurrunt globuli mercuriales. Hepar gangrænoſum conſpicitur. Hypogaſtrium ſiniſtrum ingentem tumorem recondebat, inter veſicam & rectum ſitum; qui ex oſſe ſacro carioſo ortum habere videbatur, libras duas & ampliùs pendens, cujus contextus glanduloſus videbatur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1637. Virgo ſeptemdecim annorum paupercula, cujus prava hinc erat victûs ratio, conquerebatur de *dolore circà fundum ventriculi*; cum *fœtore narium* adſtantibus ſummè moleſto. Poſteà *venter tumet;* deficit appetitus, cum œdemate crurum. Tandem fractis viribus, vitam cum morte commutavit.

Ichor flavus & ſubfœtidus in abdomine ſtagnabat. Epiploon putridum & partim conſumptum comparuit. Inteſtina erant ſuprà modum flatulenta. E pancreate erumpebat tumor ſcirrhoſus inſignis. Paſſim præterea occurebant varia corpora ſcirrhoſa, quaſi ſtrumoſa. Meſenterium conſpiciebatur ſcirrhoſum; cum liene putrido. Pectus reſeratum exhibebat thymum ſcirrhoſum; pulmones coſtis adnatos; pericardium craſſum & ſero turgens. HARDERUS.

OBS. 1638,

OBS. 1638. Mulier ſexagenaria, jam ab octennio *abdomen tumidum* & doloris expers geſtabat; quod in tantam demùm molem excrevit, ut duobus ante obitum menſibus coacta fuerit lecto ſe tradere. Tùm accedente *febre continuâ*, cum acerbiſſimis *doloribus in regione lumbari;* mictu difficili, & alvo adſtrictâ, extremum diem clauſit. TUMORES.

Deprehendebatur tumor ingens è meſenterio erumpens, & vertebris hærens, ac etiam peritoneo in anticâ parte paſſim ſcirrhoſus & cartilagineus. Variis loculis, materiam oleoſam, melleam, ſebaceam & puticulæ ſimilem continentibus, conflari videbatur prædictus tumor. Hepar inſuper ſcirrhoſum occurrit; ne cillæſa erant alia viſcera. PARÆUS.

OBS. 1639. Mulier quædam poſt partum ventris intumeſcentiâ cum ſummâ ſpirandi difficultate & pedum œdemate laborabat, quibus increſcentibus fatis ceſſit.

Reſerato ejus cadavere reperiebatur tumor ſteatomatoſus plures libras ponderans ortum ducens è meſenterio, uterus è ſede dimovebatur, hepar & lien minores ſolito erant, & diaphragma ſurſum pellebatur. PORTAL.

OBS. 1639. (*a*) Fœmina quadragenaria jamdiù querebatur de *duritie circà uterum*, cum *dolore* pungente & levi: aliquoties febricitavit. Tumor ſenſim increvit: accedunt dolor capitis & vomitus. Progrediente morbo tumoris dolor intenſior evadit. Poſt decennium tandem febre acutâ rapitur.

Reſerato abdomine, repertus eſt tumor capitis magnitudinem ſuperans. Situm habebat in poſticâ uteri parte; hinc rectum inteſtinum vehementer premebat: ſubſtantia carnoſa videbatur. Nullum præterea detegitur ovariorum veſtigium. VALSALVA.

OBS. 1639. (*b*) In cadavere ancillæ diuturno morbo, cum maximâ *luis venereæ* ſuſpicione, conflictatæ; & *hæmorrhagiâ uteri* ſublatæ, inveniuntur ovaria ſcirrhoſa. Dimidia ferè pelvis replebatur ſcirrho albo, duro & craſſo, dextro uteri lateri adnato. In ſiniſtro latere major ſcirrhus fuit oſſi pubis, partibuſque vicinioribus accretus, & intùs purulentus. Alii præterea paſſim annotabantur ſcirrhi in abdomine. CLAR. HALLERUS.

OBS. 1640. Puer lactans cujus *dextrum ventris latus tumebat*, cum ſuſpicione hepatis ſcirrhoſi, tandem macie confectus interiit.

TUMORES. In apricum venit excreſcentia quædam glandulofa totam abdominis dextram partem implens, retrudens inteſtina ſiniſtrorsùm, & colon ipſum; æquè ac hepar. Muſculis abdominalibus, & ſpinæ, adnatus prædictus tumor, circà pancreas initium cœpiſſe videbatur. Magnitudo erat quantum ambæ manus capiunt. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1641. In cadavere mulieris, quæ per plures annos ingentem ventris tumorem geſtaverat, & pro *aſciticâ* habebatur, repertum fuit corpus quoddam ſcirrhoſum, totam imi ventris capacitatem implens, ventriculo, aliiſque partibus circumjacentibus hærens. Pendebat hæc ſtupenda moles libras ſex & ſexaginta; craſſâ robuſtâque membranâ obveſtiebatur; ac materias adipoſas, ſanioſas & ſordidas recondebat. HORSTIUS.

OBS. 1642. Virgini viginti annorum, cùm ex *ſuppreſſis menſibus* intumeſceret venter, hydropis ſuſpicio fuit oborta. Per quadriennium ità augetur *abdominis protuberantia*, ut vix ferendo oneri par eſſet; quæ tandem poſt diuturnos cruciatus piè deceſſit.

Deprehendebatur in abdomine carnea moles, ingens & rotunda; glandulis & pinguedine referta, ex uteri externâ facie, duobus craſſis proceſſibus enata; & quatuor ſuprà triginta libras civiles pendens. PALMA.

OBS. 1643. Quædam magno *tumore interno in ventre* laborabat, cum *dolore in dorſo* & ad ſiniſtrum lumbum. Urinam difficilè excernebat. Partes macie extenuantur; pedes fiunt œdematoſi; ac ſiniſtrum crus obſidet eryſipela lethale.

Ad ventris reſerati centrum ingens apparuit tumor, viſcera undique comprimens, pluribus in locis lividus, qui pendere videbatur è meſenterio. VALSALVA.

OBS. 1644. Vir aliàs vegetus, incidit in *gangrænam utriuſque tibiæ*. Anteà tibiæ & pedes aſſiduè frigebant, & quaſi ſtupore tenebantur. Paulò poſt obiit.

Invenitur tumor ſcirrhoſus circà venam cavam deſcendentem, ubi ſcilicet bifurcatur ad utramque tibiam. Scirrhus in magnitudinem auctus ità conſtrixerat arteriam & venam; ut nullus fermè ſanguis ad artus inferiores permeare poſſet. FABR. HILDANUS.

OBS. 1645. In cadavere cujuſdam quadragenarii *aſcite* extincti, in conſpectum veniebant, præter aquæ fœtidæ copiam, omnia inteſtina corpuſculis albis, calloſis & pinguibus obſita. Hepar cernitur durum, inflammatum & pallidum. Scirrhoſus demum occurrit ingens propè lienem, ab ejus mole compreſſum. HILDANUS.

OBS. 1646. Virgo triginta annorum *ventrem ſummè protuberantem* ab undecim annis geſtabat. Aperto poſt obitum corpore, invenitur tumor ingens, quaſi ſarcoma, dorſo, putri & peritoneo hærens; ſed uteri fundo præſertim adnatus. EX ACT. PHYS. MED. GERMANIÆ.

In hoc cenſu locum obtinent obſervationes Libr. I. 564, 568, 635, 1500, 1732. Libr. II. 153.

---

## *Tumores cyſtici.*

OBS. 1647. Fœmina vitæ ſedentariæ aſſueta, *menſes immodicos*, cum vaginæ prolapſu, patiebatur. Redux è thermis Badenſibus, *doloribus* acerbiſſimis conflictatur *in abdomine*, præſertim circà lumbos & uteri regionem; cum convulſionibus per intervalla recurrentibus. Sexagenaria major menſtruum tributum adhuc perſolvit; remanente vaginæ procidentiâ. Ultimo vitæ quadriennio, menſtruis deficientibus, convulſiones & *cruciatus hyſtericos*, indies vehementiores, perpeſſa, in *tumorem abdominis* & *crurum* incidit. Senſim altiùs protuberante abdomine, ſemper decumbere tenetur ægra. Urinæ turbidæ ſedimentum farinaceum deponebant. Pulſus erat celer & frequens; cum difficili reſpiratione. Tandem corpore macie confecto, mors languoribus finem optatum impoſuit.

Reperiuntur muſculi abdominales ad membranæ tenuitatem redacti. Tumor ingens occurrit in abdomine, dorſo adnatus, continens materiam ſanioſam, fæcibus vini rubri ſimilem, ad pintas circiter duodecim. Craſſiſſimâ & duriſſimâ tunicâ donabatur prædictus tumor; præter quem alii occurrebant pugni magnitudine, eâdem illuvie turgentes. Omentum planè erat abſumptum; meſenterium nonnihil inflammatum, & ſcirrhoſum; non ſecùs ac pancreas. Uterus naturali quadruplo major totus etiam ſcirrhoſus videbatur:

TUMORES. in vaginâ variæ obſervantur hydatides ; & in cavo uteri plures molæ carneæ diverſæ magnitudinis quarum majores ovum anſerinum æquabant. PEYERUS.

OBS. 1648. Vir ſex & triginta annos natus *colicis doloribus* inteſtinorum, & *paroxyſmis nephriticis* obnoxius, cum alvo adſtrictâ ; gravem *contuſionem* patitur *in regione renum*, propè marginem oſſis ilei ; undè *dolor vehemens* qui tamen poſtridie fugatur. Poſt ſex menſes inter inducias, recrudeſcit hic dolor cum vigiliis & difficili decubitu in latus ſiniſtrum. *Contrahitur genu* ejuſdem lateris ; *tumet* proximus *teſticulus*, qui ſenſim ſcirrhoſus evadit cum febre lentâ. Procedente morbo dolores ſæviores in alias abdominis partes propagantur, & ad pectus pertingunt. Dein erumpit tumor ſcirrhoſus in cervicis latere ſiniſtro. Tandem ſeptimo menſe obiit.

Inteſtinum ileum propè os ilium ſiniſtrum ſubviridè occurrit. Lien mole amplior vicinis partibus arctè hæret, ejus involucro ad cornu duritiem accedente. Pancreas erat ſcirrhoſum. Ren ſiniſter duplo major extùs exhibet ulcus ſanioſum. Plures inſuper occurrunt tumores ſteatomatoſi & cancroſi, juxtà lumborum vertebras, circà receptaculum chyli ; inter quos nonnulli ulceroſi eructabant ſaniem, quâ partes viciniores lædebantur, & conſpurcabantur. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1648. (*a*) Ancilla quinque & triginta annorum, poſt ſuppreſſam febrem tertianam, *tumore* moleſtiſſimo *in hypochondrio dextro* laborabat, quam ſequebatur *hydrops*. Fugato hydrope, remanet tumor ultrà ſcrobiculum cordis ſe extendens. Circà annum ætatis quinquageſimum recurrit hydrops, cum vomitu materierum viſcidarum, inappetentiâ & oris amarore. Accedit tuſſis ſicca, cum *dolore gravativo in regione ventriculi*. Intereà tument crura ; reſpiratio fit difficilis, & cor haud raro palpitat. Dein ſe prohibet *icterus* acceſſionibus febrilibus quotidianis ſtipatus ; uſque ad obitum.

Hepar mole majus & ſteatomatoſum ſe præbet ; è cujus parte convexâ emergebat tumor ſaccatus ingens qui ſex menſuras ad minimum continebat, quo depellebantur diaphragma, mediaſtinum cor & pulmones. Materiam opacam, purulentam & fœtidam continebat, cui innatabant ampullæ diaphanæ ad capitis recens nati molem accedentes ; quarum ſuperficies innumeras hydatidulas

exhibebat. Veſicula demùm fellea pure turgebat. CLAR. BAADERUS.

TUMORES.

OBS. 1649. Juvenis ſeptem & viginti annorum *tumorem anomalum* in parte internâ femoris ſiniſtri geſtabat, qui moleſtiſſimus ſectione aufertur. Anno elapſo ab hâc ſectione in quamdam ſomnolentiam incidit, cum *dolore circà coxendicem* ſiniſtrum; quam paulo poſt ſequitur *febricula* cum ſiti & *æſtu interaneorum*, præſertim circà noctem; urgentibus vigiliis. Oculus ſiniſter primò nebuloſus ſenſim tumet & extrà orbitam prorumpit cum cæcitate. Alvus erat adſtricta & deficiebant vires; cùm plures erumpunt tumores duri in capite, dorſo; cervice, &c. Acrius ſævit dolor coxendicis, cum pulſu duro & celeri, ac demùm occubuit.

Præter tumores externos ſteatomatoſos pectoris, alii occurrunt numeroſiores in cavo pectoris, cum carie coſtarum & vertebrarum ſubjacentium. Innumera alia corpuſcula ſcirrhoſa circà vaſa annotabantur. Pancreas mole maximum & ſcirrhoſum conſpicitur. Alii inſuper occurrebant tumores ſimilis indolis, vertebris & oſſibus innominatis, carie læſis, inſidentes. EX ACT. LONDINENSIBUS.

OBS. 1650. Vir quadragenarius emaciatus *immenſum abdominis pondus* patiebatur, cum *ſpirandi difficultate*, & appetitu quaſi canino. Exortus erat hic morbus antè biennium. *Tumor ventris* non mollis erat; ſed quaſi carnoſus. Pedes œdemate tumebant; ſed nulla percipiebatur fluctuatio in abdomine. Tandem lapſu ab alto enecatur.

Vix una aut altera aquæ libra in abdomine deprehenditur; ſed ingens cujuſdam corporis moles, in ſuperficie pinguedinem referens, conſpiciendam ſe exhibuit: totum ferè meſenterium occupabat monſtroſa hæc exereſcentia, ponderis quinquaginta librarum. Tumorum anomalorum inſtar, diverſas materias recondebat hæc maſſa. Prætereà viſcera abbominalia ſemi-putrida videbantur; & pericardium pertinaciſſimè cordi hærebat. BONETUS.

OBS. 1651. Cuidam fœminæ venter novem menſium incremento tumuit; quibus ſine puerperio effluentibus, ſpes prolis in *hydropem* mutatur. Quo procedente, accedit *ſpirandi & mingendi difficultas*. Creſcente abdominis pondere ſtandi & decumbendi facultas adempta eſt. Tandem *ſuppreſſo lotio*, ſuffocata interiit.

TUMORES. Deprehendebatur tumor ingens in abdominis cavo, mediis quaſi immixtus pulmonibus à compulſo diaphragmate. Secto ejus involucro membranaceo erumpunt veſicæ, & globuli membranacei plurimi cum magnâ vi aquarum. Tumoris tunica in nonnullis locis erat cartilaginea, oſſea, imò & lapidea. Diverſas materies, præter aquam, recondebant veſicæ, ſubſtantiam nempè ſebaceam, caſeoſam, craſſam; non ſecùs ac in atheromate, & meliciredi. Pondus totius maſſæ quinque & quadraginta libras ſuperabat. PEYERUS.

OBS. 1652. Puella tredecim menſes nata inſigni *ventris tumore & tenſione* laborabat; quæ tandem, inter varias medicorum opiniones, fatis ceſſit.

Secto cadavere, reperitur ingens abſceſſus in ſiniſtro latere, è vertebris lumborum ſub liene ortum habens & libras decem pendens; è triplici cyſtide conflatus, recondens materiam; pulmentum, ova cocta, ficus, carnem, aliaque ejuſmodi præter naturam, referentem. Duo alii conſpiciebantur abſceſſus in dextro latere; alter ſub hepate, alter propè pelvim, ejuſdem indolis, ſed minoris molis. Ab ſtupendâ horumce tumorum maſſâ, diaphragma ad claviculas impellebatur. Hinc minimè mirum ſi ſuffocata abierit. CABROLLIUS.

OBS. 1653. In cadavere virginis quinquagenariæ, quæ ab octodecim annos geſtabat *ventrem* ſtupendâ & *moleſtiſſimâ mole protuberantem*, invenitur inter cutem & muſculos abdominis tumor cyſticus ingens ad genua uſque ferè deſcendens, & ab umbilico ortum trahens. Innumeris ſubſtantiis diverſæ naturæ replebatur, carneis nempè, cartilagineis, lapideis; atque veſiculis aquâ ſubluteâ, materiâ adipoſâ, aliiſque ſubſtantiis, turgidis. Aperto abdomine alia in conſpectum venit cyſtis vertebris adnata, haud abſimilibus materiebus fœta; præter aquam ſubrufam ad libras octo in abdomine ſtagnantem. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1654. Mulier triginta annorum, poſt gravem *abdominis contuſionem*, de *dolore continuo hypogaſtrii* querebatur. Poſt plures menſes increvit abdomen cum manifeſta *fluctuatione*. Accedentibus in dies variis ſymptomatibus, poſt triennium extinguitur.

Luſtrato cadavere in propatulum venit tumor cyſticus, capitis humani molem longè ſuperans, cellulis innumeris intùs diſtinctus, ſero ſordido & purulento ſcatentibus. E fundo uteri callosi, & quaſi lapidei, cui annectebatur, ortum ducebat hic tumor. Præterea conſpiciebantur inteſtina, humore craſſo & ſubviridi obducta, & invicem hærentia. DU CHESNE.

TUMORES.

OBS. 1655. In cadavere mulieris quatuor & viginti annorum, *aſciticæ* quæ à quatuordecim annis malè ſe habuerat conqueſta ſemper de *præcordiorum dolore* & *ſummâ gravitate* imprimis ab aſſumpto cibo & potu; præter aquæ ſubcruentæ & fœtidæ copiam, ocurrit tumor enormis in epigaſtrio, & regione umbilicali; qui ab omnibus hærentiis ſolutus quinque libras pendebat. Partibus vicinis arctè hærebat; hepati ſcilicet, ventriculo, duodeno, jejuno, pancreati, &c. Hepar inſuper varios abſceſſus recondebat. BLASIUS.

OBS. 1656. Puella quatuordecim annos nata, ante menſes octodecim *ventris intumeſcentiâ* laborabat; quæ ſenſim increſcens, tandem illam ad libitinæ rationem duxit.

Inter cadaveris exenterationem invenitur tumor ingens in tubâ dextrâ, vaſis ſpermaticis, & omento hærens; paſſim catilagineus imò & oſſeus. Diverſas materias ſteatomatum inſtar recondebat; inter quas nonnulla occurrunt pilorum glomeramina. Hepar mole ampliùs non nihil erat purulentum. BLASIUS.

OBS. 1657. Vir quatuor & ſexaginta annorum, jampridem *ventris doloribus* conflictatus; poſt ingluviem *vomitu* corripitur, cum ſæviſſimis ventris torminibus. Accedentibus *animi deliquiis*, brevi migrat ad ſuperos.

Inteſtina ultrà modùm tumebant; & primâ abdominis ſectione foràs cum impetu proſiliebant; nonnullas inflammationis notas præ ſe ferentia. Conſpiciebatur in abdomine tumor quidam cyſticus, anomalus, materiebus liquidis, mollibus & duris, ac diverſæ naturæ fœtus; præcipuam cavitatis partem occupans; qui è meſenterio ortum trahere videbatur. E DIARIO MEDICO.

TUMORES.

OBS. 1658. Cuidam mulierculæ *abdomen* per octo annos *intumuerat ;* urinis parcè fluentibus & alvo plerumque ſolutâ. Accedebat creſcente ventre, atrophia cæterarum partium. Biennio ante obitum *apoplexiâ* corripitur, ſuccedente hemiplegiâ. Tandem ingruente *affectu iliaco*, è medio tollitur.

Præter aquæ limpidæ libras quadraginta, cum variis hydatidibus, reperiebatur in hypochondrio dextro tumor ingens, coſtis ſpuriis adnatus, ponderis viginti librarum & humore limpido repletus. Similis tumor in alio latere, coſtis ſpuriis etiam hærens, & octodecim librarum, ſerum turbidum & ſubcruentum continens conſpicitur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1659. Mulier quadragenariâ major *tumorem abdominis*, ſenſim per ſex annos adauctum geſtabat, qui ſub primis temporibus pro graviditate habebatur. Intereà moles ingens ad paracenteſim devenire cogit; quâ intrà quatuordecim menſes, duodecies celebratâ ſexcentæ libræ colluviei ſeroſæ nonnihil fœtidæ, evacuabantur.

Secto poſt obitum corpore, occurrit tumor ſteatomatoſus, parti internæ umbilici adnatus; baſi duos tranſverſos pollices latâ. Varias cellulas diverſis materiebus ſcatentes recondebat prædictus tumor, octo libras pendens. EX ACTIS EDIMBURGENSIB.

OBS. 1660. Vir ſexageſimum ſextum ætatis annum agens *tumorem* geſtabat haud exiguum *circà inguen* ſiniſtri lateris; quo in dies creſcente, tandem accedit iſchuria lethalis.

Reperiuntur peritoneum putridum & omentum planè abſumptum. Propè ſiniſtrum veſicæ latus tumor comparuit capitis virilis magnitudine, veſicæ, recto & oſſi pubis adnatus. Erat merum ſteatoma continens ſubſtantiam mollem, butyro congelato æmulam, cum parvâ ſanguinis copiâ. Veſica nonnullos ſanguinis grumos etiam recondebat. BARTHOLINUS.

OBS. 1661. Vir jampridem *calculo laborans*, tantæ copiæ lapides & lapillos cum urinâ excrevit, ut aliquot ſcatulos adimplerent à liberis ſervati. Tandem doloribus acerbiſſimis attritus in totalem *lotii ſuppreſſionem* incidit, & nono die interiit.

In renibus parvuli & pauci reperiuntur lapilli. Ureter dexter calculo

calculo dactyliformi obturabatur. Occurrit propè veſiculam felleam ſacculus hepati adnatus, innumeros calculos formâ ſeminis tritici turcici, recondens. E medio hujus ſacculi conſpiciebatur ductus quidam, inſtar ureteris, ad veſicam tendens. POLISIUS.

TUMORES.

OBS. 1662. Quidam tuſſi ſiccâ vexatus, diarrhæâdiuturnâ & macie confectus, cum *tumore infrà nothas coſtas* in jecoris regione, quem commodè pertractare licebat quibus exacerbatis ſupremum obiit.

Aperto mortui cadavere, in apricum venit tumor pendulus, annexus muſculis lumbaribus lateris dextri, capitis vitulini magnitudine, cui plurimæ adnatæ erant cyſtides; aliæ materiâ pulti ſimili refertæ, aliæ ſubſtantiâ ſebum, lardum vel mel referente. Inſuper aqua ſtagnabat in abdomine, ad menſuras duas Pariſienſes. LAGNEAU.

OBS. 1663. Mulier cujus menſes nunc inordinati, nunc ſuppreſſi erant *tumorem* moleſtiſſimum *in regione pubis* jampridem geſtabat. Tandem macie confecta obiit.

Exenterato cadavere, præter omentum putridum reperiebatur tumor ligamentis uteri propè fundum adnatus, qui magnitudinem capitis virilis adæquabat; diverſas ſubſtantias, ſeroſam nempe, gelatinoſam, ſebaceam & purulentam recondens; cujus ſuperficies variis hydatidibus obſita erat. REISELIUS.

OBS. 1664. Cuidam virgini poſt *caſum ab alto*, exſurgit *tumor lienis regionem occupans*, qui in dies incrementum ſumit. Poſt ſex menſes appetitus languet, vires deficiunt; & de *dolore lumborum* conqueritur ægra; quæ paulò poſt naturæ debitum ſolvit.

Aperto cadavere, pinguem quamdam molem in ſiniſtro latere præcipuè latitantem, & inteſtinis incumbentem exhibuit abdomen. Decem libras ponderabat prædictus tumor cyſticus. FROMANNUS.

OBS. 1665. Quædam mulier *ventrem* ſummè *tumidum* per multos annos geſtans, cum conſumptione totius corporis; tandem fatis ceſſit.

Exhauſtâ abdominis aquâ inventus eſt tumor inſignis, & latus, cute validâ circumductus, & pluribus eminentiis præditus. E genere anomalorum varias materies continebat; pinguedinis

TUMORES. nempè, glutinis albi, ſanguinis ſubnigri, & fœtidi ſubſtantiam æmulantes. PALMA.

OBS. 1666. Mulier ſexagenaria à multis menſibus *tumore* quodam *circà umbilicum cum dolore gravativo* ad dorſum & mingendi difficultate laborabat. In dies creſcebat tumor; donec tandem obierit ægra.

Aperto abdomine, occurrit tumor ſtupendæ molis, qui baſim habebat in meſenterii centro, cum arctiſſimâ adhæſione ad finem inteſtini coli; qui ſcilicet præter materiam ſteatomatoſam quam in variis locis continebat, ſubſtantiam firmiorem recondebat. VALSALVA.

OBS. 1667. Luſtrato cadavere cujuſdam puerperæ duorum & triginta annorum, cujus *venter à ſuppreſſis lochiis intumuerat*, reperitur latex ſubluteus ſtagnans in abdomine. Præterea in propatulum venit tumor quidam cyſticus, hydatidibus obſitus, peritoneo propè umbilicum adnatus, qui majori materiæ purulentæ copiâ ſcatebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1668. Vir quadrageſimum ætatis annum agens *obſtructione alvi* laborabat; quâ ingraveſcente erumpit *vomitus*, nullâ arte ſedandus. Quo pergente ſenſim in atrophiam incidit æger, quâ tandem confectus obiit.

Repertus eſt in abdomine ingens abſceſſus, quem vocant ſteatoma, cujus magnitudo ad ovum anſerinum accedebat. CAMERARIUS.

OBS. 1668. (*a*) In cadavere pueri bimeſtris qui tumorem ab umbilico ad veſicam uſque protractum gerebat reperiebatur aquæ magna quantitas ſtagnans in cavitate urachæ; quæ videbatur conflata quatuor ligamentis umbilicum verſùs connexis & è contra divaricatis prope veſicam in cujus ſubſtantiâ muſculosâ firmiter adhærebant. PORTAL.

OBS. 1669. In cadavere cujuſdam *hydropici*, qui à ſeptem annis *abdomen mole portentoſum* geſtabat, invenitur ſaccus ingens, uberrimo aquæ proventu diſtentus, è peritoneo oriundus; ſub quo latitabant viſcera; præter quem in conſpectum veniebat in

regione hypogaſtricâ ſteatoma, pendens duas & quinquaginta libras. SCHEFFERUS. TUMORES.

OBS. 1670. Quidam è lapſu ab equo *contuſionem* paſſus eſt *circà lumborum regionem.* Dolor invadit partem affectam; & per biennium identidem exaſperatur. Tandem exhauſtis viribus, vitam cum morte commutavit.

Exenterato cadavere ingens apparuit tumor, circà meſenterii exortum, vertebris lumborum fibroſâ connexione firmiter hærens. WARTHON.

OBS. 1671. Mulier quinquagenaria per triginta annos patiebatur *in abdomine dolorem*, quaſi diceres matricalem. Tandem *volvulo* correpta die nono ad plures abiit.

Secto cadavere reperitur tumor annexus recto inteſtino: erat è genere cyſticorum; atque recondebat pinguedinem, ſebum, oſſa, dentes & capillos. BOSCUS

OBS. 1672. In cadavere vetulæ quæ *continuo alvi fluxu* per ſex hebdomadas laboraverat, reperitur ſub ventriculo, tumor cyſticus magnus & rotundus, ovi anſerini magnitudine, materiam pinguem, melleam & gypſeam continens; cum nonnullis gangrænæ notis, in tubo inteſtinali. Pericardium inſuper flatu diſtendebatur. BARTHOLINUS.

OBS. 1673. Luſtrato cadavere cujuſdam viduæ, quæ multis abhinc annis, *abdomen altè protuberans* geſtaverat, deprehenditur ingens ſteatoma, quod è pancreate erumpere videbatur; & ſtateræ impoſitum ſex & viginti libras ponderabat. FONTANUS.

OBS. 1674. Sectâ muliere quæ *hydropica* credebatur; occurrit in abdomine maſſa duriſſima proprio involucro obducta; quæ continebat aliquot nigricantis & fœdiſſimæ aquæ amphoras; cum craſſis humoribus, & concreto ſanguine. HILDANUS.

TUMORES. OBS. 1674. (*a*) Introſpecto cadavere virginis cujus *venter tumebat* cum ſuſpicione hydropis; in apricum venit corpus quoddam, ex pluribus abſceſſibus conflatum, materiâ quâdam ſebaceâ, alteriuſve ſortis, ſcatentibus. BALLONIUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. I. 1045, 1767; Libr. II. 313, 782. Vide inſuper *Tumores ventriculi*, *omenti*, *inteſtinorum*, &c.

## *Tumores veſiculares.*

OBS. 1675. Mulier trium & quadraginta annorum, multipara, poſt ſeptem menſes à ſuppreſſis menſibus de *duritie* & *immani pondere in regione pubis* querebatur. *Venter* ultrà modum *protuberabat*, cum cruribus œdematoſis. Facies erat pallida, & difficilis reſpiratio, cum pulſu frequenti. Imo ventre accuratiori examini ſubjecto, tactu exploratur quidam tumor ſuprà pubem, dolore moleſtiſſimus, cum ſtagnatione manifeſtâ cujuſdam colluviei in abdominis cavo. Pergente morbo, & incrementum ſumente ventris intumeſcentiâ, devenitur ad paracenteſim, cujus ope educitur materia quædam mucoſa, ſubſtantiæ craſſiori & melliformi intermixta. Intereà macie & febre lentâ, cum exacerbationibus ſerotinis confecta ægra, ventriſque mole oppreſſa, alteram paracenteſim expoſtulat; quâ incaſſùm celebratâ, poſt triduum obiit.

Abdomen primâ ſectione exhibet corpus adipoſum inter tegumenta & muſculos ſitum, putriditate & purulentiâ defœdatum. Reſerato abdomine occurrit præter colluviem ſordidam tumor cyſticus in regione hypogaſtricâ ad umbilicum aſcendens; qui innumeros folliculos ſeroſos, & purulentos continebat. Prætereà epiploon cum portione proximâ coli erat putridum. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1676. Quidam de variis *in abdomine tumoribus*, *dolore ſtipatis* jamdiù querebatur. Tandem in *iſchuriam* incidit, quâ paulò poſt, exquiſitioribus præſidiis fruſtrà adhibitis, enecatur.

Reſerato abdomine, in conſpectum venit tumor ſacciformis, cujus diameter ad octo pollices accedebat: veſicæ fundo adnatus, arctèque inteſtino hærens, hydatidibus replebatur prædictus ſaccus. Quo exhauſto, alius occurrebat, ex ipſamet veſicâ etiam-emergens, ſimilibus hydatidibus turgidus. Binis hiſce tumoribus compreſſa veſica, & dilatari neſcia unum vel alterum urinæ ſubcruentæ cochlear duntaxat continebat. Sacci ejuſdem naturæ, numero

quinque, etiam hepati, aliàs ſano, hærebant. Lien ſcirrhoſus capſulam habebat cartilagineam, & varias quoque hydatides colligebat; quæ paſſim etiam occurrebant in aliis locis. EX ACTIS PARISIENSIBUS. TUMORES.

OBS. 1677. Vir quadrageſimum quintum ætatis annum agens, laboribus arduis aſſuetus, & hernioſus *doloribus colicis* per totum abdomen ſævientibus ſubitò corripitur; qui ſenſim, & per plures dies ità exaſperantur ut demùm decumbentem hùc mittunt undè negant redire quemquam. Partes ilei & omenti in ſacco hernioſo contenti, gangrænâ tactæ reperiebantur. Hepar totum purulentum occurrit. Prætereà obſervatur tumor ingens in regione lienis, ad cucurbitæ magnitudinem accedens; hærens lieni, diaphragmati & inteſtino colo, innumeris, vel ſuprà centum, hydatidibus fœtus; qui uti videbatur ortum ducebat à liene. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 1678. In cadavere mulierculæ ſex & viginti annorum, quæ per plures annos, *ventrem* mirum in modum *protuberantem* geſtabat, reperiebatur in cavo abdominis copia ſeri fœtidi & purulenti. Occurrit ſuprà regionem umbilicalem ſaccus ingens, amplitudinem abdominis ferè æquans. E diaphragmate in cavitatem pectoris depulſo, originem mutuari videbatur. Innumeras, vel ſuprà ducentas hydatides continebat ſero purulento & fœtido innatantes. EX ACTIS PHIS. MED. GERMANIÆ.

Id genus tumoris exemplum exhibet obſervatio Libr. II. 153.

---

## *Tumores cancroſi.*

OBS. 1679. Vir undetriginta annorum, vino & fumo fiſtulari deditus, poſt gravem *contuſionem in hypochondrio ſiniſtro*, *doloribus colicis* ſæpiùs conflictabatur. Tandem febre prehenditur, cum vigiliis & dolorum exacerbatione. Accedunt nauſeæ: alvus adſtringitur. Dein *dolores qui totum abdomen pervadebant*, renibus & ureteribus præcipuè infigi videntur. Intereà erumpit tumor, in umbilico, ſenſim ad pugni magnitudinem accedens. Omnia in pejus ruunt; & ſub finem tertii menſis obiit.

Inter ſectionem cadaveris reperitur tumor ingens ſcirrhoſus & cancroſus, vertebris lumbaribus adnatus, dimidiam abdominis

TUMORES. partem replens, & ponderis quinque librarum. Nonnullæ hujuſce ſarcomatis partes ulceroſæ & gangrænoſæ eructabant virulentam ſaniem, quæ viciniores partes inquinabat & defœdabat. Ex Actis Londinensibus.

OBS. 1680. Mulier quinque & triginta annorum, tabida, *ventris intumeſcentiâ*, ſenſim increſcente per triennium laboraverat. Durum valdè abdomen, quaſi lapideam conſtitutionem exteriùs referebat; ubi manu attingebatur.

Aperto abdomine, nulla occurrunt veſtigia pinguedinis, membranarum & muſculorum abdominalium. Hæc omnia in alienam ſubſtantiam erant commutata, cujus craſſities, factâ dimenſione ab umbilico ad interiora ventris, ad ulnæ dimidiæ longitudinem accedebat. Extùs cartilaginea, intùs cancroſa videbatur prædicta ſubſtantia. Blasius.

OBS. 1681. In cadavere mulieris ſeptuagenariæ *hæmorrhagiâ uteri* ſublatæ, reperitur in abdomine tumor melonis molem ſuperans, cum maculis gangrænoſis; humore quodam mucoſo & cruento ſcatebat prædictus tumor: ac ſtagnabat materia purulenta copioſa in abdomine. Veſica inſuper paſſim gangrænoſa occurrit. Hartmannus.

## *Anthraces in abdomine.*

OBS. 1682. Vir triginta annorum, temperamento melancholico, tumore parotidum, & *bubone peſtilentiali* in inguine ſiniſtro corripitur. Reſolutis hiſce tumoribus benè ſe habere videbatur; cùm poſt quindecim dies recurrit bubo, nullâ arte in ſuppuratum adducendus. Intereà erumpunt exanthemata purpurea in pectore, & quarto die accedit mors.

Exenterato cadavere epiploon maculis purpureis obſitum conſpicitur: lien ſubviridis & mole major. E diaphragmate ſiniſtro prodibant plures anthraces, & puſtulæ gangrenoſæ. Ex hepate ſcirrhoſo etiam erumpebat anthrax. Veſicula fellis inflammata, anthrace etiam defœdata, turgebat bile viſcidâ & nigerrimâ. Varii inſuper tumores ejuſdem indolis obſervantur in inteſtinis

renibus & peritoneo propè vertebras. Pulmones etiam ingentem anthracem exhibebant. COUZIERS.

OBS. 1683. Vidua quinque & quadraginta annorum, horrore, ſuccedente *febre peſtilentiali*, cum dolore capitis, & virium defectu corripitur. Erumpunt maculæ purpureæ circà pectus. Tertio die ingruit. Vomitus, & paulò poſt moritur.

Luſtratum cadaver paſſim exhibebat, tùm in pectore, tùm in abdomine, puſtulas gangrænoſas, inſtar carbunculorum. Ventriculus inſuper inflammatus humorem viridem recondebat. COUZIERS.

---

## *Abſceſſus in abdomine.*

OBS. 1684. Quidam ſenex pluribus abhinc annis *dolore* continuo *circà regionem oſſis ſacri*, cum ardore urinæ, & *mingendi difficultate* afflictus fuit. Quibus pergentibus & exacerbatis, tandem obiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione invenitur circà regionem oſſis ſacri, eâ nimirum parte quâ vena cava bifurcatur, abſceſſus ingens, qui præter materiem fœtidam, ſanguinem coagulatum continebat, cum carie oſſis ſacri. Veſica præterea quatuor lapides fovebat. HILDANUS.

OBS. 1685. Quædam fœmina poſt intempeſtivam *veteris fontanellæ exſiccationem*, incidit *in ſpirandi difficultatem* paulò poſt *intumuit totum corpus*. Ingraveſcente tandem aſthmate; viribuſque morbi diuturnitate fractis interiit.

Exenteratum cadaver exhibebat in latere ſiniſtro, & ſuperiore abdominis, abſceſſus apertus, ex quo magna fœdiſſimæ ſaniei copia effluxit, BLANCARDUS.

OBS. 1686. Puella in levem febrem incidit, *tertianæ intermittenti* haud diſſimilem, nullo dolore ſtipatam. Accedentibus dein animi deliquiis, cum quibuſdam horripilationibus, ſubitò extinguitur.

Aperto abdomine magna puris copia circà uterum inventa eſt, quæ ad ſuperiores uſque partes redundabat. JACOTIUS.

OBS. 1687. Mulier ab *exſiccatâ fontanellâ*, brevi *ſpirandi difficultate* prehenditur. Procedente morbo *tumet venter*, & pedes

TUMORES. fiunt œdematoſi. Urget oppreſſio pectoris; donec tandem fatis ceſſerit.

Inter ſectionem cadaveris in propatulum venit abſceſſus ingens, juxtà lienem ſitus, & ſaniem fœtidiſſimam continens. HORSTIUS.

OBS. 1648. Quædam matrona *hydrope* laborans, de *dolore lateris dextri* ſæpiùs conquerebatur, cum difficillimo decubitu in aliud latus. Tandem ingraveſcente morbo interiit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat in dextrâ abdominis parte abſceſſus ingens pure fœtidiſſimo repletus, & hepati adnatus. BARTHOLINUSS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 409, 346 (*a*). Libr. IV. 171, 193.

## *Tumor ab adunatis inteſtinis.*

OBS. 1689. Cuidam *venter intumuerat*, cum hydropis ſuſpicione. Poſt copioſas *vomitiones* depleri videbatur abdomen; remanente *tumore duro in hypogaſtrio*, quo manu compreſſo, flatus per inferiora excludebantur. Intereà perſtabat vomitus cum *alvi obſtructione.* Nulla erant inflammationis ſigna in abdomine, doloris experte: etſi æger morbo confectus obiit.

Reperiuntur tenuia inteſtina, mirè inter ſe implicita, & per nexus, ex firmâ densâ que ſubſtantiâ, tendineæ inſtar, inter ſe juncta, quæ ſcilicet tumorem illum durum efficiebant; præſertim ob fæces quibus referta erant. Colon prætereà carnis fibris compactum, impervium videbatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1690. Sexagenarius *hæmorrhoïdibus* obnoxius; poſt varias minoris momenti ægritudines, queritur de quâdam *duritie in ventre*, cum *alvo adſtrictâ*, & *vomitu.* Inſurgit febricula, quæ maciem poſt ſe trahit: tumor intereà mobilis manifeſtior evadit: octo ſcilicet tranſverſos digitos latus ſedem habet ſuprà umbilicum. Contrectatus tuberoſus videbatur: à preſſione erumpebant flatus cum

cum non nullo dolore ; tandem erumpit *vomitus materierum fœtidarum* , quem preſſo pede ſequitur lethum.

Aperto abdomine patent ileum & pars jejuni ſuprà umbilicum ſursùm retracta & coacervata , atque arctiſſimè inter ſe conjuncta; unde tumor erat prominens. CLAR. MORGAGNUS.

Vide *Inteſtina invicem implicata.* Vide obſervationem Libr. I. 141. (*a*).

# *SECTIO DECIMA-SEXTA.*

## DE COLLUVIE ABDOMINIS.

### *Aſcites nullâ obviâ causâ.*

OBSERVATIO 1691. Vir quidam ſexagenarius, largiùs & *avidiùs comedens* , *ſpirandi difficultate* premebatur inter paſtum , & quoties noctu ad ſomnum ſe componebat ; adeò ut tùm ſtatim ſe erigere cogeretur. Intereà *venter* ſenſim ſine ſenſu *in tumorem attollitur* , cum quâdam palpitatione circà hypochondria. Morbo tandem ingraveſcente , extremum diem clauſit.

In diſſecto cadavere deprehendebatur hepar ſanum ; cæteris etiam plane inculpatis viſceribus ; cum maxima aquæ copia in abdomine. TIDIRÆUS.

### *Hydrops cyſticus.*

OBS. 1692. Cuidam mulieri *venter increvit* , cum maximâ graviditatis ſuſpicione ; menſibus parùm fluentibus. Poſt novem menſes nullum partûs indicium ; nec perſentitur infantis motus; ac ulteriùs tumet venter , cum *artubus inferioribus œdematoſis*. Irritis omnibus præſidiis in majorem molem in dies attollitur abdomen ; *lotio parciſſimè fluente*. Celebrantur nonnullæ ſcarificationes in pedibus ultrà modùm tumentibus ; quarum ope detumeſcunt inferiora ,

COLLUVIES.

cum nonnullâ ſalutis ſpe. Abdomen tamen ulteriùs protuberat: adhibentur balnea è ſabulo maris calido; ſed fruſtrà. Hinc ad paracenteſim devenitur; ſed nulla educitur aqua. Vigente appetitu, accedunt poſtremò dolores, qui pro imminente partu habebat ægra; inter quos, viribus deficientibus, fatis ceſſit.

Primâ abdominis ſectione proſilit materia craſſa & viſcida copioſiſſima, cum quodam corpore, figurâ & magnitudine conum pineum referente. Baſi uteri rupti arctiſſimè hærebat hæc glutinoſa moles. In latere ſiniſtro uteri etiam diſrupto, ob nimiam extenſionem occurrit corpus membranoſum capitis virilis magnitudinem æquans, quod ſimilem continebat materiam. Viſcera abſcondita erant tegumento membranoſo, & craſſo; inter quod & muſculos abdominales continebatur hæc materia craſſa & viſcida, ad octo & viginti menſuras. Sectâ hâc membranâ, oculis patent hepar; lien & cætera viſcera, ultrà modum compreſſa, aliàs ſana. E MISCELLANEIS NATURÆ CURIOSIS.

OBS. 1693. Mulier multis abhinc annis *hydropica ventrem monſtroſum*, & veluti in acumen prominutum geſtabat. Nulla erat fluctuatio niſi in exiguâ ſiniſtri epigaſtrii plagâ. Ter inſtituta fuerat paracenteſis. Anxietates arcebant ſomnum. *Tuſſis* erat moleſtiſſima; *vomitus* pertinaciſſimus, & appetitus omninò deletus. Acceſſit vaginæ prolapſus, cum oculis & facie collapſis; pulſu ferè oblitterato. Tandem delira, & integro triduo cum morte luctata, expiravit.

Perironeum arctè partibus contentis accretum reperitur: ſecto variis in locis prodiit ſuccus quidam gelatinoſus in ſeparatis loculis incluſus. Poſt accuratum, tædioſum & ſordidum examen, conſtitit ſaccum illum ingentem quo totum abdomen replebatur, à dilatatâ tubâ uteri dextrâ originem mutuari, quæ ſanie glutinoſâ ſcatebat. Ovarium dextrum tuberoſum, & pugni molem æquans, humorem glutinoſum recondebat. Illud ſpatium in quo venter videbatur acuminatus occupabat peculiaris tumor, magno ſacco anteriùs adnatus, capitis humani magnitudinem æquans. Luſtratum peritoneum innumera tubercula in loculos humore glutinoſo turgidos diviſa exhibebat. Inteſtina invicem accreta innumeris hydatidibus obſita deprehendebantur. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1694. Fœmina duorum & quadraginta annorum ſterilis, cui menſes à tribus annis deficiebant, incidit in *ventris tumorem* inſolitum; quem ſenſim adauctum, cum fluctuatione manifeſtâ,

COLLUVIES.

concomitatur *œdema crurum.* Intereà abdomen in ſtupendam molem attollitur, nil proficientibus remediis. Marcor partes ſuperiores invadit. Languet appetitus, cum ſiti. *Urinæ parcè fluunt, alvo adſtrictâ.* Pulſus erat debilis & frequens: reſpiratio ſummè difficilis omnem decubitum præpediebat. Tuſſis erat aſſidua & vigiliæ pertinaciſſimæ; cum viribus planè deficientibus. Inſtitutâ paracenteſi evacuantur quinque viginti aquæ libræ, cum levamine. Bis iteratâ hâc operatione, educebatur præter aquam, materia ſordida & purulenta; tandem accedit lethum.

Deprehendebatur in luſtrato abdomine ſaccus ingens in variis cellulis diviſus, maximam laticis ſeroſi, purulenti, & lutulenti copiam recondens, vel libras circiter quadraginta. Omnia abdominis viſcera extrà ſaccum conſpicipiebantur; ſi excipias omentum, è quo efformatum fuiſſe prædictum ſaccum jurè conſpiciebatur. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 1695. Mulier trigeſimum quintum ætatis annum agens, temperamento atrabilari, & mater trium liberorum, incidit in *tumorem abdominis* inæqualem, *menſibus fluentibus.* Increvit tumor per quatuor annos, quibus elapſis menſes ſufflaminantur. Tum accedunt *animi deliquia*, nauſeæ & *cordis palpitationes;* cum dejectionibus nigris & fœtidiſſimis. Celebratâ paracenteſi ne gutta quidem humoris educitur: ac tandem exhauſtis viribus obiit.

In binas partes dividebatur abdomen, ope cujuſdam ſepti tranſverſi, quod craſſitiem pollicis aſſequebatur; quarum altera totam regionem epigaſtricam & lumbarem dextram continebat; altera verò partem ſiniſtram & inferiorem abdominis: hæc replebatur humore nigro, viſcido & fœtidiſſimo, cui innatabant varia corpuſcula dura & albicantia piſiformia. Hujuſce cyſtis latera, in nonnullis locis ad latitudinem trium pollicum accedebant, & bino foramine hiabant in inteſtina craſſiora. EX ACTIS PARISIENS.

OBS. 1696. Fœmina ſex & triginta annorum *ventrem tumidum cum ſenſu ponderis* geſtabat. Menſibus deficientibus, *pondus circà umbilicum* moleſtiùs evadit, & increſcit ventris moles. Elapſis ſub hoc rerum ſtatu quatuor annis febre intermittente corripitur, quam ſequitur artuum inferiorum tumor œdematoſus, cum gravi *ſpirandi difficultate*, & manifeſtâ fluctuatione in abdomine. Accedente cibi faſtidio, cum pallore faciei; celebratur paracenteſis, quâ educuntur triginta circiter libræ ſeri fuſci & lutulenti; quâ evacuatione complanatur abdomen. Poſt octiduum recurrit ventris

Fff ij

COLLUVIES,

intumeſcentia, cum majori ſpirandi difficultate. Iteratur punctio abdominis; quâ ægrè fluit humor craſſior, ſubniger & lutulentus. Inter haſce ærumnas brevi ad Superos migravit æger.

Sectis muſculis abdominalibus, partim gangrænâ tactis, patet ſaccus ingens, totum ferè abdomen occupans; è cujus parte ſuperiori exſurgebat tumor ſteatomatoſus, pondere decem librarum; qui pro omento ſummè labefactato habebatur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1697. Vir undequinquaginta annos, *anaſarcâ*, & *aſcite* laborans paracenteſi ſubmittitur quâ educuntur centum circiter libræ aquæ turbidæ & rubræ. Exacto menſe, alia inſtituitur. evacuatio etiam copioſiſſima, quæ ſepties intrà octo menſes iteratur. Poſteà proſternuntur vires; appetitus deficit; ingruunt febres, ſudoribus ſtipati. *Venter* intereà *ultrà modum protuberat, cum imminente ſuffocatione;* ſed octava paracenteſis periculoſa videbatur, quam tamen ſubire voluit æger, qui undecimo ab illinc die periit.

Omentum craſſiſſimum in pelvim uſque propendebat, peritoneo & inteſtinis accretum. Nulla erat in abdominis cavo aqua; ſed copioſiſſima, rubra & fœtida occurrit in ſacco omenti; cui hærebat tumor ſteatomatoſus tres & triginta libras æquans. CLAR. DE HAEN.

OBS. 1698. Matrona quinquagenaria ante triennium de *lumborum & abdominis dolore;* præſertim circà inguinum regionem conquerebatur; menſibus ſenſim deficientibus. Dein manifeſtus fit *abdominis, & pedum tumor*, qui fruſtrà tentatis variis præſidiis, ſolitum incrementum ſumit; adeò ut poſtremò umbilicus ad inguina, atque reliquus aqualiculus ad genua uſquè propenderet. Poſt caſum, ingruunt dolores abdominis, cum variis ſymptomatibus, quibus brevi accerſitur ultimum fatum.

Intitutâ cadaveris ſectione, occurrunt varii tumores cyſtici, quâdam materiâ gelatinosâ repleti; quæ collecta centum & quadraginta libras pendebat. Erat ovarium ſiniſtrum ingens, vel ad capitis magitudinem accedens, diverſas materies continens. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1699. Cuidam mulieri *venter* poſt partum manſit *durus & intentus*. Erat primò tumor ad ſiniſtrum umbilici latus, quem neglexerat. Plures alii tumores ſenſim percipiuntur in abdomine; in dies altiùs protuberante. Intereà accedunt dyſpnæa, *acerbiſſimi ventris dolores*, ſitis, *vomitus* & *diarrhæa*. Tandem inter animi deliquia, ad Superos migravit.

Deprehendebantur in abdomine innumeri propè modum ſacci lymphæ pleni, omnibus obviis viſceribus, ſpinæ dorſi & peritoneo adnati; inter quos prominebat ovarium dextrum, diverſas ſubſtantias, ad libras duas & amplius, recondens. E MISCELLANEIS CURIOSIS. COLLUVIES.

OBS. 1700. Cadaver cujuſdam *hydropicæ* ſexagenariæ, exhibebat *in abdomine tumores innumeros* & diverſæ indolis. Epiploon, diaphragma, meſenterium & inteſtina ſcirrhis obſita deprehendebantur; quorum nonnulli duritiem quaſi lapideam aſſequebantur. Ex epiploo originem ducebat tumor cyſticus portentoſæ magnitudinis, materiebus ſebaceis, purulentis & gypſeis ſcatens. Reliqui tumores ovi columbini magnitudine, liquore viſcido, hydatidum inſtar, turgebant. RIVALERIUS.

OBS. 1701. Mulier quinque & triginta annorum, poſt puerperium de *dolore in hypochondrio ſiniſtro* queritur, qui dein per totum *abdomen* propagatur; qui ſenſim tumet, & poſteà *in ſtupendam molem* aſſurgit: adeò ut circà ſextum annum decumbere cogeretur ægra, quæ paulò poſt interiit.

Abdomen aquæ fuſcæ octoginta, & ampliùs, libras continebat, in cyſtim ampliſſimam collectæ; quæ cyſtis ab ovario ſiniſtro oriri videbantur. Hepar inſuper ſcirrhoſum deprehenditur. Uterus cum tubâ, & ovario dextri lateris, ſanus; ſed paululùm compreſſus occurrit. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1702. In cadavere cujuſdam *mulieris hydropicæ*, ſecto abdomine, annotatur ingens cyſtis materiâ ſubflavâ & purulentâ repleta; cujus latera variis prominentiis exaſperata, craſſiora & membranacea videbantur. Stomachus extrà prædictum ſaccum, non ſecùs ac alia viſcera, flatulentiâ turgidus conſpiciebatur. Vaſa epiploica in cyſtim diſſeminabantur. Cætera viſcera, etſi compreſſa, à naturali ſtatu minimè recedebant; ſi excipias nonnullas hydatides hepati adnatas; & ovarium dextrum tumidum & ſcirrhoſum. E quibus patet cyſtim illam ampliſſimam nil aliud eſſe quàm omentum morboſum. Ex ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1703. Quædam paupercula annoſa, per ſexennium *immenſæ*

*ventris* onus geſtabat ; cum *acerbiſſimis doloribus*, quibus tandem emaciata, ultimum diem clauſit.

COLLUVIES.

Luſtrato cadavere inveniebatur ſaccus ingens vertebris lumbaribus & peritoneo juxtà latera annexus, qui materiam ſubflavam & craſſam, ad duas & viginti libras, continebat. Prætereà plures alii occurrebant tumores cyſtici materiâ gelatinosâ albâ ſcatentes. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1704. Mulier triginta annorum *ventrem ultrà modum protuberantem*, octo annos, geſtabat. A paracenteſi ter celebratâ, educebatur major colluviei diverſæ indolis copia; flavæ ſcilicet, ſubviridis, nigricantis, & ſummè fœtidæ. Omnibus intereà in deteriora ruentibus, emaciata ad tumulum properavit.

Inter ſectionem cadaveris, in propatulum veniebat in abdomine ſaccus ingens in varias cellulas diſtinctus; quæ ſingulæ materias recondebant diverſæ indolis. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1705. Mulier triginta annorum, per ſexennium *venter* ſenſim *prominebat*, cum *ſuppreſſis menſibus ;* ſine tamen moleſtiâ, quaſi ex graviditate. Ab ſtupendâ demùm ventris mole emergit *ſpirandi difficultas ;* ſub quâ rerum conditione; poſt gravem & fortuitam corporis concuſſionem occubuit.

Aperto abdomine reperitur utriculus ventris capacitatem explens. Ab uteri fundo ortum ducebat, & aquam copioſam lixivium colore & conſiſtentiâ æmulantem, continebat. Uterus inſuper exiguus deprehendebatur. AICHOLTZIUS.

OBS. 1706. In cadavere cujuſdam pauperculæ *tabidæ & aſciticæ* occurrit jecur lapidoſum. Obſervantur binæ veſicæ inter peritoneum & inteſtina; quarum altera bovinæ veſicæ urinariæ magnitudinem ſuperabat. Quibus diſrúptis tantæ aquæ lividæ copia effluxit, ut vas triginta librarum capax adimpleret. ZACUTUS.

OBS. 1707. Secto abdomine *mulieris hydropicæ*, poſt celebratam paracenteſim, extinctæ, reperiebatur ingens ſaccus continens humoris lutulenti libras triginta. E latere ſiniſtro uteri ortum ducere videbatur hæc cyſtis, è quâ bini protuberabant tumores; alter,

mere ſcirrhoſus; alter, genuinum ovarium, ovi ſtruthio cameli molem æquabat. Ex Actis Parisiensibus.

Collu-vies.

OBS. 1708. Inſtitutâ exenteratione cadaveris cujuſdam matronæ *hydrope* extinctæ, deprehenditur abdomen veſicis innumeris aquâ plenis ſcatens; quæ nullâ arte præſciri, vel depleri, potuerunt. Bartholinus.

OBS. 1709. In reſerato abdomine cujuſdam fœminæ, poſt ſuppreſſos menſes, *hydrope* ſublatæ, occurrunt innumeræ veſicæ, quæ continebant ultrà menſuras ſexaginta aquæ. Persius.

OBS. 1710. In ventre inferiore cujuſdam *hydropici*, innumeras veſicas aquâ turgidas, & viſceribus hærentes ſe vidiſſe teſtatur Coiterus.

OBS. 1711. In cadaveribus variorum *hydropicorum*, aquam veſiculis variæ magnitudinis incluſam vidit Hæferus.

Vide *Hydrops peritonei*, pag. 428.

## *Hydrops veſicularis.*

OBS. 1712. Mulier ſeptem & quadraginta annorum, *tumorem* à ſeptemdecim annis geſtabat *in hypochondrio ſiniſtro*, ſub ultimis temporibus moleſtiſſimum; ac inſultibus febrilibus cum rigore ſtipatum. A notâ fluctuatione aperitur prædictus tumor, & educitur latex ſeroſo purulentus, cum maximâ hydatidum copiâ; quarum nonnullæ ovum gallinaceum mole æquabant. Intereà inflictum vulnus gangrænoſum evadit; collabuntur vires; ægrâ ad ineluctabile fatum properante.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, reperiebatur in abdomine ſaccus ingens hepati adnatus, quaſi tripartitus, majorem abdominis partem occupans; & innumeras hydatides ſaniei innatantes continens. Occurrit inſuper ampliſſimus abſceſſus in meſenterio; cum latice ſordido & ſanioſo in cavo abdominis ſtagnante. E Diario Eruditorum.

COLLUVIES.

OBS. 1713. Cuidam fœminæ menſes deſierant, cum *ventris intumeſcentiâ*, unde utero ſe gerere exiſtimabat. Intereà exacto geſtationis tempore, ventreque ſubinde accreſcente, de ſpe conceptâ dubitabat. Abdomen in dies magis magiſque protuberabat, cum *dolore* continuo, inter noctem, acerbiore. Sic tandem cruciatibus & inquietudine confecta, obiit.

Secto abdomine effluxit aqua purpurea, ſed parciori copiâ. Dein conſpicitur ſtupendus veſicularum numerus, inter peritoneum, & muſculos abdominales ſummè extenuatos. Inciſo peritoneo, apparent viſcera compreſſa in anguſto ſpatio; ſed parùm læſa. ACHOLTZIUS.

OBS. 1714. Fœmina quædam plebeïa quadragenaria, ante biennium nupta, pro *ventris tumore* ſe gravidam credebat. Senſim ingruunt *dolores* noctu ingraveſcentes. Accedente macie imprægnationis ſpes in hydropis metum mutatur. Dolorum denique vehementiâ exanimata, occubuit.

Reſerato abdomine nulla occurrit aqua, & omnia viſcera in anguſto ſpatio contenta apparebant; ob ſtupendam copiam veſicularum, aquâ limpidâ diſtentarum, & invicem cohærentium. ACHOLTZIUS.

OBS. 1715. In cadavere mulieris triginta annorum, *phthiſi*, & *aſcite* extinctæ inveniebantur in abdomine hydrops veſicularis. Peritoneum triplo ſolito erat craſſius & quaſi tendineum. Thorax majorem aquæ turbidæ copiam recondebat. Pericardium ex nimiâ repletione quaſi ſplendebat. Pulmo dexter putris obſervatur: ſiniſter verò nonnihil erat purulentus. E MISCELLAN. CURIOSIS.

OBS. 1716. Cadaver cujuſdam fœminæ *hydropicæ*, cujus abdomen inæquale varias protuberantias præ ſe ferebat, exhibuit cyſtes aquâ repletas, & diverſæ molis; peritoneo, diaphragmati, hepati, ſtomacho, utero, &c. adnatas, quarum nonnullæ libras duas pendebant. Prætereà hepar, lien & renes mole maxima reperiebantur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1717. In cadavere virginis ætate provectioris, *aſcite* extinctæ, tota abdominis diſtenti cavitas innumeris veſiculis, aut ſacculis, humore tenaciori & glutinoſo refertis, repleta erat. Nonnullæ magnitudinem

magnitudinem pugni minoris æquabant; aliæ nucem juglandem, vel avellanam non ſuperabant. RUYSCHIUS.

COLLUVIES.

OBS. 1718. Inter ſectionem mulieris quatuor & triginta annorum, à multis annis *aſciticæ* deprehendebatur in abdomine ſaccus ingens membranaceus in varios loculos diviſus, continens laticis ſubflavi libras circiter quinquaginta; cui inatabant hydatides innumeræ quarum majores, nucis avellanæ magnitudinem minimè ſuperabant. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1719. Exenterato cadavere matronæ duorum & quinquaginta annorum, quæ *ventris tumorem* moleſtiſſimum multis abhinc annis geſtabat, in conſpectum veniebant innumeræ cyſtes, ſero limpido, ruffo, ſubluteo, &c. repletæ; quarum nonnullæ viginti circiter libras pendebant. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1720. Mulier novem menſes *uterum geſtare putabatur*; inſtante, uti videbatur, partûs tempore, pro *dolore immani ob ventris tumorem* fatis conceſſit.

Luſtratis interaneis, in apricum veniebant epiploon, meſenterium, hepar, lien & peritoneum hydatidibus obſita. BALLONIUS.

OBS. 1721. In cadavere cujuſdam *hydropicæ*, maxima aquæ copia occurrit in abdomine; præter quam paſſim obſervantur hydatides numeroſiſſimæ, præſertim circà uterum. Inteſtina erant putrida. Cordis ventriculi ingentes concretiones polypoſas recondebant. THEBESIUS.

OBS. 1722. Cultro anatomico ſubjectum corpus mulieris *hydropicæ & aſthmaticæ*, exhibebat in cavo abdominis ſaccus membranaceus craſſus, ad magnitudinem ſtomachi accedens, & hydatidibus diverſæ ſortis fœtus. RUYSCHIUS.

COLLUVIES.

OBS. 1723. Inciſo cadavere cujuſdam fœminæ *hydrope* ſublatæ; deprehendebantur in imo ventre innumeræ veſicæ, omnibus fermè viſceribus adnatæ, & aquâ citrinâ repletæ. CORDÆUS.

In hoc ordine locum meretur obſervatio Libr. I. 1725.

## *Hydrops peritonei.*

OBS. 1724. Mulier quinque & triginta annos nata, multis abhinc annis *ventrem tumidum* geſtabat, *ſine moleſtiâ.* Siniſtrum abdominis latus altiùs prominere videbatur, *cum manifeſtâ fluctuatione.* Intereà vigebat appetitus; menſes ſolito more fluebant; haud obſcurabatur nitor faciei, & nulla percipiebatur macies. Procedente, & increſcente morbo, ulteriùs tumet abdomen; crura fiunt œdematoſa; reſpiratio *difficilis* evadit; ac tandem accedentibus lypothymiis ultimum diem clauſit.

Primâ abdominis ſectione, & exhauſtâ ſtupendâ aquæ fæculentæ copiâ; omnia viſcera deſiderari videbantur: cùm prædicta colluvies concluderetur inter peritoneum & muſculos abdominales, qui capſulæ complementum ſuppeditabant. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 1725. Virgo ſeptem & triginta annorum corripitur *ſtupore* quodam moleſtiſſimo *in crure ſiniſtro*, quo planè præpeditur inceſſus. Poſt plures menſes accedit tumor œdematoſus in parte affectâ, menſibus ſolito more fluentibus. Dein *venter protuberat*, exacerbantur dolores; & ingruit *febris*, prævio horrore. Pergente morbo ulteriùs diſtenditur abdomen; accedunt nauſeæ; omniaque in pejus ruunt; & ad celeſtem auram properat ægra.

Aperto abdomine proſilit aqua fæculenta, ſubrubra & inodora ad viginti & centum libras. Dein patet cyſtis ingens innumeris hydatidibus intùs referta; cujus latera craſſiſſima binos pollices æquabant. Viſcera extra ſaccum ultrà modum contracta, ſana deprehenduntur. Muſculi verò abdominales erant exiliſſimi, & quaſi membranacei. EX ACTIS CHIR. PARISIENS.

OBS. 1726. Mulier ſexagenaria per plures annos *tumore* labo-

rabat *in regione epigaſtricâ*, qui ſenſim excreſcens demùm moleſtiſſimus evaſit, tam ratione molis, quàm ratione ponderis; adeò ut decumbere cogeretur ægra, quam manebat lethum.

COLLUVIES.

Secto abdomine, prorupit liquor ſubcruentus ad libras quadraginta & centum. Patefacto abdomine nil in conſpectum ſe exhibuit præter membranam validiſſimam, viſceribus ſuperſtratam. Remoto ſacco illo ingente partes omnes abdominis comparuerunt inculpatæ; ſi excipias pancreas ſcirrhoſum. In thorace pulmones nigri præter prægreſſam phlogoſim animadvertuntur; & vicinis partibus hærentes. SPONIUS.

OBS. 1727. Fœmina duorum & quadraginta annorum *abdomen tumidum* à ſexdecim annis geſtabat, abſque moleſtiâ; *fluentibus catameniis.* Paulatim excreſcente ventris mole, facta eſt mater trium liberorum. Poſteà *non detumuit venter:* ac ſuperveniunt graviora ſymptomata, nempe ambulandi difficultas, *coxæ dolor*, præcordiorum anxietas, animi deliquia; ac demùm alvi fluxus quo imminuitur ventris moles; ità ut haud levis ſpes affulgeret redintegrandæ valetudinis. Paulò poſt tamen ingruit ſumma *ſpirandi difficultas*, quæ feralem habuit exitum.

Luſtrato abdomine oculis ſe ſiſtit ſaccus membranaceus tantæ amplitudinis, ut quadraginta circiter menſuras contineret; qui ſcilicet innoxiè omnibus viſceribus incumbebat. MERCKLINUS.

OBS. 1728. Quædam fœmina *doloribus capitis & abdominis* obnoxia, inter prægnationem, *cordis palpitatione*, & crebris lypothymiis conflictabatur. Poſt partum, urget *dolor in latere ſiniſtro*, ſub nothis coſtis. Poſteà *tumet venter* cum dolore, anorexiâ, & menſium morâ. Procedente morbo, adaugetur ventris moles, haud ſine moleſtiâ. Sub epigaſtrio demùm acuminatus hic tumor ad genua uſque ferè propendebat. Spirandi difficultate tenebatur ægra; accedentibus poſtremò lypothymiis, inter quas interiit.

Secto cadavere reperiebatur inter tunicam duplicatam peritonei ſtupenda humoris ſubflavi & fœtidi copia, inibi ſtagnantis. HELWIGIUS.

OBS. 1729. In quâdam muliere à pluribus annis *hydropicâ* celebratur paracenteſis, cujus ope proſilit aqua ad libras quadraginta. Poſt menſem, abdomine iterùm diſtento, iteratur hæc

operatio, & eliciuntur colluviei lutulentæ libræ triginta. Elapſis quinque hebdomadis ad tertiam punctionem devenire neceſſum judicatur; quâ ſcilicet evacuatur materia purulenta, inodora ad libras circiter viginti. Dein febris hactenùs lenta exacerbatur; & paulò poſt obiit ægra.

COLLUVIES.

Inter exenterationem cadaveris, in propatulum veniebat ſaccus ingens, è peritoneo introrsùm adacto oriundus, totum fermè abdomen occupans; & colluviei cujuſdam lutulentæ libras quatuor & viginti continens. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENS.

OBS. 1730. Cuidam mulieri quatuor & quinquaginta annorum *tumet abdomen.* Moles ſenſim increvit cum *fluctuatione manifeſtâ*, & *pondere moleſtiſſimo.* Dein ingruit tuſſis, cum *ſpirandi difficultate.* Tandem inter haſce moleſtias pluribus elapſis annis, pulſu debili, & abdomine in ſtupendam magnitudinem adaucto, erumpit tumor eryſipelaceus circà umbilicum, qui intrà duodecim dies in ſuppuratum abit; ſubſequente gangrenâ, quæ tandem lethum accerſit.

Evacuatâ abdominis colluvie aqueâ ad libras circiter centum; nulla patent viſcera; ſed ſaccus duntaxat ingens ab intùs repulſo peritoneo ortum trahens; quo diſrupto in conſpectum veniebant viſcera contracta & ſana. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1731. Puerpera à *lochiis ſuppreſſis*, immanibus *in abdomine torminibus* corripitur; quæ intrà quatriduum, nunc remittuntur, nunc exacerbantur; *ventre* ſenſim *protuberante*, cum macie totius corporis. Tandem ingraveſcente morbo, & abdomine in ſtupendam molem adducto, occubuit.

Continebat imus venter quinquaginta ſuprà centum libras aquæ, colore dilutè rubro tinctæ, & inodoræ. Muſculi abdominales ſoluti & quaſi gelatinoſi videbantur. Ingens erat ſaccus cujus pars poſterior à peritoneo oriunda, omnia viſcera recondebat. Epiploon putridum huic membranæ firmiter hærebat. Inſuper meſenterium erat ſcirrhoſum, & non nihil purulentum. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1732. Quædam mulier *hydrope abdominis* laborans paracenteſi ſubmittitur, quâ educuntur laticis lutulenti, fœtidi & non nihil cruenti ſex & triginta libræ. Poſt tres elapſos menſes,

eadem fermè aquæ copia, ejuſdemque indolis, ſimili operatione evacuatur. Intereà viribus exhauſtis ſupremum diem clauſit.

Deprehendebatur in abdomine cyſtis ingens, inter viſcera & muſculos abdominales, quæ totum ventrem replebat, ad diaphragma & veſicam pertingens. Inſuper plures annotantur tumores ſcirrhoſi in regione iliacâ utriuſque lateris. EX ACTIS CHIRURG. PARISIENSIBUS.

COLLUVIES.

OBS. 1733. Mulieri quinquaginta annorum *venter tumebat*, & pro aſciticâ habebatur. Narrabat, priuſquàm id ſibi accideret, tumorem quemdam percipi potuiſſe, ad ſiniſtrum umbilici latus, inæqualem, & eâ magnitudine ut impoſitam manum fermè æquaret. Tandem progrediente morbo, & accedentibus gravioribus ſymptomatibus extinguitur.

Inciſis muſculis abdominalibus plurima aqua erupit putidiſſima, quam à genuino ventris cavo peritoneum ſeparabat. Eâ exhauſtâ, tumor, de quo mulier dixerat, in conſpectum venit, innatus peritoneo, & conſtans à tribus ſacculis craſſioribus, ſero turgidis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 1734. Mulier à decimo quarto ætatis anno *ventris intumeſcentiâ* laborabat. Gravida infantem peperit ſanum, ſine ventris, uti videbatur, detumeſcentiâ; quam tamen in poſterum geſtabat abſque incommodo. Tantum intereà incrementum ſumpſit hic tumor, ut ingruant *dolores gravativi*, cum ſummâ debilitate. Poſtremò in lecto decumbere cogebatur, uſque ad obitum.

Secto abdomine ingens effluxit aquæ limpidæ, minimè fœtentis copia, vel ad libras viginti quinque ſuprà centum; quæ ſtagnabat inter peritoneum & muſculos abdominales: adeò ut aperto tantummodò ſacco, omnia latebant viſcera. MECKEREM.

OBS. 1735. Juvenis ſeptemdecim annos natus, per ſex menſes *aſciticus* largo & ſpontaneo urinæ profluvio ſanatur. Paulò poſt recurrit tumor abdominis, cum tanto incremento ut diſrumpatur umbilicus, & fluat aqua, ad triginta libras. Dein bene ſe habere videbatur æger; ſed poſt duos menſes redit hydrops, cum ſimili ſucceſſu. Tertiam demum, urgente ventris intumeſcentiâ, umbilici dilacerationem paſſus, obiit.

Reperitur aqua inter peritoneum, variis tuberculis exaſperatum, & muſculos abdominales. Hepar putriditatis notas paſſim exhibet.

Eâdem fermè labe afficiebatur pulmo dexter. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

COLLUVIES.

OBS. 1736. In cadavere mulieris quæ *hydrope abdominis* laborabat, deprehendebatur colluvies ſeroſa inter binas peritonei tunicas, quarum facies interior ſcirrhoſa & inæqualis videbatur. Hic ſaccus craſſiſſimus continebat quinquaginta libras aquæ ſalſæ, viſcidæ & fœtidæ. Diſruptâ parte poſticâ prædicti ſacci meſenterium inveniebatur ſcirrhoſum. Ventriculus inſuper & inteſtina erant ultrà modum contracta; aliàs inculpata. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1737. Virgini ſeptemdecim annorum *tumet venter*, haud ſine maximâ graviditatis ſuſpicione. In dies incrementum ſumit tumor moleſtiſſimus. Intereà languet appetitus; *ſitis urget;* accedit macies cum *difficili reſpiratione;* & tandem omnibus in pejus ruentibus, tanto oneri impar è vivis eripitur.

Reſerato abdomine erumpunt flatus, unà cum ſalientibus aquis. Dilatatâ cavitate nulla conſpiciuntur viſcera; & clarè patet hydrops peritonei. DRELINCURTIUS.

OBS. 1738. Cuidam mulieri *venter tumebat*, & ſenſim incrementum ſumebat. *Dolores atroces* intereà patiebatur, cum *difficili reſpiratione;* quibus per quatuor annos ingraveſcentibus, tandem migravit ad plures.

Inter primam abdominis ſectionem ſtupenda aquæ turbidæ & ſubcruentæ copia effluxit, ad libras ſcilicet ducentas & ultrà. Hic latex peculiari ſacco, ſive utri ampliſſimo includebatur, qui nil aliud erat quàm peritoneum mirè expanſum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1739. In cadavere cujuſdam matronæ, quæ diù, graviterque *tumidum ventrem* geſtaverat, poſt exhauſtam aquam copioſiſſimam, nulla apparent viſcera; ſed occurrit membrana denſior, & protenſa ab oſſe xiphoide ad inguina uſquè. Reſectâ hâc membranâ in conſpectum prodierunt inteſtina, & reliqua viſcera; cum abſceſſu ingenti circà hepatis regionem. Lien quoque erat purulentus. BARTHOLINUS.

OBS. 1740. Examini ſubjecto cadavere virginis quinque & viginti annorum, cujus *abdomen extenſum* erat, turgidum & *tuberoſum*, renitens & ſtupendæ molis, primâ ſectione effluxit materia craſſa, fœtida, coloris ſubfuſci ad menſuras quinque & triginta. Abdomine aperto & exſiccato conſpicitur membranoſum corpus, quo omnia viſcera tegebantur, refertum pluribus glandulis purulentis, quorum nonnullæ ovum anſerinum ſuperabant. HÆCHSTETTERUS.

COLLUVIES.

OBS. 1741. Virgo trium & viginti annorum in *ventris tumorem* incidit, quo ſenſim mirum in modum increſcente decumbere cogitur. Poſt quinquennium obiit.

Occurrit ingens aquæ copia, ducentas ſcilicet libras ſuperans, intrà laminas peritonei: omnibus viſceribus tùm pectoris, tùm abdominis mirè contractis, aliàs inculpatis. E DIARIA ERUDITORUM.

OBS. 1742. Vir quinquaginta annorum *hæmorrhagiæ narium* obnoxius; tandem prævio faciei & crurum œdemate, hydrope *aſcite* corripitur; ſub cujus incremento vigiliis pertinaciſſimis torquetur. Dien crus dextrum invadit *gangræna;* & hinc brevi ſequitur mors.

Secto cadavere reperiebatur ſtupenda aquæ copia inter peritoneum & muſculos abdominales. EX ACTIS PHIS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 1743. Mulier quinquagenaria à decem annis *intumeſcentiâ totius abdominis* laborabat; quæ ortum duxiſſe videbatur à quibuſdam tumoribus ſolitariis, in ſuperiori ventris parte protuberantibus. *Difficilis* intereà erat *reſpiratio*; dein accedunt *nigræ vomitiones*, & mors.

Invenitur tumor cyſticus triginta aquæ fœtidæ & turbidæ libras continens, quæ partim ab eroſâ cyſti in abdominis cavum effuſa erat. CLAR. MORGAGNUS

OBS. 1744. Mulier quadraginta annorum poſt ſuppreſſos menſes, *abdomen turgidum*, octo annos, ſine inſigni moleſtiâ circùm tulit. Tandem ſub onere fatiſcens; tantâ mole ſuffocatur.

Primo inflicto vulnere, amurcæ fœtidæ copia ad libras viginti proſiliit; quæ inter muſculos abdominales & peritioneum conti-

nebatur. Paſſim occurrentibus tuberculis ad nucis avellanæ magnitudinem accedentibus. BOGDANUS.

COLLUVIES.

OBS. 1745. Inſtitutâ cadaveris ſectione cujuſdam virginis triginta annos natæ, & *hydrope* defunctæ; exhibebat apertus venter aquæ libras novem & viginti; quæ tamen haud detinebatur in genuino imi ventris cavo; ſed inter muſculos abdominales, & ſubjectum peritoneum. BLASIUS.

OBS. 1746. In cadavere mulieris quinquagenariæ ab *enormi abdominis tumore*, inter cruciatus extinctæ, primâ abdominis ſectione proſilit aqua turbida, quæ collecta ad decem ſuprà centum libras accedebat. Dein patet ſaccus ingens ultrà quam deliteſcebant viſcera abdominalia. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1747. Fœmina primis morbi menſibus pro gravidâ habita, *ventrem* per triginta annos, *enormem*, & horrendum, geſtabat: tandem obiit.

Cadaver exenteratum exhibebat inter peritoneum, & muſculos abdominales ſtupendam aquæ copiam, vel ad ducentas libras, & ampliùs. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

OBS. 1748. Inter ſectionem mulieris; à novem annis *hydropicæ* ventre ultrà modum elato, viſcera ſana occurrebant; ſed inveniebatur extrà peritoneum, vel inter hanc membranam & muſculos abdominis, ſerum ichoroſum ad menſuras quatuor & quinquaginta. SCULTETUS.

OBS. 1749. In cadavere mulieris quæ, ſuppreſſis menſibus, *hydrope imi ventris* laborabat; reperiebatur aqua ſtagnans in peritonei duplicaturâ. BARBETTE.

OBS. 1750. Hydropem ſpurium inter abdomen propriè dictum, in

in quo ſcilicet continentur viſcera, & muſculos abdominales obſervavit. SPIGELIUS.

COLLUVIES.

His ſubnectere licet obſervationem Libr. I. 950.

## *Colluvies ſanguinea*

OBS. 1751. Fœmina vigeſimum octavum ætatis annum numerans, cui catamenia à binis menſibus erant ſuppreſſa, *ventris doloribus* corripitur; qui poſt octo dierum intermiſſionem, vel remiſſionem, recurrentes abortum concitant. Tùm *febris* excandeſcit, cum inquietudinibus, & *tenſione ventris*; è quibus evaſit. Omnia benè ſe habere videbantur cum ab incautè exhibito carthartico draſtico, queritur de *æſtu* intenſiori *interaneorum*. Tum *venter tumet cum dolore & duritie*; alvus adſtringitur; ac paulò poſt ingruunt ſudores frigidi, qui feralem habent exitum.

Totum abdomen repletum invenitur ſanguine partim congrumato, partim diluto. Levis deprehendebatur phlogoſis circà orificium ventriculi ſuperiùs. Inteſtinum rectum intùs & extùs erat inflammatum, & excoriatum. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1752. Vir triginta annorum poſt graviſſimum *caſum ab alto*, de inſigni *dolore abdominis* circà hypochondrium dextrum, & cartilaginem xiphoïdem querebatur. *Non profluit urina* niſi immiſſo cathetere. *Tumet abdomen*, cum dolore: excandeſcit febris, ſiti & pectoris anguſtiâ ſtipata: accedunt *ſingultus* & *lypothymiæ*. Cogitatur de ſanguine extravaſato in abdomine; hinc celebratur paracenteſis quâ proſilit ſanguis ad uncias ſex. Omnia paulò poſt exacerbantur; caligant oculi; fatiſcunt vires; ac poſt biduum à lapſu vitam cum morte commutavit.

Aperto abdomine, occurrit magna ſanguinis copia paſſim fluitans. Diſrupta erat veſica circà fundum, cum variis inflammationis & gangrænæ notis. Ren dexter cum appenſo uretere inflammatione inſigni affectus erat SPONIUS.

OBS. 1753. Mulier cujus ſuppreſſi erant menſes; *caſu ſuprà genua* conflictatur. Duobus ab hoc infortunio elapſis menſibus de

COLLUVIES.

*dolore* immani *in abdomine ſenſim protuberante & ſpirandi difficultate* queritur. Poſt viginti quatuor horas paululùm compeſcuntur dolores, & erumpunt, uti credebatur, menſes. Intereà deficientibus viribus obiit.

Abdominis cavum cruore nigro & fluido ad octo libras replebatur. Tuba ſiniſtra dilacerata invenitur à fœtu ſeſqui pollicem longo, cum involucris. Uterus etiam effuſo ſanguine ſcatebat, qui exitum ſibi paraverat per vaginam ſub menſium titulo. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1754. Quædam mulier, ob *ventris tumorem & duritiem*, prægnans judicatur. Ulteriùs tumet venter cum *immanibus doloribus ;* ac tandem vivere deſiit.

Secto abdomine ingens ſanguinis ſeroſi copia effluxit ; qui etiam thoracis cavitatem occupabat. Vacuæ & inanitæ obſervantur venæ. Omentum occurrit putredine abſumptum. Inteſtina tenuia inter ſe connectebantur arctiſſimè. Simili agglutinatione afficiebantur hepar, lien, ventriculus nonnihil cartilaginoſus, &c. BARTHOLINUS.

OBS. 1754. Virgo trium & triginta annorum, deficientibus menſtruis, *dolorem* ſentiebat *in inguine dextro. Abdomen* ſenſim *in ingentem tumorem* accrevit ; quibus demum ſuccubuit.

Reperitur ſanguis nigerrimus effuſus inter peritoneum & muſculos abdominales, ad libras octoginta, aquâ ad libras quadraginta ſtagnante in cavo abdominis. Tuba ſiniſtra in ingentem tumorem diſtenta humoris viſcidi libras tredecim recondebat. Diaphragma adeò repulſum annotabatur ab aquâ & ſanguine ut vix non ad jugulum pertingeret. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 1756. Quædam mulier, poſt inſignem diarrhœam, de *dolore in ventre* queritur, haud ſecùs ac aliquid diſruptum eſſet, cum *æſtu inſigni*. Præcedente cœnâ, glaciei fruſtum, mole duorum pugnorum voraverat. Intereà ob ſummam debilitatem lecto ſe tradidit ; pulſu debili & intermittente, obiit.

Exenterationi tradito cadavere ; totum ſanguinem in abdomen confluxiſſe animadvertitur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 1757. Quidam poſt ſumptuoſam cœnam, *tripudio indul-*

*gens*, vomitu corripitur, cum animi deliquio. Sequuntur *dolores in abdomine*, adeò acerbi ut paulò poſt expiraret. COLLUVIES.

Inter ſectionem cadaveris, deprehendebatur peritonei cavitas cruore effuſo plena. SMETIUS.

OBS. 1758. Fœmina juvenis à gravi abdominis percuſſione ſubitò ferè enecatur.

Cadaver exhibuit abdomen ſanguine effuſo repletum, à diſruptione ſcilicet vaſorum omenti, uti ex accurato examine patuit. EX ACTIS PETROPOLITANIS.

OBS. 1759. Quædam *poſt lautiſſimum prandium, animi deliquio* corripitur, & poſt quatuor heros expiravit.

Luſtrato cadavere, reperta eſt abdominis cavitas ſanguine effuſo repleta. BOTALLUS.

OBS. 1760. Quidam hernioſus derepentè in *ventris tumorem* incidit, & brevi è medio tollitur.

Reſerato abdomine in conſpectum veniunt quatuordecim circiter ſanguinis extravaſati libræ. TULPIUS.

OBS. 1761. In cadavere cujuſdam fœminæ *hydrope aſcite*, uti videbatur, extinctæ reperiebatur abdomen ſoluto cruore repletum. SEVERINUS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 964, 982, 1127, 1429, 1435, 1538, 1542, 1543; Libr. II, 98, 820, 866; Libr. III. 226; Libr. IV. 191.

## *Bilis effuſa in abdomen.*

OBS. 1762. Quidam vir conſiſtentis ætatis, ab *inflicto vulnere versùs regionem hepatis*, *tumore* & *tenſione* totius *abdominis* labo-

COLLUVIES. rabat; cum alvo adſtrictâ. Intereà febris expers, vigiliis pertinaciſſimis conflictabatur. Poſtremò ventre ſenſim magis protuberante, circà octavum à primo infortunio diem, fatis conceſſit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione in propatulum venit cyſtis fellea ſauciata; hinc inanis; cum maximâ bilis copiâ in abdominis cavum effuſæ; quâ omnia inquinabantur viſcera. EX ACTIS LONDINENSIBUS.

Inter affines recenſeri queunt obſervationes Libr. I. 899, 910, 911, 912.

## *Hydrops lacteus.*

OBS. 1763. Virgo ſeptennis poſt *lapſum ab alto*, & gravem capitis contuſionem, inter varia ſymptomata triſtis & ſomnolenta evadit. Accedit cibi faſtidum: erumpit *vomitus* ingeſtorum. Dien *protuberabat abdomen* ab obſtructione, uti videbatur, meſenterii. Intereà *affectu cœliaco* prehenditur; venter ulterius prominet, *cum manifeſtâ* fluctuatione. Macie poſtremò confecta, quarto à caſu menſe, occubuit.

Reſerato abdomine, in conſpectum veniebat meſenterium ſcirrhoſum, vel materiâ quâdam albicante, & quaſi cretaceâ, infarctum; cum maximâ copiâ humoris lactei, vel merè & chylacei in abdomine ſtagnantis. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1764. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam pueri, qui priùs *leucophlegmatiâ*, dein *aſcite* laboraverat deprehendebatur cavum abdominis latice quodam merè lacteo repletum, à diſrupto ſcilicet ductu chylifero. LOSSIUS.

Vix abſimilem caſum ſiſtit obſervatio Libr. II. 342.

## *Colluvies ſordida.*

OBS. 1765. Virgo quindecim annos nata cachectica incidit in *hydropem* : ultrà modum enim tumebat venter cum *manifeſtâ fluctuatione*, & tegumentorum œdemate : artus inferiores etiam tumebant. Paracenteſi quater celebratâ educebatur primò aqua odore & colore lotium referens ; & dein ſordida & purulenta. Intereà urget ſpirandi difficultas, vires deficiunt ; & accedit lethum.

Luſtrato cadavere inveniebatur materia purulenta ad libras duas ſtagnans in abdomine. Inteſtina flatulenta, invicem hærebant & coaleſcebant, ope materiæ cujuſdam gelatinoſæ, & purulentæ. Epiploon penè abſumptum annotatur ; hepar ingens & ſcirrhoſum ; æquè ac pancreas. Inſuper aquâ ſcatebat pectoris cavum. Pericardium ſimili humore diſtentum ad capitis magnitudinem accedebat ; atque cor ingens recondebat. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 1766. Juvenis viginti annorum *ſtranguriâ* laborabat, cum *febre* & *dolore* acerbiſſimo, *circà regionem pubis*. Poſt nonnullam remiſſionem febris recrudeſcit cum ſomnolentiâ, & virium defectu. Paulò poſt, perſiſtente febre, ad lentam vergente, urinæ minguntur non nihil purulentæ. Dein ingruit alvi fluxus cum immani totius *abdominis dolore*. Poſtremò accedunt ſopor comatoſus, frigus extremorum ; & interitus.

Pauca aqua ſtagnabat in abdomine ; ſed copia puris nidulabat in pelvi, inter ſcilicet veſicam & rectum. Renes intùs ſani, extùs exhibebant quatuor abſceſſus ; præter duo tubercula in rene dextro ſita, ſcirrhoſa, & non nihil purulenta. BARRERUS.

OBS. 1767. Mulier nobilis viginti annorum poſt *febrem* continuam *mali moris*, incidit in *ventris tumorem* magnum & indolentem. Per novem menſes ſenſim in majorem molem aſſurgit venter ; quibus elapſis recurrit febris inter quam œdematoſa fiunt crura. Celebratur paracenteſis, cujus ope educitur partitis vicibus pus fœtidiſſimum ad libras triginta. Tandem die decimo tertio à primâ punctione placidè obiit.

Aperto abdomine effluxerunt quadraginta libræ circiter puris fœtidiſſimi. Inveniebantur inteſtina gangrænoſa. Prætereà occurrebat

COLLUVIES.

tumor ingens meſocolo adnatus, cujus diameter pedem integrum aſſequebatur. Triginta ſcilicet libras pendebat prædictus tumor; varioſque ſaccos colligebat materiâ ſeroſâ, mucilaginoſâ, pultaceâ & ſebaceâ ſcatentes. BONETUS.

OBS. 1768. Quædam mulier poſt partum laborioſum, de *dolore ſiniſtri lateris* graviſſimo querebatur. Poſteà *venter in inſignem molem intumuit.* Erumpit protuberantia in umbilico, è quâ ſectâ effluxit puris fœtidiſſimi pinta integra. Vulnus in fiſtulam faceſſit, quæ materiam ſordidam, cum omenti ramentis, præbet. A copioſo puris effluxu vires exhauriuntur; & poſt menſem accedit mors.

Introſpecto cadavere omnia deprehendebantur viſcera abdominalia pure conſpurcata. Omentum erat abſumptum, & peritoneum planè corruptum. MECKEREN.

OBS. 1769. Juvenis quatuor & viginti annorum, poſt *inſolationem* & *hauſtum aquæ frigidæ* inter æſtum, *febre* continuâ corripitur, quam excipit cachexia. Dein accedit febris intermittens, nunc tertiana, nunc quartana. *Venter* ſenſim *tumet* cum macie totius corporis. Viribus demùm fractis, poſt elapſos octo menſes, è vitâ diſceſſit.

Reperiuntur in imo ventre puris albi libræ undecim, & ultrà. Hepar & lien ſcirrhoſa conſpiciebantur. Sed genuinum puris fontem inveſtigare non licuit. HILDANUS.

OBS. 1770. Virgo quadragenaria jam ſex annos ægrotans ex ingenti *corporis intumeſcentiâ*; tandem *ſuffocatione* expiravit.

Aperto abdomine affluebant ſex & quadraginta menſuræ humoris muſti inſtar, craſſi. Omentum erat ſanioſum. Dexter lobus pulmonum ità coſtis adhærebat, ut vix ſine dilaceratione dimoveri poſſet: cordis demùm ventriculi grumoſo ſanguine replebantur. ZACUTUS.

OBS. 1771. Puerpera ſuppreſſis lochiis acriter *febricitabat*, cum *hypogaſtrii tenſione*, & protuberantiâ; inibi ſævientibus *feraciſſimis doloribus.* Nil proficientibus remediis, brevi poſt è vitâ deceſſit.

Exenterato cadavere, invenitur in abdomine multum materiæ fœtidæ & ſanioſæ; lochiorum corruptorum faciem præ ſe ferentis; quæ fortè ex utero per tubas in abdominis cavitatem pervenerat. RUYSCHIUS. COLLUVIES.

OBS. 1772. Lapidarius quinquagenarius, poſt *colicam ſaturninam, manuum contracturam*, cum digitis rigidis. Adhibitâ curâ congruâ; meliùs ſe habebat; cùm *venter cæpit intumeſcere, cum dolore.* Ingruit febris lenta, quâ demùm confectus obiit.

Occurrunt inteſtina livida ſaniei purulentæ innatantia. Pulmones tuberculis duris, & quaſi cartilagineis ſcatebant, & paſſim pus recondebant. E DIARIO MEDICO.

OBS. 1773. Virgo viginti annos nata, poſt *caſum ab alto*; febre, graviſſimo *lumborum dolore* ſtipatâ afficitur. Accedit *ponderis ſenſus* in ventris cavo, urgente *vomitu.* Dejectiones alvinæ modò virides, modò nigricantes conſpiciebantur. Morbo demùm ingraveſcente, & deficientibus viribus, interiit.

Replebatur abdominis cavum ſanie ad libras circiter octo. Inteſtina erant inter ſe connexa, ope materiæ cujuſdam viſcidæ, & ſanioſæ. CLARIS. MORGAGNUS.

OBS. 1774. In cadavere cujuſdam diuturno morbo ſublati; *venter in immenſum excreverat* deprehendebatur ſtupenda puris copia, ſtagnans in abdomine. Pulmones utriuſque lateris in pus erant converſi. Sed nulla annotatur corruptio in viſceribus imi ventris, etſi puri innatantibus. PLATERUS.

His adde obſervationes Libr. I. 335, 351, 358, 359, 389, 407, 409, 411, 431, 560, 599, 644, 679, 697, 707, 717, 723, 728, 729, 784, 806, 810, 811, 947, 957, 967, 1123, 1145, 1263, 1278, 1387, 1420, 1425, 1426, 1431, 1539, 1637, 1712. Libr. II. 172, 297, 373, 396, 565, 613, 859, 871. Libr. IV. 147. Præterea; vide *Viſcera putrida, Tumores abdominis, Abſceſſus abdominis.*

COLLUVIES.

## *Flatus extrà viſcera.*

OBS. 1775. Luſtrato cadavere cujuſdam vetulæ genuino *tympanite* chronico extinctæ; inter ſectionem abdominis ultrà modùm tumentis, maximus flatuum proventus cum impetu; proſilit & ſubſidet abdomen. Inteſtina non nihil flatulenta planè inculpata deprehendebantur; adeò ut à ſolo peritoneo cohiberetur hæc ſtupenda acris maſſa. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 1776. In quâdam muliere *hydrope* ſublatâ, admoto cultro in abdomen, mox ſe obtulerunt plurimi flatus, cum impetu exitum quærentes; poſteà demùm aquoſus humor, ſed minori copiâ VERZASCHA.

OBS. 1776. (*a*) Secto cadavere pueri ſeptennis *inter variolas* demortui, & abdomen tumidum geſtantis flatus cum ſibilo erumpunt & odorem cuilibet adſtantium intolerabilem ſpargunt. PORTAL.

Inter affines numerari debent obſervationes Libr. 73, 377.

HISTORIA

# HISTORIA
## *ANATOMICO-MEDICA*
### SISTENS

*NUMEROSISSIMA Cadaverum extiſpicia, quibus in apricum venit genuina morborum ſedes; horumque obviæ ſiunt cauſæ; vel reſerantur effectus.*

## LIBER SECUNDUS,

### *COLLIGENS Læſiones internas pectoris.*

VISCERUM cæterarumque partium in thorace degentium, læſiones cadaverum ſectione conſpicuas complectitur hicce liber, qui, etſi mole minor, priori tamen minimè cedit. Cùm organa vitalia, pulmones nempè, & cor præſertim, reſpiciat; quorum affectus, inter chronicos recenſendi, grave curantibus faceſſunt negotium; ac decumbentium diuturnâ curatione pertæſorum, producant ærumnas; quorum plerique inter mortis luctamina diutiùs, quàm vires ferant verſantur. Neminem latet potiorem læſionum abdominalium partem beneficio obſequioſorum muſculorum explorantibus digitis innoteſcere: ſed raro

ſe proferunt tactûs ope vitia in pectore recondita. Hinc patet quaſi ſint momenti extiſpicia, quibus in apricum venit hæc morboſa conſtitutio. Conſpicuæ ſanè quidem evadunt nonnulli pulmonum quibus eſt aditus, affectus; ſed in obſcuris ſemper latet cordis, aliarumque partium thoracicarum, labes. Itaque pro inſtituti ratione primò agimus de bronchiorum & pulmonum læſionibus, cadaverum rimatoribus obviis; conſultò omiſſâ tracheâ arteriâ, ferè totâ extrà pectus ſitâ; quæ ideò ad cervicem ſpectat. Sequuntur cordis & pericardii, affectus, inter vitam, uti jam innuimus, intricatiſſimi. His ſubnectuntur plevræ, mediaſtini, partiumque ſubjacentium vitia, quæ meris duntaxat conjecturis aſſequi ſolent. Agmen claudit diaphragma, diverſimodè affectum. Dein accedunt læſiones generales; tumores nempè variæ ſortis, huic vel illi parti inſidentes; ac demùm colluvies ſeroſa, ſanguinea, lactea, ſordida, &c. A propoſito alienum putavi his ſubjungere hiſtorias ad œſophagum attinentes; qui tubus, etſi totum pectus peragrat, huic tamen minimè pertinet. Ideò rectiùs ad cervicem, præcipuam hujuſce tubi partem recipientem, refertur: quapropter numero partium externarum, quibus dicatur liber quartus, adiſcitur.

# *SECTIO PRIMA.*

## DE PULMONIBUS.

### *Bronchia ſanguine obruta.*

OBSERVATIO I. Mulier ſexagenaria poſt fugatum ventris hydropem, geſtabat *tumorem durum in hypogaſtrio.* Rediit hydrops cum *reſpiratione anxioſâ.* Œdematosè tument artus; labuntur vires; & ſubitò extinguitur.

Multus ſanguis grumoſus continebatur in aſperâ arteriâ, & bronchiis. Utrumque pectoris cavum copioſam aquam recondebat. Cor mediante cruſtâ quâdam albâ, pericardio arctiſſimè hærebat. Abdomen aquâ limpidâ ſcatebat. Ex ovario dextro oriebatur hydatis magna, quæ ultrà libram liquoris pellucidi continuit. Ovarium dextrum ſolito majus, & cartilaginoſum, aquam etiam colligebat, cum oſſiculo rotundo, piſum majus æquante. CLAR. STORCK.

OBS. 1. Adoleſcens ſexdecim annos natus, *febre malignâ*, ſolitis ſymptomatibus ſtipatâ, corripitur. Nono morbi die erumpit *hæmorrhagia narium*; quæ poſt largam ſanguinis profuſionem cohibetur ope aquæ ſtypticæ naribus admotæ. Poſt duas treſve horas inter dormiendum inſciis adſtantibus obiit.

Luſtrato pectore reperiuntur bronchia ſanguine obruta. Præterea ſtomachus & inteſtina colorem rubrum primo conſpectu præ ſe ferentia, cruore etiam ſcatebant. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 2. (*a*) Explorato cadavere cujuſdam mulieris quæ *diù ſanguinem expuerat*, & quæ tandem *febre* conſumpta obierat. Reperiebantur pulmones coſtis adhærentes. & bronchia ſanguine concreto infarcta. PORTAL.

OBS. 3. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viri *ſubitaneâ ſuffocatione* interempti, in conſpectum veniebant bronchia ſanguine fluido, congrumato repleta. HESSUS.

Caſus ſimilis argumenti præbent obſervationes Libr. II. 280, 426.

## *Materia ſordida & purulenta in bronchiis.*

OBS. 4. Puella quinquennis de *dolore faucium* queritur, quem brevi ſequitur, *ſpirandi difficultas* cum *voce clangosâ* & *febre* vehementi. Amygdalæ tumidæ conſpiciebantur, nonnihil *impeditâ deglutitione* urgebant ſitis & nauſeæ. *Sputa* pauca & *ſordida* excernebantur. Tandem exacerbato morbo, tertio à primâ invaſione die, mente conſtans, interiit.

Glottidi hærebat materia quædam mucoſa. Interior tracheæ facies cruſtâ viſcidâ & purulentâ inveſtiebatur. Bronchia verò haud abſimili latice, ſed fluidiori ſcatebant. Pulmones nullam labem oſtendebant. Occurrebat in ſtomacho ſtupenda muci copia. CLAR. HOME.

PULMONES

OBS. 4. (*a*) Puer ſeptennis inter *tuſſiculam* à morbillis contractam, *febre acutâ* corripitur, æſtu, ſiti & *voce clangosâ* ſtipatâ. De dolore circà tracheam querebatur, & ægrè reſpirabat, cum ſpumâ in ore, & facie ſubtumidâ. Intereà pulſus debilior evadit; ingraveſcit *ſpirandi difficultas*; & tertio die extinguitur.

Trachea arteria cruſtâ quâdam membranaceâ intùs obducebatur; ſub quâ latebat materia puriformis, cum nonnullis inflammationis notis. Simili labe afficiebantur bronchia, quæ ſcilicet latice purulento ſcatebant; pulmonibus, uti videbatur, inculpatis. CLAR. HOME.

OBS. 4. (*b*) Puer quatuor annos natus, *tuſſi* & *difficili reſpiratione* prehenditur. Opportunis remediis miteſcit morbus; cùm poſt octo dies ingruit *febris* vehemens, *deglutiendi* & reſpirandi *difficultatem* comitem habens; cum tuſſi & *voce raucâ*; atque intrà triduum moritur.

Tracheæ facies interna exhibebat materiem mucoſo-purulentam, membranæ craſſioris faciem referentem bronchia cum appenſis veſiculis ſimili fermè modo lædebantur. CLAR. HOME.

OBS. 4. (*c*) *Febre* laborabat octennis puer, cum *tuſſi* & *anhelitu* difficili. *Vox* erat *clangoſa* cum levi *deglutiendi difficultate*: ſub quâ rerum conditione, quarto à primo inſultu die ad æthereas ſedes convolavit.

Tubus trachealis extùs tumidus & œdematoſus videbatur. Ejus facies interior levi phlogoſi correpta, materiâ quâdam cruſtaceâ obtegebatur. Bronchia & veſiculæ pulmonares, pure ſcatebant; etſi intacta erat pulmonum ſubſtantia. CLAR. HOME.

OBS. 4. (*d*) Puerum triennem, vultum ſubtumidum habentem, invadit *febris* cum *tuſſi* ſiccâ & *anhelitu*; doloris tamen erat expers. Urgentibus nauſeis, propinatur emeticum, quo ejicitur materiæ mucoſæ copia. Dein exacerbatur morbus; vires deficiunt; & tertio die mors adventat,

Luſtrato cadavere, reperitur in tracheâ & bronchiis, mucus purulentus, membranæ craſſioris inſtar lateribus horumce tubulorum hærens; quo adempto, patebant leves phlogoſeos reliquiæ. CLAR. HOME.

PULMONES.

OBS. 4. (*e*) Puella quadriennis *tuſſiculâ* & levi *ſpirandi difficultate* corripitur, cum pulſu celeri. Ingraveſcit morbus ; & *ſputa nonnihil purulenta* excernuntur. Quinto à primâ invaſione die fatis ceſſit.

Referatâ tracheâ, in conſpectum venit cruſta quædam, muci purulenti indolem referens, quâ obtegebatur tota hujuſce fiſtulæ facies interna. Bronchia & veſiculæ pulmonares ſimilem materiam continebant, integris pulmonibus. CLAR. HOME.

OBS. 4. (*f*) Anus cui *cancer*, ſiniſtro labrorum angulo abſumpto, indè ulterius ſub linguâ ſerpebat, cum thoracis affectionibus quas catarrhales ipſa dicebat, obnoxia eſſet, ingruente *ſuffocatione* è vivis rapitur.

Cadavere cultro anatomico ſubjecto, ichor ſub glottide, in aſperâ arteriâ, & in bronchiis conſpicitur. Pulmones colore cinereo, lineis nigris erant ſignati. Cor demùm ſanguine nigro turgebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 5. Introſpecto cadavere infantis ſexdecim menſes nati & *ſpirandi difficultate* intrà ſeptem dies ſublati, in conſpectum veniebant bronchia & trachæa latice mucoſo & nonnihil purulento obſtructa, & levi phlogoſi tacta. CLAR. HOME.

OBS. 5. (*a*) Puer ſeptennis *febre* & *anhelitu* corripitur, cum voce clangosâ & dolore obſcuro in cervice anteriori. Urinis lutulentis, quarto die obiit.

Trachea & bronchia pure infarcta occurrunt, ſalvâ pulmonum ſubſtantiâ. CLAR. HOME.

OBS. 5 (*b*) Inter ſectionem cujuſdam *pleuritici* ſexto morbi die ſublati, qui materiam quamdam, albam, denſam, oblongam & ramoſam tuſſi ejecerat, reperiebantur bronchia lateris ſiniſtri, tali materiâ repleta, cum pulmone purulentiâ defœdato. CLAR. DE HAEN.

PULMONES

OBS. 6. In corporibus variorum *phthiſi* extinctiorum, obſtructionem bronchiorum à purulentâ, tenaci & viſcidâ materiâ ſæpiùs obſervarunt. ROLFINKIUS. MORGAGNUS, &c.

In hâc ſerie recipiuntur obſervationes Libr. I. 718. Libr. II, 507. Vide in Libr. IV. *Trachea pure ſcatens.*

---

## *Puſtulæ & tubercula in bronchiis.*

OBS. 7. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam adoleſcentis duodeviginti annorum, nono *variolarum* confluentium die inter delirium, & *ſpirandi difficultatem* extincti; in apricum veniunt viſcera pectoris & abdominis papulis varioloſis, cutaneis vix abſimilibus, conſperſâ; iiſdem puſtulis ſcatebant trachea & bronchia. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 8. Quædam fœmina quadrageſimum ætatis annum agens *perpetuo aſthmate* tenebatur. Acceſſit *icterus*, cum alvo adſtrictâ. Pergente morbo macie conficitur; & à graviori aſthmatis inſultu ſuffocatur.

Introſpecto cadavere, invenitur hepar ſcirrhoſum, & quaſi tartareum; atque mole portentoſum. Pulmonum bronchia gangliis arctabantur; ſeu lupiis coriaceis innumeris atque duriſſimis. DRELINCURTIUS.

Hujuſce læſionis exemplum præbet obſervatio Libr. II, 305.

---

## *Bronchiorum obſtructio à corporibus extraneis.*

OBS. 9. Quidam juvenis tres claviculos, quos in ore ſervabat, inter cachinnationem, per tracheam in pulmones admiſit; hinc immanem *hæmophtoen*, *tuſſi ferociſſimâ ſtipatum*, incidit. Quibus ſedatis remanet tuſſis ſicca cum nonnullâ ſpirandi difficultate. Aliàs bene ſe habebat; imò & uxorem duxit. Die nuptiali poſt

liberiorem vini potationem, & nimiam ſaltationem acutiſſimo pectoris dolore, difficillimaque reſpiratione, cum horrendis ſpaſmis corripitur miſellus ſponſus. Ingruit febris primò acuta; dein lenta, moleſtiſſimam tuſſim comitem habens. Ac poſt annum aut alterum menſem phthiſicus obiit.



Deprehenduntur tres claviculi, in pure quaſi ſepulti, paulò infrà bronchiorum divaricationem. Pulmones inſuper putres colluviei purulento copioſiſſimæ innatabant. MORTON.

OBS. 10. Juvenis duorum & viginti annorum, qui à pueritiâ *in gypſi officinis* ſuas operas locabat, pluribus abhinc annis *aſthmaticus*, in febrem lentam macie ſtipatam incidit. Tandem denegato decubitu & ingraveſcente ſpirandi difficultate, ſuffocatus obiit.

Introſpecto cadavere, in propatulum veniunt pulmones tumidi & partibus circùm ambientibus accerti. Bronchia ab inſpiſſato gypſi pulvere infarcta annotantur, & partim obſtructa. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 11. In corporibus variorum *lapicidarum*, *aſthmati* obnoxiorum, & ſuffocatione interemptorum deprehendebantur bronchia, cum appenſis pulmonum veſiculis, pulvere infarcta. BONETUS.

OBS. 12. Inter ſectionem cadaverum, nonnullorum, ex *foſſoribus metallicis*, mortuorum, in conſpectum veniebant concreta metalla in bronchiis, quæ hinc obſtruebantur. SENNERTUS.

Affines bronchiorum læſiones exhibent obſervationes Libr. IV, 69, 70, 71, &c.

---

## *Pulmones vicinis annexi.*

OBS. 13. Multa vel innumera occurrunt cadavera quorum pulmones, aliàs inculpati, tam firmiter toto ferè ambitu plevræ, coſtas ſubcingentes adhærebant, ut ſine magnâ vi & dilaceratione avelli non poſſent; qui tamen hominis dum in vivis agerent, de *nullo reſpirationis incommodo* conqueſti fuerant; quod ſanè minimè

mirari ſubit, cum hoc hærentia, cæteris bene ſe habentibus, haud præpediat quominùs pulmonum & pectoris dilatatio, ad reſpirationis munia obeunda, liberè exerceatur. DIEMERBROEK.

OBS. 14. In cultro anatomico ſubjectis cadaveribus variorum utriuſque ſexûs, tùm ſuſpenſorum, tùm diverſis morbis, acutis vel chronicis ſublatorum, qui dum viverent *facillimâ reſpiratione* gaudebant, in propatulum veniebant. Pulmonum cohæſiones, in alterutro latere, nunc cum plevrâ coſtas inveſtiente, nunc cum mediaſtino; rariùs cum diaphragmate; quam pulmonum *læſionem innoxiam* plures primi ſubſellii authorus etiam annotarunt. E NOSTR. ADVERSARIIS.

OBS. 15. Quidam à diuturna capitis deſtillatione in *ſpirandi difficultatem*, ſine ſtertore inciderat; atque malo progrediente eò devènerat, ut in alterutrum latus, haud ſine labore & anxietate, cubare poſſet; in dorſum nequaquam, ob immanes dolores quos juxtà anteriorem thoracis partem experiebatur. Tandem morbi ſævitiâ è medio tollitur.

Secto cadavere, patent pulmones coſtis omnibus anterioribus, ità pertinaciter hærentes, ut nonniſi cultro ſejungi poſſent. ZECCHIUS.

OBS. 16. Puer quinquennis, valetudinarius, poſt exercitium, immodicum, incidit in *tuſſim* cum *ſpirandi difficultate* & febriculâ. Accedunt *leipothymiæ*, pulſus fit parvus languidus & frequens; *venter tenſus & dolens*, cum ſiti & difficiliori reſpiratione, & obiit.

Pulmonis pars ſiniſtra diaphragmati ità firmiter hærebat ut ſeparari non potuerit. Siniſtra verò cordis auricula, ſolito amplior, referta erat materiâ craſſâ & compactâ, luridum coctum referente. RIVERIUS.

OBS. 17. Quidam melancholicus *ventrem tumidum*, cum *cruribus œdematoſis*, multis abhinc annis geſtans, apoplexiâ graviſſimâ è medio tollitur.

Omnia viſcera pectoris invicem, & vicinioribus partibus connexa, & conglutinata cernebantur. Hepar ingens & durum partibus vicinioribus hærebat; æquè ac ventriculus. Meſenterium erat

erat craſſum, & pinguedine refertum. Inteſtina flatibus & fæcibus turgebant, cum exuperante adipe. HECHSTETTERUS.

PULMONES

OBS. 18. Vir quatuor & quinquaginta annorum hæmorrhoïdibus, & diarrhæâ biliosâ vexabatur; quibus deficientibus de ſepultis *in pectore doloribus*, cum *ſpirandi difficultate*, nonnunquam recurrente querebatur. Dein urgebant paroxyſmi aſthmatici: inter ferociorem aphonus & convulſus animam efflavit.

Pulmones utrimque plevræ, diaphragmati & pericardio pertinaciſſimè hærebant: cor tumidum, tenſum, & quaſi orbiculatum cernitur. Aqua ſtagnabat in cerebri ventriculis, & vertebrarum thecâ. LANCISIUS.

OBS. 19. Juvenis mulier *tuſſi* & *dyſpnæâ* laborabat cum *præcordiorum anguſtiâ*, & difficili decubitu in ſiniſtrum latus. Materiam cartharrhalem interdùm ſpuebat. Pedes & venter erant œdematoſi. Tandem, pulſu debili, ſomnolentus evadit, & poſt triduum obiit.

Præter aquæ quatuor libras ſtagnantis in abdomine; pulmo dexter plevræ pertinaciter hærebat, cum ſero effuſo, pauco & ſubflavo. Ventriculi cerebri ſero ſubcruento ſcatebant. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 20. Quidam nobilis à diuturnâ capitis deſtillatione in *ſpirandi difficultatem*, ſine ſtertore inciderat, atque malo progrediente, eò devenerat ut in alterutrum latus non cubare poſſet; neque in dorſum ob anxietates & cruciatus quæ experiebatur. Inter haſce ærumnas interiit.

Pulmones integri partibus circùm ambientibus ità pertinaciter hærebant; ut nonniſi cultello ſejungi poſſent. ZECHIUS.

OBS. 21. Mulier quinquagenaria dyſpnæâ laborabat, cum ſiti ingenti, pulſu parvo, & calore. Tandem *ſpirandi difficultate* in dies ingraveſcente occubuit.

Pulmo ſiniſter ſanus, & à coſtis ſolutus aquæ ſubſalſæ innatabat. Dexter arctiſſimè plevræ hærebat undique, adeò ut nulla

Pulmones

reperiebatur aqua. Cor polypoſis concretionibus ſcatebat. Clar. Morgagnus.

OBS. 22. Quidam quinque & viginti annorum *febre catarrhali* per duodecim dies laborabat; cùm ſubitò lateris ſiniſtri dolore *acutiſſimo*, & *immani ſpirandi difficultate* corripitur; quibus ultrà modùm ſævientibus intrà quatuor horas enecatur.

Secto cadavere, patet pulmo ſiniſter arctè diaphragmati annexus, cum nonnullis inflammationis notis. Barrerus.

OBS. 23. Quidam juvenis quinque & viginti annorum *dyſpnæâ* & *veſicæ calculo* laborabat. Accedente ſenſim maraſmo; viribus tandem deficientibus extinguitur.

Apertum cadaver exhibebat ſiniſtrum pulmonis lobum, unà cum dextro, ſuccingenti membranæ ità tenaciter adhærentem, ut vix avelli potuerit. Fabr. Hildanus.

OBS. 24. Puella quatuordecim annorum *dolorem* patiebatur *in ſummâ ſcapulâ* ſiniſtrâ, cum *febre*. Non poterat in illud latus decumbere; quin ſtatim tuſſi corriperetur.

Poſt obitum diſſecta exhibet pulmonem coſtis utrinque, diaphragmati & pericardio undique accretum. Riverius.

OBS. 25. Quidam poſt diuturnum alvi fluxum æruginoſum, in inſignem *ſpirandi difficultatem* incidit, urgente tuſſi ſiccâ; quibus pergentibus, & ingraveſcentibus è vivis tollitur.

Invenitur lobus dexter pulmonis ità coſtis & diaphragmati adnatus, ut invicem continui viderentur. Bontius.

OBS. 26. Mulier ſeptuageſimum tertium ætatis annum agens *aſthmati* jamdudùm obnoxia, morte ſubitaneâ rapitur.

Reſeratis pectoris clauſis tanta pulmonum cum coſtis cohæſio deprehenditur, ut inde divelli abſque dilaceratione non poſſent. Bonetus.

OBS. 26. (*a*) Sectis cadaveribus hominum perquàm plurium morbis

acutis aut chronicis enectorum & qui *nuſquam difficili reſpiratione laboraverant*, pulmones undique coſtis accreti reperiebantur. PORTAL.



OBS. 26. (*b*) In cadavere fœminæ pauperculæ de *difficili reſpiratione nuſquam querulæ*, reperiebatur totus pulmo undique coſtis, dorſo & mediaſtino hærens, ut motus in eo aliquis omninò concipi nequiret. CLAR. HALLERUS.

OBS. 27. Secto puello anniculo, qui poſt triduanam ægrotationem *ſuffocatus* interiit, pulmo dexter vitiatus deprehenditur, & coſtis annexus. Hepar pro ætate ſolito majus annotatur. BONETUS.

OBS. 28. In cadavere cujuſdam fœminæ, quæ *aſthmatica* fuerat, pulmonem dextro latere per valida filamenta nervea, aliquot locis coſtis adnatum vidit PAWIUS.

OBS. 29. Inter exenterationem monachi, qui dum viveret, *orthopnœâ* premebatur, reperitur tanta pulmonum cum coſtis coaleſcentia ut vix cultro poſſint ſeparari. SAXONIA.

OBS. 30. In cadavere pueri novennis *hydrope* extincti, pulmones partibus ambientibus accreti obſervantur, & variis hydatidibus fœti; præter aquam in abdomine ſtagnantem, & omenti adhæſionem cum inteſtinis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 31. Luſtrato cadavere cujuſdam *anaſarcâ* defuncti, inveniuntur pulmones utrinque coſtis arctè adhærentes. Cætera omnia vitii expertia deprehenduntur. RHODIUS.

OBS. 32. In cadavere cujuſdam *aſthmaticæ*, quæ inter ſaltandum *ſubitaneâ morte* rapta erat, occurrebant pulmones ita antè undique thoracis lateribus adacti ut vix ſeparari potuerint. SALZMANNUS.

OBS. 33. Inter ſectionem cujuſdam religioſæ, quæ *aſthmate*, &

*orthopnæa* laboraverat, pulmones coaleſcentes cum membranâ
PULMONES coſtas ſuccingente vidit SAXONIA.

OBS. 34. In pluribus cadaveribus eorum qui *ſuſpirio* valdè angebantur, pulmonum ad coſtas agglutinationem obſervavit. RHODIUS.

In hâc ſerie recipiuntur obſervationes Libr. I. 82., 269, 438, 543, 600, 601, 646, 665, 711, 1770. Libr. II. 44, 59, 62, 261, 283, 404, 409, 521, 522, 676, 695, 697, 707, 762, 866, 896. Libr. III. 411. Inſuper vide *Pulmones cruſtâ obducti; inflammati, purulenti, ſcirrhoſi*, &c.

## *Pulmonum emphyſema.*

OBS. 35. Homo octo & quinquaginta annorum *tuſſi moleſtiſſimâ*, & gangrænâ ad digitos pedis laborabat. Opportunis adhibitis remediis gangræna evanuit, & tuſſis mitior evaſit. Poſt quindecim dies recurrit tuſſis ferocior, cum impeditâ reſpiratione; quibus paulò poſt è medio tollitur.

Introſpecto cadavere deprehendebatur totus pulmo inflatus, durus & valdè elaſticus. Aër ſcilicet inter membranam pulmonem inveſtientem effuſus multas diverſæ magnitudinis bullas efformavit. Nullâ preſſione aër quo turgèbat pulmo per aſperam arteriam expelli potuit. Occurrit pericardium aquâ limpidâ ſummè diſtentum. Dexter cordis ventriculus concreto ſanguine turgebat. Venæ cerebri varicoſæ, nigro & grumoſo ſanguine infarctæ conſpiciebantur. CLARIS. STORCK.

OBS. 36. Fœmina triginta annos nata à longo tempore *ſpirandi difficultate*, & tuſſi ſiccâ premebatur. Tumebant artus, atque nec decumbere, nec ambulare poterat ægra. *Vox* erat *anxia*; pulſuſque parvus & inæqualis. Intercà excernuntur ſputa glutinoſa. Tum conquerebatur de pulmone in pectore natante. Dein ingruunt anxietates; totum corpus fit œdematoſum; reſpiratio difficilior evadit, cum pulſû tremulò; inſtantis lethi prodromo.

Inter ſectionem cadaveris in conſpectum veniebat aër per totum pulmonem effuſus, cum variis veſicis in ſuperficie, quarum nonnullæ pugni magnitudinem æquabant. Hepar, aliàs ſanum, recondebat varios ſaccos ſero limpidò repletos, quorum major ovum gallinaceum æquabat. CLAR. STORCK.

## *Pulmones infarcti.*

OBS. 37. Miles ſex & viginti annos natus *febre* quâdam *epidemicâ* laborabat. Pulſus explorabatur celer, plenus & durus. *Anxiè reſpirabat*, & omnia membra languebant: quinto morbi die obſcure delirabat, & tremulis manibus floccos carpebat. Sexto erumpebant petechiæ, & omnia ſymptomata exacerbabantur. *Tuſſis* urgebat ſicca, cum magis anxiosâ reſpiratione. Intereà pulſus annotatur intermittens, cum manifeſto tendinum ſubſultu. Nono demùm die inter luctuoſa ſuſpiria diem ſuum obiit.

Luſtrato cadavere, ſi excipias inteſtina flatu diſtenta, omnia viſcera abdominalia ſana & integerrima conſpiciebantur. Reſerato thorace, in propatulum veniebat pulmo gravis, atro cruore infarctus & in aquâ ſubſidens. Ventriculi cordis grumoſo ſanguine ſcatebant. HASENOHRL.

OBS. 38. Juvenis optimo habitu præditus in *ſanguinis ſputum* copioſum incidit, & ſpumoſum; cum hypochondrii dextri dolore & *tuſſi vehementi*. Morbo per intervalla recurrente; tandem vehementi *febre* corripitur, ſiti, tuſſi & *ſpirandi difficultate*, aliiſque gravioribus ſymptomatibus ſtipatâ. Die demùm vigeſimo quinto extinguitur.

Hepar magnum, ſed ſanum deprehenditur. Pulmo verò totus ſanguine repletus, mirum in modum tumidus apparuit; ità ut non vaſa tantummodò turgerent; ſed per totam ſubſtantiam ſanguis conglobatus ſcirrhi duritiem æmularetur. Cor & circumſitæ venæ ſanguine etiam mirum in modum replebantur. PROSP. MARTIANUS.

OBS. 39. Quidam agricola, *à cane rabido demorſus*, vulneribus poſt ſeptem hebdomadas ad cicatricem perductis, ſuis muniis ſine ullo incommodo fungebatur. Paulò poſt conqueritur de dolore ancinante in loco acceptorum nuper vulnerum: ac brevi in

PULMONES veram *hydrophobiam* incidit. Ingraveſcentibus ſymptomatibus hunc truculentum morbum concomitari ſolitis, & accedentibus convulſionibus interiit.

Inter exenterationem cadaveris, nil notatu dignum occurrit in cicatricibus vulnerum. Inteſtina nonnullas levis inflammationis notas oſtendunt. Pulmo plevræ adhærens concreti ſanguinis molem referebat: uſque adeò extravaſus & coagulatus erat ſanguis, ut pleraſque pulmonis veſiculas adimplere videretur. Diaphragma ſiderationis veſtigia monſtrabat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 40. Quidam nobilis, inter ætatem conſiſtentem, *ſpirandi difficultate*, cum quodam *pondere in regione cordis*, poſt prandium; corripitur. Succedentibus anxietatibus moleſtiſſimis, cum animi deliquiis; quibus intrà ſemi horam de medio tollitur.

Secto cadavere, ſanguis fluidiſſimus reperitur. Stomachus ingeſtis turgebat. Veſicula fellis nonnullos fovebat pſeudo-lapides. Pulmones verò tumidi ſanguine infarcti occurrebant. Cor maximum, molle & corrugatum ne guttam quidem ſanguinis continebat, & planè inane conſpiciebatur. DIONIS.

OBS. 40. (*a*) Mulier quædam jamdiù *lue venereâ* affecta moleſtiſſimis vexabatur ſymptomatibus. Cum aſthmate interdùm recurrente, quibus tandem ſuprà modum exacerbatis ſupremum diem obiit.

Secto cadavere præter ſummam oſſium totius corporis cariem & medullæ putrefactionem apparebant pulmones infarcti materiâ quâdam nigricante, duriſſimâ quaſi ſcalpello ſecari neſciâ. PORTAL.

OBS. 41. Vir valetudinarius, & *ſcorbuticâ labe* tactus, *reſpiratione anhælosâ*, & capitis gravitate, laborabat; cum torpore inſolito prehenditur. Derepentè aphonus in humum concidit apoplecticus.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat cerebrum planè illæſum: ſed totus pulmo diſcolor & ichore ſpumoſo per totum infarctus annotabatur. BONETUS.

OBS. 42. Quinquagenarius jamdiù *aſthmaticus*, cellam vinariam

in quâ fervebat muſtum ingreſſus, tam violento paroxyſmo corripitur, ut ſubitò animam reddiderit. PULMONES

Inter ſectionem cadaveris, in conſpectum veniebant pulmones citrà labem: ſed tanta eorum erat moles ut bubulos æquarent magnitudine; ob ſcilicet ſtupendum à ſanguine infarctum. SYLVIUS.

OBS. 43. Quidam nobilis ad *catharros* proclivis, in *febrem* ejuſdem indolis *epidemicam* incidit. Suppreſſis ſputis difficilis fit reſpiratio; ſitis urget cum ſtomachò languidiori; & quarto morbi die è vivis rapitur.

Reſerato pectore occurrunt pulmones flaccidi, & materia catarrhali infarcti; cum bronchiis eodem humore repletis. MORGAGNUS.

OBS. 44. In cadavere cujuſdam *ſubitaneâ* & inexpectatâ *morte* rapti; deprehendebantur vaſa cerebri ſanguine ſuprà modum turgentia. Pulmo dexter gracilis plevræ & diaphragmati hærebat. Siniſter verò triplo major, abſque hærentiâ, ſanguine nigrâ & craſſâ infarctus annotatur. Cor erat ingens. DIONIS.

OBS. 45. Exenterato cadavere cujuſdam viri quinquageſimum ætatis annum agentis; diuturno, moleſtiſſimoque *aſthmate* attriti, & enecati; inveniebatur pulmo planè exſanguis. Omnes ſpirabiles meatus pituitâ craſſâ & viſcidâ infarcti annotabantur; cum nonnullis minoribus vomicis in parenchymate. HEURNIUS

OBS. 46. Cultro anatomico ſubjectum cadaver cujuſdam viri; inter ambulandum *morte repentinâ* ſublati; pulmones ſe præbent ingenti ſanguinis copiâ tenſi, & quaſi denigrati; corde prorsùs inani. Præterea lienis ſubſtantia fæci vini, perſimilis, & contactu diffluens obſervatur. MONGINOT.

OBS. 47. Senex quidam obeſus, & ad motum tardus, *reſpiratione difficili* & anhelosâ affectus, derepentè mortuus in humum concidit,

PULMONES Thorace aperto inveniebatur pulmo utrinque diſcolor atque ichore ſpumoſo per totam ſubſtantiam refertus vel infarctus. BONETUS.

OBS. 48. Quidam à commotione cerebri, *poſt caſum ab alto*, *aſthmaticus* factus eſt. Tandem accedente ferociori catarrho, è vivis deceſſit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, occurrit pulmo, ubique pituitoſus, & viſcidis humoribus ſcatens. HILDANUS.

OBS. 49. In corpore cujuſdam inſigni *pectoris oppreſſione* interempri, inveniebantur pulmones ampliſſimi, humore lutulento undique prægnantes, qui bilanci impoſiti uncias octoginta pependerunt. BONETUS.

OBS. 50. Luſtratis corporibus variorum *ſuffocatione* extinctorum in apricum veniebant pulmones ultrà modum intumeſcentes; ab hærente ſcilicet ſanguine craſſiore, & fæculentiore intrà vaſa pulmonaria. WILLIS.

OBS. 51. Qui in principio *paroxyſmi febris tertianæ* mortui ſunt, iis ſanguis in pulmonibus impactus & incraſſatus inventus eſt; adeò ut ejus tranſitus per pulmones impediebatur. HARVÆUS.

OBS. 52. In corpore cujuſdam *aſthmatici*; inter paroxyſmum ferociorem ſublati, pulmo tanquam ſpongiâ imbutus multo humore pituitoſo inventus eſt. HOLLERIUS.

Hanc claſſem ingrediuntur obſervationes Libr. I. 1045. Libr. II. 270, 472, 604, 704, 705.

*Pulmones*

## *Pulmones cruſtâ obducti.*

OBS. 53. Mulier valetudinaria, terrore à ſpectro incuſſo, perterrita, incidit in *dolores pectoris*, cum *hypochondrii tenſione.* Dein de frigore moleſto, flatulentiâ & ſuffocationibus uterinis conqueritur. *Reſpiratio difficilior* evadit, cum ſibilo; alvoque adſtrictâ, urget ſuffocatio. Dein paroxyſmum febrilem patitur; inter cujus frigus incœpit dolor rodens & moleſtus femoris & tibiæ. Poſtremò accedentibus vomitu, & tuſſi ſiccâ ſubitò extincta eſt.

Aperto abdomine, invenitur colon ſub umbilico ſitum, cum inteſtinis ultrà modum flatulentis. Ventriculus turgebat materiâ viſcidâ ſpadicei coloris. Siniſter pulmo partim plevræ connexus, gelatinoſo & viſcido humore obductus conſpiciebatur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 54. Figulus ſeptuagenarius, potator ſtrenuus, poſt animi curas incidit in febrem cum vehementi dolore lateris ſiniſtri. Quarto morbi die exacerbatur febris. Sexto accedit delirium furioſum. *Reſpiratio* erat *difficilis*, & nulla excernebantur ſputa poſtridie ſtertens, & ſudore madens mortuus eſt.

Reperiuntur omentum ſeorsùm retractum, & totum hepar diaphragmati morboſè hærens. In ſiniſtro pectoris cavo ſtagnabat multa aqua ſubflava. Pulmonem ambiebat membrana quædam flava, cruſtæ inſtar, facilè lacerabilis; pars inferior dura, & quaſi ſcirrhoſa, plevræ hærebat. Prætereà obſervabantur hydatides in ventriculis cerebri cum pauco ſero; & materiâ quâdam gelatinosâ inter anfractus cerebri. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 55. Juvenis duorum & viginti annorum, *ſpirandi difficultate*, & pruritu totius corporis moleſtiſſimo, vexabatur, cum tuſſi ſiccâ, inappetentiâ & ſummâ virium debilitate. Accedunt vigiliæ cum dolore lateris ſiniſtri, tumidi, & manifeſtam fluctuationem exhibentis. *Difficilis* erat *decubitus* in latus dextrum. Tandem ſuperveniente phlogoſi in pede ſiniſtro, cum imminente gangrænâ, extinguitur.

Cavum pectoris ſiniſtrum ſeri ſublutei, vel viridis, libras ſexdecim continebat. Pulmo ſcirrhoſus cruſtâ quâdam ſebaceâ obducebatur, quâ etiam obtegebatur plevra & mediaſtinum. WOLFIUS.

PULMONES

OBS. 56. Quidam atris curis anxius incidit in enorme *ſanguinis ſputum*. Procedente morbo cum febre lentâ; *phthiſicus* evadit; adeò ut atrophiâ ſenſim confectus ultimum diem claudat.

Secto cadavere, patet auricula cordis dextra, in immenſam amplitudinem dilatata. Arteria pulmonaris ſanguine ultrà modum diſtendebatur. Uterque cordis ventriculus majorem ſanguinis atri, & quaſi aduſti copiam recondebat. Præterea pulmones pleuræ hærentes cruſtâ quâdam argilaceâ obducebantur. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 57. Vir quinque & quinquaginta annorum *peripneumoniâ* ſolitis ſymptomatibus ſtipatâ, corripitur. Febris erat intenſa, cum ſputo copioſiori. Affulgebat quædam ſanitatis ſpes, cùm nono morbi die ad æthereas ſedes convolavit.

Pulmo dexter in parte inferiori putredine tactus, cruſtâ viſcidâ, & quaſi purulentâ defœdabatur, ac latici ſordido innatabat. Siniſter cum nonnullis inflammationis notis, ſimili fermè cruſtâ donabatur, ſed tenuiori; abſque ſtagnatione. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 58. Juvenis vigeſimum quintum ætatis annum agens in *pectoris inflammationis* incidit. Sputa excernebantur copioſiora; ſed ſolutæ & pravæ indolis. Dolor haud vehemens lateri dextro inſidens ſexto die deſinit. Sputa ſufflaminantur, & octavo fatis ceſſit.

Exenterato cadavere pulmones deprehenduntur inflammati, ac cruſtâ gelatinosâ, pus redolente, obducti; cum copiâ ſeri eſſuſi in utrumque latus. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 59. Quidam juvenis viginti annorum *febre catarrhali*, cum tuſſi violentâ, & *ſpirandi difficultate* prehenditur. Poſt menſem à ſuperato hoc morbo incidit in *orthopnœam* graviſſimam, cum ſudore frigido, & pulſu ferè oblitterato. Accedentibus anxietatibus intrà quinque horas è medio tollitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniunt pulmones tumidi & infarcti, pleuræ hærentes, & cruſtâ quadam ſebaceâ obducti. BARRERUS.

OBS. 60. Juvenis dolore *lateris ſiniſtri*; cum tuſſi ſiccâ, *ſpirandi*

*difficultate*, ac pulſu exili & frequenti per triduum laborabat. Accedit delirium cum ſtertore; frigent extrema; & moritur. PULMONES

Inter exenterationem cadaveris, deprehendebatur pulmonum lobus ſiniſter partibus tumidus, & cruſtâ quâdam ſebaceâ obvelatus; cujus ope pulmonis circùm ambientibus hærebat. BARRERUS.

OBS. 61. In cadavere cujuſdam *febre duplici tertianâ*, comite *pleuritide*, enecati, occurrunt pulmones croceâ & cruſtaceâ quâdam materiâ ſordidâ obducti; ſimili cruſtâ coinquinatis plevrâ, mediaſtino & diaphragmate, cum effuſione ſeri. Cyſtis fellea erat inanis. Lien turgidus & obſtructus conſpiciebatur. Inteſtina denique lumbricorum copiam recondebant. BONETUS.

OBS. 61. (*a*) In cadavere cujuſdam viri *pleuro peripneumoniâ* extincti, deprehendebantur pulmones labefactati, coſtis utrimque hærentes, ac cruſtâ quâdam viſcidâ ex luteo viridi obducti. Stomachus & inteſtina, materiebus ſordidis & fœtidiſſimis infarcta, nonnihil gangrænoſa cernebantur. CLAR. FOURNIER.

OBS. 61. (*b*) Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam ſenis potatoris ſtrenui & *pleuro peripneumoniâ* rapti, in apricum veniebant pulmones inflammati; gangrænoſi, & cruſtâ quaſi gypſeâ obducti. Inteſtina quoque phlogoſeos & ſyderationis notas præ ſe ferebant. CLARIS. FOURNIER.

OBS. 62. Cadaver cujuſdam *peripneumoniâ* extincti exhibebat pulmonem ſiniſtrum, ubi viguerat dolor, partibus circùm ambientibus hærentem, mediante quodam muco glutinoſo & tenaci, diverſo à pure. Pulmo lividus apparuit. Cordi utrinque inerant magni, & tenaces polypi, adipis fruſta mentientes. PEIERUS.

OBS. 63. In cadavere cujuſdam iuvenis *pleuritide bilioſâ* interempti reperiebatur fellea conſpurcatio pulmonem dextrum obducens, cum ſtagnatione ſeri in eodem latere. Pulmonis affecti

PULMONES

ſubſtantia, atro colore imbuta, inflammationis notas præ ſe ferebat. CLARIS. BIANCHI.

OBS. 63 (*a*) Secto cadavere cujuſdam quadragenarii *inter ſævitiem* dolorum pleuriticorum extincti, pulmones cruſtâ albâ obducti & intùs omninò putrefacti apparent. Cor etiam quâdam putredine circà apicem defœdabatur. PORTAL.

OBS. 64. Luſtratis interaneis cujuſdam puellæ ſeptennis ſeptimo *pleuritidis* die extinctæ, reperiuntur pulmones cruſtâ quâdam viſcidâ & flavâ obducti; quâ omnibus partibus circumambientibus hærebant. CLAR. DE HAEN.

OBS. 65. In cadavere viri conſiſtentis ætatis *pleuritide bilioſâ* ſublati, obſervantur in pulmone & attiguis partibus bilioſæ irruptionis ſtigmata, cum inflammationis notis. CLAR. BIANCHI.

In hoc tractu recipiuntur obſervationes Libr. I. 9, 16, 154, 342. Libr. II. 140, 109 (*a*), 298, 602, 671, 698 (*a*), 729, 773, 793. Prætereà vide *Pulmonum inflammatio.*

## *Pulmonum inflammatio.*

OBS. 66. Mulier quinque & quadraginta annorum *ſcabie ſiccâ* per totum corpus, cum *ulcere cruris antiquo*, laborabat. Evaneſcit ſcabies, ulcere acriùs vexante. Ingruit *febris* cum magno æſtu: accedit *dolor* pungens *in ſiniſtro & infimo pectoris latere.* Quarto die exacerbatur febris, cum tuſſi ferociori, *ſputo cruento*, purulento & fœtido; quod dein nigricat, cum immani orthopnæâ. Poſtremò accedit leve delirium, & die ſexto repentinâ ſuffocatione extinguitur.

Stagabant in utroque pectoris latere ſerum citrinum, & fœtidum. Plevra in ſiniſtrâ parte, pulmoni hærens, aſpera & tuberculis rubris inæqualis conſpicitur. Hic pulmo lividus & hepate durior

occurrit; ac colluvie quâdam purulentâ infarctus. CLAR. MORGAGNUS. PULMONES

OBS. 67. Matrona quadragenaria gravida, cum aëri frigidiori ſe expoſuiſſet magno rigore correpta, quem par conſecutus eſt *calor febrilis*, cum ingenti ſiti, *ſpirandi difficultate*, tuſſi & *dolore* gravativo in dextrâ *thoracis* parte ad ſcapulare vergente, pulſo celeri & duro; ac vomitu bilioſo. Sputa erant pauca, denſa & albeſcentia; ac interdùm flava. Die quarto pungens fit dolor lateris. Pulſus dein inæqualis & intermittens exploratur, cùm corporis jactatione. Suppreſſis demùm ſputis & fatiſcentibus viribus, quinto morbi die obiit.

Puella inventa eſt mortua in utero nonnihil inflammato. Pulmo dexter immanem inflammationem, ac duritiem, & ſub his inchoatum jam abſceſſum oſtendit. VALSALVA.

OBS. 68. Quidam cannabis carminator *pectoris inflammationi* obnoxius, in eundem morbum; jam ſepties paſſum incidit. Nil expectorabat; ac *biliosa* & viridia *evomebat*. Quinto die ingruit phrenitis, cum ſubſultibus tendinum carpi; tandem pulſu debiliori facto, ſeptimo die obiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione; deprehenditur pulmo dexter plevræ & diaphragmati arctiſſimè annexus, aliàs ſanus. Siniſter recondebat in ſuperiori parte tuberculum purulentum. Inferior pars inflammata erat & purulentâ; atque eadem labe afficiebatur plevra. Vaſa cerebri maximè diſtenta obſervabantur. Poſtremò ſtagnabat ſerum ſubrubrum in ventriculis & circà anfractus cerebri; cum pluribus hydatidibus in plexu choroideo. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 68. (*a*) Puer ſeptennis ab octiduo leviter ægrotabat, cum frequenti *hæmorrhagiâ narium*; facie pallidâ & ſubtumidâ: ſub noctem de frigore conquerebatur, ſinè febre. Inter hanc rerum conditionem *ſpirandi difficultate* corripitur, & *febre* continuâ. Dein erumpit *ſputum*, rotundum, ſolidum & *peripneumonium*, cum nonnullo ſanguine. Fruſtrà adhibitis venæ ſectionibus, aliiſque præſidiis, biduò poſtquàm ægrotare viſus eſt, debilis, & excreare impos, obiit.

Pulmo ſiniſter cruore plenus annotatur; in aquam projectus fundum petiit. Cor ſiniſtrum inane erat: dextrum verò concre-

PULMONES tione polypoſâ turgidum. Nonnulla inflammationis ſigna exhibebat plevra. CLAR. HALLERUS.

OBS. 69. Quidam voraciſſimus interoceles moleſtias declinaturus, *caſtrationi* ſe ſubmiſit, feliciter peractæ. Omnia ritè ſe habebant, cùm poſt tres ſeptimanas *difficultate deglutiendi* & *difficili reſpiratione* prehenditur. Tertio die lingua erat carbone nigrior, & urgebat deglutiendi & reſpirandi difficultas. Nil in hâc anginæ ſpecie; nec intùs nex extrà apparebat; ſi linguæ nigrorem exceperis.

Mortui aperto corpore, ſalva reperta eſt trachea arteria, & omnis phlegmonis expers. Thymus intumuerat, & atro ſanguine ſcatens tracheam præmebat. Pulmones ſe prebent inflammati, & creberrimis maculis nigris conſperſi, cum gangrænæ ſignis evidentibus. BONETUS.

OBS. 70. Juvenis qui jam *pectoris inflammatione* laboraverat; in eundem morbum incidit de dolore pectoris gravativo in dextro latere querebatur, multùm tuſſiebat; & ſedere in lecto cogebatur ut ſpiritum duceret. Viſcida & ſanguinolenta expuebat; pulſu duro, inæquali & intermittente, cum ſubſultu tendinum. Tandem moritur.

Pectus aquâ turbidâ, & flaveſcente ſcatebat. Pulmones plevræ hærentes deprehenduntur. Dexter propè diaphragma turgidus, & durus occurrit. Pericardium aquam continebat. Cor maximum invenitur atro ſanguine repletum, nullâ polypoſâ concretione. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 71. Quidam quinque & viginti annorum qui *ſtrumis*, & poſteà *lue venereâ* laboraverat, horrore & *febre* corripitur cum *dolore pungente* in toto fermè pectore. Cubare niſi in dorſum non poterat. De æſtu interno querebatur. *Reſpiratio erat difficilis*, cum ſputo fluido & ruffo. Die octavo ſudore lethali madet.

Reperitur, in cavo thoracis dextro, ſerum turbidum & ſanioſum. Pulmones, interjectâ quâdam membranâ cruſtaceâ, plevræ hærebant. Pulmones duri, denſi & graves obſervabantur. Poſtremò cordis ventriculi concretiones habebant polypoſas. CLAR. MORGAGNUS.

PULMONES

OBS. 72. Vir ſex & quinquaginta annorum, incidit in *febrem*, cum *dolore purgente* circà inferiorem ſterni partem *ſpirandi difficultate* & tuſſi. Procedente morbo ſputum fit craſſum, ſpumoſum, & ex flavo variegatum. Reſpiratio fit difficilior, cum linguâ aridâ; & die nono mortuus eſt.

Thorax utrimque aquam habuit flavam & turbidam. Uterque pulmo ſuperiùs ad plevram nectebatur. Dexter erat gravior & durior, cum nonnullis putredinis notis Pericardium aquæ copiâ turgebat, & cor concretiones habebat polypoſas. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 73. Virgo duorum & viginti annorum *dolore lateris* dextri pungente cum *febre*, *ſpirandi difficultate*, *tuſſi* & ſputo corripitur. In ſolum dextrum latus cubare poteſt. Progrediente morbo ſputa ſanguine tinguntur. Aliquot antè mortem dies ſæviunt dolores circà ilia. Nono morbi die, in ſiniſtrum latus decumbens æger inter convulſiones fatis ceſſit.

Luſtrato cadavere, ſerum reperitur ſtagnans in abdomine. Lien erat prægrandis, cum majori parte tenuium inteſtinorum inflammatâ. Pulmo dexter plevræ arctè hærebat; ac totus erat inflammatus, cum ulcere. Siniſter ad atrum vergebat colorem. VALSALVA.

OBS. 74. Clericus trium & viginti annorum, poſt acutam febrem parotidibus ſtipatam, è quâ evaſit in duplicem tertianam incidit; quâ fugatâ, accedit *difficilis reſpiratio*, cui ſe comitem addidit *acuta febris*, cum *dolore lateris* dextri. Tuſſis primò humida fit ſicca & irrita. Difficilis eſt in utrumque latus decubitus. Pulſus erat inæqualis & intermittens. In regione hepatis dolorem ſuum indicabat æger; qui ſeptimo die obiit.

Inter ſectionem cadaveris, invenitur lien quadruplo major quàm par eſſet. Serum ad libras duas ſtagnabat. In ſiniſtro thoracis cavo. Dextrum humore craſſiori & ſemi-concreto erat plenum. Pulmo dexter ab inflammatione valdè induruerat: Pericardium denique ſero erat diſtentum. VALSALVA.

OBS. 75. Virgo novemdecim annorum *dolore pectoris* cum *difficili reſpiratione* repentè corripitur. Dolor infrà mammam ſiniſtram tangendo augebatur; & cubare in id latus minimè potuerat ægra. Pulſus erat debilis: ſonus quaſi bullientis humoris in aſperâ

PULMONES

arteriâ audiebatur, cum tuſſi profundâ & irritâ, ac linguâ ſiccâ. Tandem nonnihil delirans ſeptimo die obiit.

Reſerato pectore, in conſpectum veniunt pulmones plevræ hærentes. Siniſtri ſuperior lobus, hepatis inſtar, induruerat. In pericardio copia aliqua aquæ ſubrubræ occurrit; cum polypoſis concretionibus intrà cordis ventriculos. MORGAGNUS.

OBS. 76. Quidam *febre accutâ*, cum horore, corripitur. *Tuſſim* vehementem concomitantur *dolor lateris* ſiniſtri obtuſus, & *ſputa cruenta*. Sexto die morbus decreſcere videtur; dein exacerbatur. Urget *ſpirandi difficultas*, cum virium dejectione. Intùs æſtuat, perfrigeratis partibus externis. Poſteà cadaveris inſtar livet, & interiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, pulmones inveniuntur ultrà modum tumidi. Siniſter penitùs inflammatus & nigricans conſpectus eſt, ac partim ichore infarctus. Plevra ubique inflammata, & liveſcens: muſculi demùm intercoſtales ſugillati videbantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 77. Mulier triginta annorum, ſexto graviditatis menſe, *febre* corripitur, *cum dolore pectoris* gravativo *tuſſi* aliquandò ſiccâ, aliquando humidâ: intenſo genarum rubore, ſiti inexauſtâ & linguâ aridâ. Accedunt vigiliæ & delirium. Urgent dolores hypochondriorum, cum flatuum ſupernè & infernè eruptione. Die tandem decimo tertio extinguitur.

Fœtus extinctus erat in utero, alias ſano. Inteſtina mirum in modum turgebant. Hepar ingens ſinè noxâ deprehenditur. Cyſtis fellea quatuor & quadraginta lapillos continebat, quorum major fabam æquabat. Reſerato thorace ſe prodiderunt pulmones inflammati lividi, tabo & pure undique diſtenti. BONETUS.

OBS. 78. Sexagenariis *febre* & *dolore lateris* pungente in latere dextro pectoris corripitur. Cubabat in dorſum; lingua erat arida; pulſus magnus & frequens. Poſt conſuetam, & opportunam curationem, benè ſe habere videbatur, conceſſo pleniore victu; cùm febris & dolor recurrunt. Pulſus explorabatur durus & vibratus. Mox accedente ſtertore, mortuus eſt.

Pulmonis dextri ſuperior lobus magnus & durus deprehenditur. Siniſtri pars poſtica dura & nonnihil purulenta occurrebat. Pericardium

cardium multâ aquâ ſcatebat ; cor verò concretiones polypoſas fovebat. CLAR. MORGAGNUS.

PULMONES

OBS. 79. Quidam in *febrem continuam*, à longo rigore exordium ſumentem, delabitur, cum *dolore lateris* ſiniſtri gravativo. *Tuſſis* erat initio ſicca, dein humida, ſputis ſubflavis, cruore perfuſis. Urgebat ſumma *ſpirandi difficultas*, cum malis rubentibus & pulſu molli, languido & inæquali. Die decimo quarto, ſuffocatus ultimum diem clauſit.

Inventa eſt altera pulmonum pars aucta in magnitudine, ut quadruplo major eſſet, quàm altera, & durior. Quâ ſectâ, multa aqua fœtida fuit expurgata ; & parenchyma invenitur denſum, durum & rubrum, quemadmodùm eſſe ſolet hepatis caro. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 80. Vir quadragenarius conſtitutionis ſanguineæ, *nephriticis doloribus* obnoxius, incidit in *febrem* cum pectoris anguſtiâ, *ſpirandi difficultate*, ſputo cruento, & concurrente urinæ ſuppreſſione. Deſiit urinæ difficultas remediorum congruorum uſu ; ſed ingraveſcunt cætera ſymptomata ; accedente pedum tumore. Tandem circà vigeſimum ſecundum morbi diem, viribus deficientibus, inter delirium, & ſoporem animam reddidit.

Secto cadavere, reperitur in cavitate pectoris ſerum ſanguinolentum copioſum. Pulmones ſanguine craſſiore ſcatebant, extremis partibus induratis & nigricantibus. Inteſtina ſanguine putrido flatibus permixto replebantur. HORSTIUS.

OBS. 81. Quidam octogeſimum ætatis annum agens, olim ſputum ſanguinis paſſus, in *dolorem pectoris* incidit ; in ſiniſtrâ ſcilicet & anticâ parte. Pulſus exploratur inæqualis & intermittens ; tuſſis erat crebra, cum ſputo craſſo ; *difficilis fit reſpiratio*, cum difficili decubitu ad latera. Dein erumpunt ſputa cruenta & octavo die placidè obiit.

Pulmo dexter undique adhærebat plevræ : ejus ſubſtantia ex livido atra plures folliculos inanes continebat ; quaſi veſtigia antiqui morbi. Pars inferior ſiniſtri pulmonis ; hepatis inſtar dura & gravis deprehenditur ; & membranâ quâdam mucoſâ obducta. CLAR. MORGAGNUS.

PULMONES

OBS. 82. In cadaveribus variorum *peripneumoniâ* quâdam *epidemicâ* extinctorum, in conſpectum veniebant pulmones inflammato cruore obſtructi, vel infarcti. Horum color atro purpureus; hinc inde lividus & cæruleſcens, adſtantibus horrorem injiciebat; præcipuè cum ex fiſſuris ſcalpello factis, cruorem corruptum, ichore fœtido mixtum propullulare conſpicerent. In omnibus, diſſectus cordis dexter ventriculus ex albo flaveſcentem concretionem polypoſam, in pulmonare marteriam exporrectam monſtrabat. CLAR. HALLERUS.

OBS. 83. Puer quindecim menſes natus *febre* corripitur cum *ſiti* inexhauſtâ, *vomitu* omnium ingeſtorum & diarrhæâ. His accedunt motus oculorum convulſivi; quibus poſt quamdam remiſſionem ingraveſcentibus, ſexto morbi die, mors obrepit.

Luſtrato cadaverculo, meſenterium deprehenditur obſtructum. Ren ſiniſter arenulas plurimas puri remixtas continebat. Cor pro ætatis ratione majus occurrit, cum pericardio aquâ deſtituto. Pulmones parvi & exangues, inflammationis eryſipelaceæ notas gerebant. BONETUS.

OBS. 84. Virgo quinquagenaria *thoracis dolore* laborabat, cum *febre*, cephalalgiâ, *ſpirandi difficultate*, *tuſſi* & ſputo copioſiſſimo. Accedente diarrhæâ omnia exacerbantur; & nonniſi erectâ cervice ſpirare poteſt. Circà nonum diem fatis conceſſit.

Siniſter pulmo inventus eſt plevræ cohærens. Alter inflammatus plevræ & mediaſtino arctiſſimè annectebatur; abſceſſum recondebat, qui apertus ingentem ſaniei copiam ejiciebat. Pericardium aquâ plenum deprehendebatur. VALSALVA.

OBS. 85. Vir conſiſtentis ætatis *febre* corripitur cum *dolore pectoris* pungente, tuſſi & *ſpirandi difficultate*. Dein ſoporoſus leviter delirabat, cum trementibus digitis. Tandem rebus in deteriora ruentibus, migravit ad ſuperos.

Sectum cadaver exhibet pulmones plevræ accretos. Dexter amplior totus durus & gravis erat, ſiniſter verò nonnihil læſus. Plevra dextri lateris inflammata deprehenditur. Pericardium parùm aquæ continebat. Ventriculi cordis concretionibus polypoſis replebantur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 86. Rhedarius quinquaginta annorum ; jampridem febre intermittente conflictatus in *peripneumoniam* incidit, tuſſi inani & difficili reſpiratione ſtipatam. Accedente levi delirio circà ſeptimum morbi diem vivere deſiit. PULMONES

Splen triplo major inventus eſt. In thoracis cavo ſtagnabant aliquot unciæ ſeri turbidi. Lobus pulmonis ſuperior occurrit totus inflammatus, & minimis abſceſſibus, hìc illìc ſcatens. Pericardii cavea ad dimidium uſquè erat repleta ; atque polypoſæ obſervantur concretiones in cordis ventriculis. VALSALVA.

OBS. 87. Virgo duorum & quadraginta annorum tuſſi quot annis inter hyemem obnoxia *febre*, præeunte frigore, corripitur, cum *dolore pectoris* & *ſpirandi difficultate ;* ac tuſſi irritâ. Progrediente morbo dolor ex unâ parte tranſit in aliam cum ſenſu ponderis, & difficili decubitu in latera. Die ſeptimâ mortua eſt.

Inter ſectionem cadaveris, pulmones graviores & duri deprehenduntur. Horum ſubſtantia, hepaticæ inſtar, erat conpacta, cum nonnullis ſuppurationis notis. CLAR. MORGAGNUS.

OBS 87. (*a*) Quidam *peripneumoniâ* laborans, cum pulſu molli, parvo & celere ; paroxyſmis ſuffocatoriis tandem obiit.

In utroque pulmone non inflammatio, non ulcus, ſed ſanguinis univerſalis effuſio fuit ; ut ſudore ſanguineo in celluloſam fabricam effuſo, & ſenſim collecto, maxima viſceris pars nigerrima eſſet. In aquam projecti pulmones alioquin natabiles, ſubſidebant. CLAR. HALLERUS.

OBS. 88. Quadragenarius *febre acutâ* præhenditur, cum *tuſſi* & *ſputo cruento*, poſtmodum ad colorem viridem inclinante, *difficili reſpiratione*, & dolore in latere dextro. Quartâ die occubuit.

Inciſo cadavere, in propatulum venit pulmo prædurus & inflammatus, arctè hærens plevræ omnis inflammationis expertis. Cordis ventriculi, cum ſuis auriculis concretionibus polypoſis turgebant. VALSALVA.

PULMONES

OBS. 89. Mulier conſiſtentis ætatis *febre* corripitur, *dolore pectoris* & *ſpirandi difficultate* ſtipatâ. Jacebat ſemper in latus dextrum. Tuſſis erat ſicca, ac tandem moritur.

Reſerato pectore, pulmones plevræ annectebantur mediante quodam corpore glutinoſo, & quaſi membranaceo. Horum poſtica pars erat inflammata, denſa & nonnihil nigricans. Pericardium copiam aquæ turbidæ & ſubrubræ continebat. Uterque cordis ventriculus concretionibus polypoſis ſcatebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 90. Quinquagenarius *difficili reſpiratione*, ut ſi à catarrho eſſet, prehenditur. Ingraveſcente morbo decumbere cogitur. Vox erat clangoſa; ſputa excernebantur ſeroſa & uberrima difficilis erat reſpiratio cum ſenſu quodam ſtrangulationis ad fauces, & difficili in utrumque latus decubitu. Procedente morbo ſputa erant pauca, viſcida & nonnihil graveolentia Circà morbi diem quinquageſimum inter febrem lentam obiit.

Siniſter pulmo plevræ hærens durus & inflammatus cernitur. Cor concretionibus polypoſis replebatur. VALSALVA.

OBS. 91. Juvenis octodecim annorum de dolore ventris conquerebatur. Hunc excipit *dolor in thorace*, *cum difficili reſpiratione*, *tuſſi*, & ſiti moleſtâ pronus aſſiduè cubare cogebatur. Morbo dein ingraveſcente, die decimo ſexto è vivis tollitur.

Siniſter pulmo ſanus aquæ innatabat. Dexter verò induratus proximis partibus validè annectebatur; in cujus latere ſtagnabat aqua turbida. Pericardium ſimili humore, mirum in modum turgebat. Inerant concretiones polypoſæ in utroque cordis ventriculo. VALSALVA.

OBS. 92. Mulier quatuor & ſexaginta annorum *dolore* corripitur in dextrâ *thoracis* parte, cum difficili in hanc decubitu. *Frequens eſt reſpiratio*, cum inani tuſſi, pulſu celere & parvo. Septimo die ſudor oboritur circà caput. Nono tandem exolutis viribus ad plures migrat.

Occurrit pulmo dexter valdè turgidus, cum levi adhæſione. Plevra cruſtâ quâdam membranaceâ, è ſero concreto exſurgente defœdabatur. Pars poſtica pulmonis dextri dura & inflammata reperitur; ſiniſtro inculpato. Pericardium aquam continebat, & ventriculi cordis concretionibus lymphaticis ſcatebant. VALSALVA.

OBS. 93. Miles à gravi morbo convaleſcens in *acutam febrem* incidit, cum *difficili reſpiratione*, tuſſi ſiccâ & *dolore* circà medium ſternum : pulſus frequentiſſimus explorabatur. Summè æſtuabant partes internæ, cum ſiti inextinguibili, quibus, intrà paucos dies, ingraveſcentibus enecatur. PULMONES

Hepar erat valdè obſtructum & tumidum; cum omento ſemi-conſumpto. Pulmo dexter occurrit inflammatus, cum parte ſuperiore durâ & ſcirrhosâ. Cor mole maximum, plurimis albicantibus maculis variegatum conſpicitur; cujus ſubſtantia atra, duriſſima & ſcirrhoſa, cum vaſis coronariis turgidiſſimis. FANTONUS.

OBS. 94. Lanio quinquaginta annorum *dolore* prehenditur in dextrâ *thoracis* parte, & in medio ſterni. Supinus cubat; multùm *tuſſit*, parùm expuit. Tandem erectâ cervice ſpirare cogitur; & die ſeptimo interiit.

Reſerato pectore, pulmo dexter parte ſuperiore induruerat, & arctiùs mediaſtino adhærebat. Siniſter à tergo infectus erat colore atro. Pericardium aquâ turgebat; & cordis thalami concretiones polypoſas fovebant. VALSALVA.

OBS. 95. Quidam conſiſtentis ætatis in *febrem acutam* incidit, cum *pungente lateris* ſiniſtri *dolore*, & alvi fluxu. Intereà ſputa nonnihil cruenta excernuntur : accedit delirium, & die morbi undecimo è vivis deceſſit.

Exenterato cadavere, reperitur pulmonum poſtica pars vicinis partibus firmiter hærens, plevrâ inibi inæquali, ſubnigrâ & craſſiore. Eadem pulmonum pars durior, denſior, compacta & nigra annotatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 96. Sexagenarius *febre* laborabat *acutâ*, cum *dolore* in ſiniſtrâ *thoracis* parte; quo in dorſum cubare cogebatur. Circà decimum morbi diem ingruit ſoporoſa affectio; inter quam moritur.

Aperto corpore, ſiniſter pulmo induratus reperitur. Ventriculus cordis dexter polypoſam recondebat concretionem. Ventriculi cerebri paululùm ſeri continebant. Vaſa cerebri concretione quâdam gelatinosâ obducebantur. CLAR. MORGAGNUS.

PULMONES OBS. 97. Quidam ſenex à paralyſi dextri brachii ante biennium liberatus & poſteà dolori capitis obnoxius, noviſſimè *peripneumoniâ* corripitur, cum dolore gravativo in ſiniſtrâ thoracis parte, & ſputo purulento; quo circà diem vigeſimum tertium ſufflaminato, ex improviſo mortuus eſt.

Reperitur pulmo ſiniſter tumidus & durus, cum ulcere ſanioſo. Cor concretiones polypoſas continebat. Aqua inventa eſt in ventriculis cerebri ad ſemi-libram. VALSALVA.

OBS. 98. In cadavere cujuſdam adoleſcentis octodecim annorum, *variolis* extincti, reperitur omentum lacerum & diſcerptum. Extremi hepatis lobi nigricabant. Cyſtis fellea cruorem nigricantem continebat. Erat inſignis copia cruoris in cavitate abdominis & pectoris. Pulmo dexter coſtis & dorſo annexus, inflammatus, & maculis nigris conſperſus cum non nullâ purulentiâ obſervatur. Lingua & fauces variolis obſitæ erant: ab iis immunis erat epiglottis, & aſpera arteria. BONETUS.

OBS. 99. Adoleſcentulus quindecim annorum inter gravem rixam patitur *contuſionem in pectore*, de dolore circà hanc partem queritur; etſi nulla læſio extùs conſpicitur. Capite multùm dolet, & ſyncope corripitur Poſteà inſurgit *febris* cum perpetuo *pectoris dolore*: huic additur *reſpirationis difficultas* cum tuſſi. Quibus ingraveſcentibus ſanguinea exſcreantur. Ingruunt delirium & convulſiones; ac circà decimum à contuſione diem obiit.

Aperto pectore inveniebatur pulmo dexter inflammatus & durus, arctèque plevræ annexus. VALSALVA.

OBS. 100. Juvenis viginti annorum *dolore* pungente corripitur in lævâ *pectoris* parte. *Difficili reſpirat*: multùm ſitit, & *tuſſit*; ſed nihil exſpuit. In affectam duntaxat partem decumbere valet; atque die decimo ſexto interiit.

Pulmo ſiniſter undique validè nectebatur cum proximis partibus; inſuper erat inflammatus, & circà claviculam jam ſuppuratus. Pericardium ingenti humoris copiâ erat dilatatum. Cor denique mole majus concretiones polypoſas recondebat. VALSALVA.

PULMONES

OBS. 101. Senex quatuor & ſeptuaginta annorum *lateris* dextri *dolore* gravativo prehenditur, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. Dolorem concomitatur *tuſſis* moleſtiſſima, *cum ſputo cruento*, & dolore capitis. *Febris erat vehemens*, cum pulſu duro & frequenti; ac tertio die moritur.

Secto cadavere, reperitur dextrum pectoris latus ſero repletum. Pulmo ejuſdem lateris durus, inflammatus & ater conſpicitur atque valdè compactus. VALSALVA.

OBS. 102. Juvenis annos plus viginti natus poſt chronicam *febrem*, in acutam incidit, cum *dolore pectoris*, *difficultate reſpirandi*, tuſſi, & paucæ materiæ ſanguineo colore tinctæ expuitione. Aſſiduè in ſiniſtrum latus jacebat. Circà decimum ſextum diem mortuus eſt.

Splen triplo major invenitur. Pulmo ſiniſter tumens, durus & inflammatus, plevræ undique annectebatur. Pericardium ſero, vaccino ſimili, diſtendebatur. Ventriculi cordis concretionibus polypoſis replebantur. VALSALVA.

OBS. 103. Mulier ſexagenaria, temperamento ſanguineo, *febre vehementi* prehenditur, *tuſſi ſiccâ*, & *lateris ſiniſtri dolore* pungente ſtipatâ. Haud tamen difficilis erat decubitus in hanc partem. Intereà craſſa aliquando expuit: *gravior fit reſpiratio*. Tandem die decimo tertio ad plures migrat.

Pulmo ſiniſter à plevrâ omninò ſolutus, ſubalbidus, induratus, nonnulla oſtendit tubercula ſanie ſcatentia. Dexter plevræ hærebat, nigris maculis conſperſus; versùs jugulum durior, parvum abſceſſum continebat. Cordis ventriculi concretiones habebant polypoſas. VALSALVA.

OBS. 104. Juvenis ſex & viginti annorum pungente corripitur *dolore* in dextrâ *pectoris* parte, cum *febre* & *tuſſi*, ac pauco ſputo. Die octavò accedit delirium. Dolor evaneſcit, ſed gravior fit *reſpirationis difficultas*; facili tamen decubitu in utrumque latus. Die autem decimo è medio tollitur.

Pulmones ambo toti induruerant, cum nonnullis hærentiis ad plevram. Prætereà ſubſtantia quædam membranacea, cruſtæ inſtar, plevræ & pulmonibus impoſita erat. Utrumque latus humore ſeroſo turbido ſcatebat. Cordis thalami concretiones polypoſas continebant. VALSALVA.

PULMONES

OBS. 105. Vir quinquagenarius *acutâ febre* corripitur, cum *laborioſâ reſpiratione*, & *dolore* à ſterno ad medios fermè abdominis muſculos pertingente. *Tuſſi* permoleſtâ conflictabatur ; & in neutrum latus decumbere poterat, nullo ſputo. Quinto morbi die occubuit.

Pulmo ſiniſter durus occurrit, ad ſubviridum colorem vergens, nigriſque diſtinctus maculis. Cum ſecaretur, ſerum & putrida colluvies, cum mixto ſanguine erumpebant. In cordis ventriculis aderant concretiones polypoſæ. VALSALVA.

OBS. 106. Puer quatuor annos natus *febre* continuâ laborabat, cum catarrho & *tuſſi* ſiccâ. Vomitus erat frequens, cum dejectionibus albicantibus. Inſurgunt dolores in hypochondriis, cum ſiti inexplebili. Præterea de *dolore ad ſternum*, versùs latus ſiniſtrum queritur. Ac ſecundo morbi die ſublatus eſt.

Una pars pulmonis, veluti ſtipulâ ardente, deflagraverat. Hepar inſuper eâdem fermè labe tactum deprehenditur. BALLONIUS.

OBS. 107. Nonagenarius qui ob *contuſum femur* cubabat, cum *febriculâ*, pulſu debili & intermittente. Tandem nullo alio accedente ſymptomate ad plures migrat.

Secto cadavere, rubens aqua invenitur in utroque pectoris cavo. Lobus inferior pulmonis dextri erat tumidus, durus & inflammatus. Cor in ſene alioquin macilentiſſimo, pinguedine erat opertum. Valvulæ ſemi-lunares craſſiores, tuberculoſæ ad duritiem oſſeam accedebant. MORGAGNUS.

OBS. 108. Quidam triginta annorum *difficili* corripitur *reſpiratione*, cum multo ſputo. De *dolore* in dextrâ *thoracis* parte, ineunte morbo, queritur ; deinde in ſiniſtrâ. Ac tandem decimo morbi die obiit.

Serum non multum erat in utroque thoracis cavo, cujus portio undique ſuper pulmones concreverat, tunicæ inſtar palleſcentis. Pulmonis dextri poſtica pars valdè rubebat, cum duritie ; & materiam purulentam recondebat. Pericardium æquo craſſius flaveſcente ſero turgebat. VALSALVA.

OBS. 109. Virgo ſexdecim annorum, ſuppreſſis menſibus cachectica, de *ardore* in ſiniſtrâ *pectoris* parte querula, repentè in *orthopnœam* laborioſam incidit, ut nullo modò poſſit decumbere; *cum ſenſu ponderis* opprimentis & *ſputo* catarrhali *cruento;* ac pulſu duro. Quarto morbo die, accedente extremorum frigore, ad plures abiit. PULMONES

Thorax ſero ſtagnante copioſo repletum occurrit. Totus pulmo ſiniſter valdè erat durus. Uterque cordis ventriculus concretiones polypoſas fovebat. VALSALVA.

OBS. 110. In cadavere ſenis quatuor & ſeptuaginta annorum *inflammationi pectoris* obnoxii, quâ tandem intrà octiduum extinctus fuit, pulmones undique plevræ erant annexi; pars dextri ſummè dura nigricabat. Circà apicem cordis inerat tuberculum, ceraſi magnitudine, intrà cordis ſubſtantiam ſitum, & extùs prominens; cujus involucrum denſum, album & inæquale materiam ſeroſam & mucoſam continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 111. In cadavere juvenis octodecim annos nati, quem *peripneumonia* graviſſimis ſymptomatibus ſtipata intrà paucos dies ſuſtulerat; inveniebatur pulmo dexter partibus circum ambientibus undique hærens; mediante materiâ quâdam glutinosâ & quaſi membranaceâ. Ejus ſuperior lobus duriſſimus & graviſſimus deprehendebatur. In ſiniſtro thoracis cavo multa aqua cruenta & nigricans ſtagnabat; non ſecùs ac in pericardio. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 112. Virgo octodecim annorum mœrore & ſollicitudinibus divexata, *febre malignâ epidemicâ* corripitur. Menſes ſubitò ſufflaminantur, & vires deficiunt, uſque ad lypothymiam. *Tumet abdomen cum difficili reſpiratione.* Ingruit dolor capitis lancinans, quem excipit delirium. Intereà pulſus inæqualis evadit, & quinto accedente morbi die, è medio tollitur.

Pulmo ſiniſter erat inflammatus & materiâ viſcidâ infarctus, cum ſeri ſtagnatione. Inteſtina paſſim inflammata occurrunt. E DIARIO MEDICO.

PULMONES

OBS. 113. Quidam rigore & *febre* quâdam *epidemicâ*, prehenditur; cum immani capitis dolore, æſtu & debilitate. Pulſus exploratur durus & intermittens. Secundo die erumpunt *petechiæ*. Succedit *hæmorrhagia narium*; ac demùm ſeptimo die, fatis ceſſit.

Conſpiciebant cerebri vaſa ſanguine turgida. Pulmo ſiniſter inflammatus & nigricans annotatur; dexter verò aridus & flaccidus. E DIARIO MEDICO.

OBS. 114. Mulier ſeptem & viginti annorum *febre* laborabat, *dolore* in ſiniſtrâ *thoracis* parte, *ſpirandi difficultate tuſſi* vehementi & pauco ſputo ſtipatâ: quibus perſiſtentibus & ingraveſcentibus ad æthereas ſedes convolavit.

Pulmo ſiniſter à poſteriori parte inflammatus & ſanie infarctus conſpicitur; etſi nullus apparebat abſceſſus. Præterea maculis nigris per ejus ſubſtantiam diſſeminatus defœdabatur. VALSALVA.

OBS. 115. Virgo vigeſimum ætatis annum agens *dolore* corripitur in ſiniſtrâ primum; hinc in dextrâ *thoracis* parte; in quam cubare minimè poteſt. *Tuſſit;* noctuque delirat. Tandem inter convulſiones moritur.

Secto cadavere pulmo nonnihil inflammatus conſpicitur. Siniſter multùm rubebat & arctè hærebat plevræ, mediaſtino, & diaphragmati. VALSALVA.

OBS. 116. Vir triginta annorum in *febrem* incidit, *cum rigoribus periodicis* & quotidianis. Accedit *delirium* triſte, & querulum. *Sanguis è naribus* quandoque prodit. Tandem migravit ad ſuperos.

Luſtratis interaneis, pulmonum pars poſtica dura & compacta, rubra & diſtenta deprehenditur. Lien inſuper mole major annotatur. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 117. In corpore cujuſdam virginis trigeſimum ætatis annum agentis, quæ jam ab aliquo tempore *orthopnœâ* laborabat, & ſubitò fuit extincta; in conſpectum veniebat pulmo dexter inſigniter ad intima uſque inflammatus, cum duritie ſummâ, & firmiſſimâ adhæſione cum plevrâ, atque pluribus ſuppurationis notis. BLASIUS.

OBS. 118. Quidam poſt varia mala ad imum ventrem attinentia, *dolore* in lævâ *thoracis* parte corripitur, cum difficultate in hanc cubandi, *tuſſi & ſputo*, quo ſuppreſſo circà decimum diem è vitâ exceſſit, PULMONES

Pulmonis ſiniſtri pars ſuperior tota in tumorem obduruerat, & plevræ etiam inflammatæ variis in locis adnectebatur. Dexter verò, etſi arctiùs hærens, ſanus deprehenditur. VALSALVA.

OBS. 119. Vir quinque & triginta annorum *febre* laborabat acutâ, cum *dolore pectoris*. Exacerbatâ febre accedit delirium; & die undecimo ad ſuperos migravit.

Pulmonum poſtica pars aliquantùm dura & rubra invenitur. Uterque cordis ventriculus concretionem polypoſam recondebat. Paululùm ſeri occurrit in cerebro; & plexus choroïdes lateris ſiniſtri varicoſus annotatur. VALSALNA.

OBS. 120. Quadragenarius duplici conflictatus herniâ, *thoracis dolore*, & *difficili reſpiratione* corripitur, cum difficili decubitu in dorſum. Multùm expuit, & erectâ cervice ſpirare cogitur. Decimo die extinguitur.

Luſtrato cadavere inveniuntur pulmones versùs dorſum inflammati & multùm duri; ac plevræ arctè accreti. Cor continebat concretiones polypoſas. VALSALVA.

OBS. 121. Vir quatuor & quinquaginta annorum qui *ex caſu* decubuerat per ſex dies ſinè ſenſu & motu; non poterat unquam jacere, ſed cogebatur ſemper in lecto ſedere, cum *perpetuâ ſpirandi difficultate*, & ſuffocationis periculo.

Poſt obitum ſectus exhibet pulmonem ſummè inflammatum, cum dextro cordis ventriculo, atro ſanguine repleto. RUMLERUS.

OBS. 122. Sexagenarius *dolore* prehenditur in dextrâ *thoracis* parte, cum *febre*, *ſiti*, & ſputo parco; faciliùs decumbens in dorſum. Dein ſputi copia major fit; quo circà undecimum diem ſuppreſſo, interiit.

Siniſter pulmo, etſi ſanus, undique plevræ adhærebat. Dexter

PULMONES verò à plevrâ ſolutus, ſummoperè inflammatus, versùs dorſum; deprehenditur, ut ſolidioris carnis ſubſtantiam referat. VALSALVA.

OBS. 123. Graſſabantur in Italiâ *febres ardentes* ſpuriæ, ad continentium naturam accedentes. Invadebant cum *dolore capitis lumborum*, & totius corporis; atque *ſiti*, comate vigili & *phrenitide*. Nonnulli vermes dejiciebant.

Sectis variorum cadaveribus inveniebantur phlogoſes præſertim pulmonum; vermes, & putredines circà viſcera naturalia. SYLVATICUS.

OBS. 124. Vir quinque & quinquaginta annorum de *dolore* queritur in medio *thoracis*. In dorſum duntaxat cubare poteſt, & erectâ cervice ſæpiùs ſpirare cogitur. Die morbi ſexto occubuit.

Poſtica pulmonis ſiniſtri pars multùm induruerat, & plevræ validè annectebatur; æque ac diaphragmati. Aqua erat in pericardio turbida; cum polypoſâ concretione in cordis ventriculo dextro. VALSALVA.

OBS. 125. Vir ætatis conſiſtentis *febre acutâ* corripitur, cum *dolore lateris*, *ſputo cruento*, aliiſque gravioribus ſymptomatibus peripneumoniam concomitantibus, quæ tandem lethum acceſſunt.

Hepar ingens totum epigaſtrium occupabat. Lien obſtructus erat. Pulmones duri & inflammati, ac nonnihil putridi conſpiciebantur. FANTONUS.

OBS. 126. Puella dies quatuordecim nata *ſtertore* afficiebatur, cum faciei rubore. Lactis ſuctionem reſpuebat; quibus per octo dies perſtantibus vivere deſiit.

Occurrebat copia bilis in ventriculo. Pulmones in poſticâ præſertim parte erant inflammati, cum variis maculis nigris in eorum ſubſtantiâ. VALSALVA.

OBS. 127. Quidam ſenex *catharrhali affectione* detinebatur. Nullus dolor erat in thorace, & ſatis benè ſe habere videbatur; etſi ad interitum vergebat.

Thorace aperto; lobus ſuperior pulmonis dextri tumidus, durus & ſanguine infarctus deprehenditur. CLAR. MORGAGNUS. PULMONES

OBS. 128. Puer quadrennis *febre* corripitur continuâ, *cum ſiti* intenſiſſimâ; quâ brevi extinguitur.

Luſtrato cadavere, reperitur pulmonis haud exigua pars phlogoſi tacta, cum livore unius lobi. Hepar quoque inflammatum occurrit. BALLONIUS.

OBS. 129. In cadaveribus variorum *peripneumoniâ epidemicâ*, ſævioribus ſymptomatibus ſtipatâ, denatorum, occurrebant toti pulmones mediâ exparte ſanguine putrido repleti, turgidi, ac mirum in modum indurati. COITERUS.

OBS. 130. Introſpecto cadavere cujuſdam mulieris *peripneumoniâ*, cum pulſu inæquali extinctæ, pulmones & hepar compactam habebant ſubſtantiam. Pericardium aquæ copiâ diſtendebatur; cum cordis ſcabritie. CLAR. MORGAGNUS.

His adde obſervationes Libr. I. 609, 613, 856, 1161, 1205, 1373. Libr. II. 58, 63, 65, 321, 517, 516, 696, 884 883, 886, 925. Libr. III. 33, 138, 369. Libr. IV. 60. Præterea vide *Plevræ inflammatio.*

---

## *Pulmones varioloſi & puſtuloſi.*

OBS. 131. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam pueri, à *repercuſſis variolis* extincti, in propatulum veniebant pulmones utriuſque lateris, variolis intùs & foris obſeſſi; ita ut nil prorsùs in iis ſani conſpiceretur. Annotabantur autem prædictæ puſtulæ varioloſæ in vigore ſuo maturæ, & pure turgentes; papularum ſcilicet cutanearum faciem referentes. Lien, non ſecùs ac pulmones, ſimili labe infeſtus erat. Nonnullæ etiam conſpiciebantur puſtulæ

PULMONES per tractum tubi inteſtinalis, quaſi gemmis diſtinctæ. Hepar verò intactum, & ſanum perſtiterat. KERKRINGIUS.

OBS. 131. (*a*) Puer quidam ſeptennis dolore capitis cum febre acutâ, & *ſpirandi difficultate* laborans tandem delirio corripitur: quibus demùm exacerbatis ad tumulum ducitur.

Luſtratis corporis interaneis cerebrum intactum apparet exceptis varicibus quibuſdam vix notandis. Viſcera abdominalia nullam labem contraxerant; ſed pulmones intùs & extùs tuberculis varioloſis ſcatebant. PORTAL

Inter affines numerari debet obſervatio Libr. III. 16.

## *Sanguinis effuſus intrà pulmones.*

OBS. 132. Vir quidam trigeſimum ſecundum ætatis annum agens pondus grave incautè elevare nititur; omneſque vires intendit. Paulò poſt ſentit *dolorem in lumbis*. Calorem, anxietatem & pruritum in pectore ſequitur, immanis *hæmophthiſis*; unà cum vomitu cruento. Pergente morbo exanguis evadit, æger, & in cachexiam incidit. Dein *febris* adoritur cum pulſu duro, *reſpiratione anxiâ* & celeri, colore intenſo. Demùm ſuppreſſis ſputis quadrageſimo morbi die obiit.

Reſerato pectore, in conſpectum venit ſiniſter pulmo partibus circumambientibus hærens, durus & atro tinctus colore. Diſſectus exhibuit ſaccum amplum cruore fœtidiſſimo, qualem vivens rejiciebat, repletum. CLAR. HASENOHRL.

## *Pulmones purulenti.*

OBS. 133. Quidam vertigine conflictatus, repentè concidit & obmutuit: deſignabat locum affectum ad dextrum latus. Convaluit; ſed anno elapſo in eumdem morbum incidit, cum *febre*, capitis dolore & jactationibus. De *dolore lateris* propè regionem hepatis querebatur; quem pungentem & lancinantem ſe ſentire narrabat. Vox deficiebat ac ſi pulmo aut confoſſus, aut perforatus, aut adhærens eſſet. *Nil purulentum expectoravit:* ac die morbi ſeptimo inter ſudorem pinguem interiit.

Aperto cadavere, deprehenſus eſt pulmo adhærens, tùm in parte dextrâ, tùm in partè ſiniſtrâ coſtarum; membranis utrinque liventibus. Circà gibbam diaphragmatis partem totus pulmo in pus &

ſaniem fœtentam liquefactus erat. Magna quoque puris copia transfluxerat inhepatis regionem, & inibi concluſa erat; adeò ut vomica videretur, & non erat. Totum corpus internum admodùm fœtebat. Hepar erat ſanum, non ſecùs ac lien. BALLONIUS.

PULMONES

OBS. 134. Mulier ſex & triginta annorum, utero geſtans, *pleuritide* lateris ſiniſtri corripitur; multaque *purulenta expuit*: nihilominùs *empyema* congeritur: ſi enim de dolore in latus ſe convolveret, fluctuationem manifeſtam, & ipſa & aſſidentes animavertebant. Celebratâ paracenteſi ingens puris copia prodiit, cum levamine. Sed tandem ægra tabe conficitur.

Pulmonum lobus ſiniſter, totus penè in putrilaginem abierat, per paracenteſim partim eductam. Particula ſuperioris lobi ſuperſtes erat. Plevra & diaphragma purulentiâ etiam defœdabantur. Cor ſolito majus deprehenditur. Pericardium plurimis puſtulis erat exaſperatum. Hepar tumidum occurrit & ſcirrhoſum. Pancreas penè totum conſumptum erat, cujus ductus ſolùm cum membranâ apparebat. MANGETUS.

OBS. 135. Vir quinquagenarius à pluribus annis *tuſſi* moleſtiſſimâ vexatus & macilentus, de *dolore* quodam gravativo *in thorace* querebatur. *Difficilima erat reſpiratio* cum ſputo ſordido, & fœtidiſſimo. Veſperè calores vagos & horripilationes, ſæpiùs repetentes habuit. Noctes fuerunt anxiæ. Ac demùm fatiſcentibus viribus vivere deſiit.

Pulmo dexter ſubniger & totus ferè ulceribus exeſus erat. Siniſter in unum corpus rotundum, durum & ſcirrhoſum concreverat, plevræ firmiter accretus; ac in nonnullis locis perfectè cartilagineus, recondebat binos abſceſſus, calloſos, ſanie acerrimâ ſcatentes, & in bronchia hiantes. Dexter cordis ventriculus ſummè dilatatus concretione polypoſâ replebatur. CLAR. STORCK.

OBS. 136. In cadavere fœminæ trium & triginta annorum, *phthiſi*, & *hydrope*, denatæ, occùrrit pulmo dexter ſcirrhoſus, & partim è ſanie acerrimâ exeſus. Siniſter abſceſſulis refertus firmiſſimè cum coſtis concrevit, & ibi ſaccum efformavit pure plenum, quod ſenſim plevram conſumpſit, & arroſit coſtas. In abdomine fluctuavit multum ſerum flavum & turbidum. Omentum craſſum cartilagineam duritiem habuit. Inteſtina erant livida & ſemi-gangrænoſa. Cyſtis felea tres & quinquaginta, ſuprà centum, calculos recondebat. CLAR. STORCK.

PULMONES

OBS. 137. Quidam *peripneumonia* corripitur, quâ pluries jam laboraverat. Tuſſis erat ſicca, cum vomitu bilioſo & viridi. Quinto die ingruit phrenitis, cæteris graviſſimis ſymptomatibus ſtipata. Viribus tandem deficientibus ſeptimo à primo inſultu die fatis ceſſit.

Secto cadavere occurrit ſiniſter pulmo tuberculoſus, inflammatus & purulentus, plevra erat ſimili labe affecta. Cerebrum exhibet vaſa ſanguinea plus æquo turgida, & colluviem ſubcruentam in omnibus ſuis receſſibus, & anfractibus, cum variis hydatidibus in plexu choroïdeo. CLAR. MGRGAGNUS.

OBS. 138. Mulier cachectica *ſpirandi difficultati* obnoxia, poſt *febrem quartanam*, & *varios catharrhos*, ſuffocationis periculum ſæpius incurrit. Febris jam diuturna excandeſcit; cum ſiti & vigiliis perpetuis. Lingua erat arida; urina decolor cum ſedimento purulento. Vomitus urget, cui diarrhæa ſeſe adjungit. Intumeſcunt venter & pedes. Ingruit tandem lethalis ſopor.

Aperto cadavere, pulmones reperiuntur retorridi, & multo tabo purulento prægnantes. Dextri thoracis ſpatium magnam aquæ copiam continebat; qui latex etiam obſervatur in cranio, & abdomine. CAR. PISO.

OBS. 139. Quædam noctu horrore concutiebatur, ſubſequente *æſtu totius corporis*, cum *dolore lateris dextri punctorio*. Singulis horis dolor incrementa ſumpſit, cum *tuſſi* frequenti. Parcum erat *ſputum cruentum*. Dolor à latere quandoque ad collum uſque pertingit, qui tamen nec continuus, nec unâ ſede fixus, permanſit. Accedunt virium languor, & delirium lethale.

Pulmo dexter firmiter plevræ adhæſit; quo avulſo reperitur ſerum pallidum ad duas circiter libras in poſticâ pectoris cavitate. Pulmo hujuſce lateris magnus, durus & variegatus recondebat majorem materiæ purulentæ, & ichoroſæ copiam. ROLFINKIUS.

OBS. 140. Quidam febre continuâ cum *dolore lateris plevritico* corripitur. Accedunt dolor capitis, ſitis & vigiliæ, pulſu inæquali. Pergente morbo ingruit delirium; ac demùm ſopor, quem circà vigeſimum diem mors excepit.

Pulmones ob creberrimas maculas omninò ferè livebant: inciſi nigricabant: preſſi pus viſcidum emittebant; cæterùm utrinque adnati. In dextro latere ſtagnabat quidam humor gelatinoſus. Pericardium

cardium & cor erant monſtroſa. Materia quædam alba, viſcida & craſſa, corticis inſtar, cor ambiebat. In abdomine verò invenitur omentum putridum cum pravâ aliorum viſcerum conſtitutione. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

PULMONES

OBS. 141. Juvenis calidi & ſicci temperamenti, eryſipelate cruris eodem anno bis infeſtatus, inſignem perſenſit *rigorem in latere thoracis ſiniſtro*, quem excipit *calor intenſus*, cum *tuſſi* primò ſiccâ, poſteà humidâ; *ſputo cruento* & ingenti *ſpirandi difficultate.* Increſcente morbo excernit purulenta in magnâ copiâ, duarum ſeptimanarum ſpatio; dein ſanguinem purum. Tandem dejicit per alvum ſanguinem nigrum, grumoſum & fœtidiſſimum; adeò ut adſtantes pulmones, & jecur excerni putaverant.

Aperto cadavere invenitur ingens apoſthema pleuriticum in latere ſiniſtro, quod pulmonem ſimul occupaverat, eumque totum fermè abſumpſerat. Ventriculus inſuper & inteſtina grumoſo ſanguine ſcatebant. ROLFINKIUS.

OBS. 141. (*a*) Mulier vix quintum luſtrum emenſa fluore albo, doloribus in abdomine & coſtis ſtipato laborabat. Vires deficiebant & ardore urinæ querebatur, cum ingruit vomitus qui notiſſimis remediis impugnatur. Intereà paucior fit fluor albus & ſenſim pluries deſinit. Hanc ſufflaminationem preſſo pede ſequitur tuſſis cum ſputo pituitoſo, dein cruento, ac demùm purulento. Accedunt febris lenta & tabes quæ brevi ægram ad libitinæ rationem ducunt.

Plus æquo tumebant inteſtina tenuia & conſtricta occurrebant craſſa. Meſenterium obſtructum deprehenditur. Pulmones partibus ambientibus hærebant. Reperiuntur in latere ſiniſtro binæ glandulæ bronchiorum nucem æquantes, materiam ſebaceam continentes. Pulmones erant paſſim exulcerati & ſanioſi, & tuberculis ſcatentes. RAULIN.

OBS. 142. Homo quatuor & viginti annorum, catarrhis obnoxius, in *difficilem reſpirationem* incidit, cum *tuſſi* & anxietatibus. Pauca excernuntur ſputa, & glutinoſa. Morbus in dies exacerbatus latentis *vomicæ ſuſpicionem* movet, cùm accedunt horripilationes circà veſperam; & febricula hectica cum *ſputo purulento.* Dein ingruunt ſudores nocturni & diarhæa colliquativa, quæ ægrum jam macie confectum, citò abſtulerunt.

Superficies dextri pulmonis varias vomicas exhibebat. In ſectâ ejus ſubſtantiâ totâ purulentiâ defœdatâ, plura conſpiciebantur ulcera ſanioſa, & ſordida. CLAR. HASENOHRL.

PULMONES

OBS. 143. Quidam de *dolore* fixo & pungente *ad nothas coſtas* querebatur. Sequenti die, dolor relictâ ſede priore, ad orificium ventriculi pertinebat. Thoracem omnino dilatare non poterat. Vigebat *febris*, cum *tuſſi* vehementi. Ingraveſcit *ſpirandi difficultas;* & circà ſeptimum diem periit.

Semi-putris erat pulmo; & ità contumaciter ad latus dextrum adhæreſcebat, ut vix avelli potuerit. Abſceſſus in eâ parte erat, qui ſuâ mole & magnitudine ferè ad nothas coſtas deſcendebat. Ren ſiniſter planè putris repertus eſt; cum duobus calculis in veſicâ BALLONIUS.

OBS. 144. Vir triginta annorum in *phthiſim* venit. A primo morbi inſultu vox intercepta fuit. Sex antè obitum menſibus erumpit tumor infrà mentum, durus, quo in dies creſcente impedita fuit ſolidorum deglutitio: hinc ſolis potulentis vitam protraxit; donec penitùs interceptis loquendi reliquiis, è vitâ migraret, planè emaciatus.

Pulmones, cum nonnullis hærentiis, materiâ purulentâ infarcti erant; quæ ſectione extillabat. Aqua fuſca & copioſa erat in pericardio. Omentum ferè conſumptum animadvertitur. Nullum inſuper apparuit tumoris in cervice veſtigium. BARTHOLINUS.

OBS. 145. Quidam nobilis *arthritide*, *ſebre* & ſopore corripitur. Decimo quinto morbi die derepentè acceſſit *reſpirandi difficultas*, cum *dolore pectoris* gravativo, & tuſſiculâ. Quatuor elapſis diebus evaneſcit dolor; ſuperveniente ſopore cum genarum rubore. Sputa toto morbi tempore fuerunt alba, viſcida, ſpumoſa & rotunda. Tandem febre, & ſpirandi difficultate increſcentibus, vigeſimo ſecundo à primo inſultu die obiit.

Secto cadavere reperiuntur pulmones inſigniter tumidi & quodammodò exeſi. In iis humor albus, tenax & purulentus deliteſcebat. CAR. PISO.

OBS. 146. Sexagenaria pinguis & deſes quindecim abhinc annis *ſpirandi difficultate* laborabat. Obnoxia erat inſuper *eryſipelati tibiarum*. Pulſus explorabatur intermittens: deinde oculus dexter clauſus apparebat. Poſtremò ſemiplegiâ tacta interiit apoplectica.

Exenterato cadavere, præter ſplenem putridum, conſpiciuntur pulmones lividi & lymphatico humore perfuſi. Siniſter multo pure, & fœtido, ſcatebat. Dexter cordis thalamus intùs non ſolùm excoriatus; ſed putridus & exulceratus deprehenditur. MANGET.

OBS. 147. Quidam, poſt multos animi & corporis labores, in *febrem continuam* delapſus eſt, cum rigore invadentem. Aderat magna *reſpirandi difficultas*, cum tuſſi & pituitæ albæ exſputitione, interdùm etiam putridæ. Genæ intenſè rubebant; & difficillimus erat decubitus in ſiniſtrum latus. Urgebant vigiliæ; & lingua nigricabat. Tandem omnibus ingraveſcentibus ſymptomatibus decimo quarto die migravit ad ſuperos.

Inter ſectionem cadaveris, inventus eſt tumor in parte ſiniſtrâ pulmonis è cujus ſectione materia fœtida fuit educta. Prætereà reperitur ingens lapis totam veſiculam felleam replens. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 148. Mulier per annum & unum dimidium querebatur de ſiccitate linguæ, *ſiti* & *æſtu* vehementi *thoracis*. Omnia ſicca erant; nil expectorabat, ne tuſſiebat quidem: cùm poſteà per viginti dies continuos de *dolore ſiniſtri lateris* quæſta fuiſſet; cùm *orthopnœâ*, & ſummâ inquietudine, fatis conceſſit.

Aperto thorace in conſpectum venit thorax immani purulentiâ defœdatum, cum ſummè labefactatis pulmonibus & membranis. Tanta enim erat copia colluviei purulentæ, ut omnem ſuperaret fidem. BALLONIUS.

OBS. 149. Mulier circà ſeptimum graviditatis menſem cœpit *ſanguinem expuere*, *cum tuſſi & ſtertore*. Poſt quinque dies, deſiit ſputum cruentum; & tuſſis ſicca relicta eſt. Paucæ eruperunt purgationes in partu. Quinto à partu die exſurgit *febris ardens*, cum levi *dolore lateris*. Poſt biduum miteſcit febris; ſed difficilis eſt decubitus in dextrum latus. Intereà lateris dolor exacerbatur; ingraveſcit *ſpirandi difficultas*, cum ſputo cruento. Ac demùm febre lentâ conficitur.

Luſtrato cadavere inventi ſunt pulmones coſtis hærentes, purulentiâ conſpurcati, & putres. FERNELIUS.

OBS. 150. In cadavere cujùſdam *phthiſici*, pulmones tumidiuſculi, partim humore lutulento è parenchymate leviter compreſſo exeunte, partim flatibus inveniebantur. Lobus dexter præ aliis erat vitiatus nullâ interim præſente ulceris notâ. In dextro latere ſerum ad uncias duodecim fluitabat. Jecur in maximam molem excreverat, parte dextrâ omninò durâ & ſcirrhoſâ. Nulla erant penè omenti veſtigia. Pancreas abſumptum duas membranas ſibi incumbentes referebat. BONETUS.

PULMONES

OBS. 151. Artifex plumbarius *colicâ Saturninâ* corripitur, cum *febre*, *ſpirandi difficultate*, & *dolore in hypochondrio* dextro. Venter tumet cum tenſione; & brevi accedit mors.

Inteſtina flatu erant ultrà modum diſtenta, & præſertim pars epigaſtrica coli, quâ proximior hepatis pars quaſi contuſa ecchymoſim exhibebat. Pulmo dexter materiâ ichorosâ & purulentâ infarctus obſervatur. Siniſter ſimili labe tactus cruſtâ quâdam mucosâ obducebatur, cum copioſo ſtagnante ſero. E DIARIO MEDICO.

OBS. 152. Mulier ſexdecim annorum non menſtruata *tuſſi catarrhali* per aliquot dies conflictabatur, cum ſubitò corripitur *febre vehementi*, nullo prævio frigore, ſed *dolore lateris dextri* pectoris ſtipatâ. Progrediente morbo, febris & tuſſis exacerbantur; tumet abdomen, & decimo die obiit.

Pulmo dexter pure infarctus & ſemi-putridus plevræ hærebat. Serum ſtagnabat in utroque latere, non secùs ac in pericardio. Cordis thalami, cum appenſis auriculis polypoſas concretiones, & ampliſſimas recondebant. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 153. Fœmina trium & viginti annorum, quæ ab octodecim menſibus menſtruis purgationibus carebat, ob terrorem; ab octo menſibus *anhæloſa* & aſthmatica, *tuſſi* corripitur moleſtiſſima, *ſputo* cum craſſo & *purulento*. Demum tabida fatis ceſſit.

Reperiuntur circà ventriculum glandulæ conglobatæ quaſi ſcrophuloſæ, cum multis hydatidibus. Inteſtinorum exterior membrana exeſa erat. Pulmo dexter coſtis undique annexus; cujus dexter lobus durior & firmior; ſiniſter verò materiâ purulentâ, & fœtidâ ſcatebat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 154. Puer *tumorem ponè aurem* ſiniſtram ad juncturam maxillæ inferioris radicatum patitur, uſque in collum protenſum, cum dolore ardente & *febre acutâ*. Accedit *difficilis anhelitus*, cum tuſſi ſiccâ & pertinaciſſimâ; ac tandem de medio tollitur.

Exenterato cadavere inveniebatur inſignis purulentia in ſiniſtro pulmonum lobo, cum magnâ diaphragmatis adhæſione prædictâ purulentiâ conſpurcatâ. BONETUS.

OBS. 154. (*a*) Vir quidam quadragenarius abſque causâ evidente *in febrem lentam* incidit, quâ perdurante, fatis ceſſit.

Luſtrato cadavere magis quàm par erat obeſo in propatulum veniunt gandulæ meſentericæ adeò diſtentæ ut totam fere abdominis occuparent capacitatem; ſubſtantiâ ſteatomatosâ ſcatebant quæ nunc magis nunc minus ſolida erat & pulmones purulentiâ deſœdabantur. Præſertim glandulæ bronchiorum bifurcationi adnatæ PORTAL. PULMONES

OBS. 155. In cadavere cujuſdam matronæ octo & triginta annorum *phthiſi* extinctæ, occurrit pectus aquâ repletum, cum pulmone ſiniſtri lateris ferè abſumpto, cujus pars ſuperſtes purulenta conſpiciebatur. Ingens erat cordis moles, cum aquæ unciis quinque in pericardio. Circumferentia valvularum ſemi-lunarium ſiniſtri ventriculi oſſea deprehenditur. Lien ſcirrhoſus obſervatur, cum appendice ovum columbinum æquante. HORSTIUS.

OBS. 156. Quidam à *pleuritide malignâ* incidit in *febrem lentam* cum *ſpirandi difficultate* & *ſputo purulento*. Dein vigiliis perennibus & diarrhæâ pertinaciſſimâ conflictatur; ac tandem, mente ad mortem ſanâ, atrophiâ conficitur.

In conſpectum venit pulmo ſiniſter undique plevræ & pericardio firmiter adnatus. Parenchyma totum fermè erat eliquatum in pus craſſum. Pulmo dexter paſſim vomicas recondebat. HEURNIUS.

OBS. 157. Quidam *aſthmate* jamdiu laborans, in ſiniſtrum latus cubare non poterat. Pulſus erat formicans; & tandem ſubitò moritur.

Aperto thorace reperitur in cavitate dextrâ aqua putrida ad libras quindecim. Pulmo inibi prorsùs erat conſumptus; adeò ut vix tantillum de ejus ſubſtantiâ reſtaret. Aderat ſimul vomica inſtar ovi gallinacei. Vaſa erant purulenta. Pericardium erat aquâ repletum. SALMUTHUS.

OBS. 158. Puer duodecim annorum *phthiſicus*, poſt plurium hebdomadarum decubitum, tandem extinguitur.

Aperto thorace, mediaſtinum putrefactum, fruſtulatim apparuit. Pulmo albicans innumeris puſtulis undique ſcatebat, quæ diſciſſæ craſſum pus fundebant. In pericardio ultrà decem cochlearia aquæ citrinæ fluctuabant. In hepate & liene plurimæ puſtulæ albicantes etiam obſervantur. SEGERUS.

PULMONES OBS. 159. In cadavere *phthiſicæ* quadragenariæ poſt ſanguinis, puriſque ſputum, & diuturnum languorem extinctæ, repertum eſt in dextro pulmone inſigne ulcus, ovi anſerini capax, cum purulentiâ per totum parenchyma. Jecur inſignis magnitudinis bile diffusâ oppletum animadvertitur, quâ etiam ſcatebant ventriculus & inteſtina. MANGETUS.

OBS. 160. Puerpera, *lochiis ſufflaminatis*, *febre & dolore lateris* ſiniſtri corripitur. Hic ſtatus dies penè triginta perſiſtit. Non erat gravis ſpiritus: non multum tuſſiebat: nullùm erat ſputum.

Poſt obitum ſecta exhibet partem ſiniſtrum pulmonis magnâ ſui parte emaciatam, & tabo infectam. Stagnabat pus in cavitate ad plures libras: tamen nullus erat fœtor. BALLONIUS.

OBS. 161. Juvenis vino deditus *violentâ* & diuturnâ *tuſſi* tangitur, tempore nocturno præſertim affligente. Sputum erat rotundum, poſteà virulentum, & ex albo vireſcens. Succedit *hæmophthiſis*, cum febre circà veſperam recrudeſcente. Adeò emaciatus fuit ut oſſa vix cute obtegerentur. Poſteà diarrhæâ ſuperveniente omninò vivere deſiit.

Exenterato cadavere inveniebantur pulmones utrinque fœtidiſſimo pure conſpurcati. BLANCARDUS.

OBS. 162. Virgo poſt *inſolationem* capite dolebat, & *tuſſiebat;* cùm exſurgit febris exacerbationibus ſerotinis ſtipata. Ingruunt anxietates, & crebrior tuſſis ſicca. Sitis erat inextinguibilis, cum *ſpirandi difficultate.* Octavo die, erumpit alvi fluor ſymptomaticus; & nono interiit.

Deprehenditur totum latus ſiniſtrum, unà cum pulmone purulentiâ defœdatum. BALLONIUS.

OBS. 163. Quidam horâ meridianâ *dolorem* ſenſit *circà fauces* & *laryngem*, cum *difficili deglutitione.* Doloribus recrudeſcentibus, nocte proximâ ſubitò ſtrangulatus interiit.

Reperta eſt pulmonis ſubſtantia in pus converſa, cum abſceſſu in

uno latere. Nulla tuſſis huic anteà fuerat moleſta, neque ſanguinis ſputum præceſſerat. Sano, validoque corpore eo uſque viſus fuerat; imò & obeſus. DODONEUS. PULMONES

OBS. 164. Mulier quinque & triginta annorum, jamdiù *phthiſica*, incidit in *leucophlegmatiam ;* parco urinæ proventu. Dein ſuppreſſis ſputis, ſuffocata interiit.

Invenitur pulmo dexter purulentus cum ſtagnante majori ſeri ſanioſi copiâ. Mediaſtinum variis maculis gangrænoſis erat ſignatum. Pulmo ſiniſter erat ſanus; non ſecùs ac alia viſcera. E DIARIO MEDICO.

OBS. 165. Quidam conſiſtente ætate, cachecticus *anhelus* & *raucus*, cum ſputo variè colorato, inter tuſſim excrevit fruſtum curvi oſſiculi. Poſteà facilior fuit reſpiratio. Repentè tamen moritur.

Pulmones intùs & extùs folliculis pure plenis ſcatebant, quorum majores ad uvæ acinum accedebant. Pericardium multum aquæ turbidæ continebat. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 166. Quidam ebrius *lapide feritur in capite :* tumor hinc emergit exiguus, qui litu oleorum brevi diſcutitur; adeò ut paulò poſt ad compotationem rediret æger, qui dein *febre* correptus è medio tollitur.

In capite intùs & extùs omnia ſaniſſima reperiebantur. Pulmones verò toti purulenti & abſceſſibus referti occurrunt. HENR. AB HEERS.

OBS. 167. Vir ſeptuagenarius graviſſimo & acerbo *lateris dolore*, cum *febre ardentiſſimâ* correptus, opportunis præſidiis curatur. Poſt annum recurrit idem morbus vehementior, quo quinto die è vivis tollitur.

Secto cadavere, conſpiſciuntur in ſiniſtro latere pulmones ſuppurati; ubi ſcilicet dolor magis ſæviebat. POTERIUS.

OBS. 168. Quidam *arthriticus* in *febrem acutam* ſopore, aliiſque

PULMONES gravioribus ſymptomatibus ſtipatam, incidit. Progrediente morbo inſolita accedit *ſpirandi difficultas* : ac demùm decimo quinto morbi die obiit.

Pulmo reperiebatur inſigniter tumidus & quodammodò exeſus; paſſim recondens humorem album, tenacem & purulentum. CAR. PISO.

OBS. 169. In cadavere cujuſdam jamdudùm de *aſthmaticâ* conſtitutione queruli, pulmonis dextri ala, tùm ſuperior, tùm inferior empyemate infecta erat: ità ut in ſuperior ingens vomica, pugni capacitate, exiſteret; pulmonibus undequaque pure tenaci obſitis. HEURNIUS.

OBS. 170. In cadavere puellæ octennis *febre hecticâ* interemptæ, uterque venter ſero lento repletus erat; non ſecùs ac pericardium. Pulmo ſiniſter totus purulentus occurrit, & plevræ firmiter agglutinatus. Glandulæ meſentericæ inſigniter tumefactæ materiam continebant pinguem & albiſſimam. BLASIUS.

OBS. 171. Quidam vegetæ ætatis in *febrem dolore in regione hypochondriacâ* ſiniſtrâ ſtipatam incidit, & vigeſimo primo morbi die occubuit.

Secto cadavere invenitur pectus aquâ repletum. Pulmo ſiniſter purulentiâ conſpurcatus annotatur; plevra ſimilis labe tacta. Poſtremò lien erat maximus. CRENDAL.

OBS. 172. In cadavere pueri triennis *tabe confecti*, lien craſſior & durus deprehenditur, cum aquâ purulentâ ſtagnante in abdomine. Luſtrato pectore occurrit pulmo dexter purulentus: ſiniſter verò colluviei ſeroſæ innatabat. EX ACT. PH. MED. GERMAN.

OBS. 172. (*a*) Introſpecto cadavere puellæ unius anni, gravi *orthopnœâ* enecatæ, in propatulum veniebat pulmo dexter fermè totus purulentiâ defœdatus. CLAR. HALLER.

OBS. 173.

PULMONES

OBS. 173. In cadavere *phthiſici*, pulmones ſubſtantiâ & colore ſani extùs adparebant. His tamen diſſectis exiit pus copioſum, viride & fœtidiſſimum. Dexter pulmonum lobus coſtis adnatus cernebatur. BONTIUS.

OBS. 173. (*a*) Secto cadavere pueri annotini *ſpirandi difficultate* vel oppreſſione rapti, deprehendebatur pulmo dexter pure albo, cocto & craſſo ſcatens. HALLER.

OBS. 174. In cadaveribus variorum *ſcorbuticorum* pulmones inveniebantur purulenti, arctè plevræ, mediaſtino, pericardio, & diaphragmati hærentes. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 174. (*a*) Luſtratis interaneis juvenis cujuſdam varioliſ perempti viſcera tùm pectoris, tùm abdominis puſtulis varioloſis obruta conſpiciebantur, & pulmones abſceſſum maximum intùs recondebant. PORTAL.

OBS. 175. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam *tabe* extincti, in apricum veniebant pulmones utrinque, cum plevrâ purulentiâ conſpurcati. RHODIUS.

OBS. 176. Cadaver cujuſdam *pleuritici* circà nonum morbi diem ſublati exhibebat univerſum thoracem pure prægnantem. CAR. PISO.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 23, 425, 517, 520, 558, 602, 743, 867, 898, 936, 967, 1011, 1025, 1132, 1215. Libr. II. 5, 410, 449, 600, 649, 660, 663, 674, 679, 694, 754, 780, 885, 916. Libr. III. 76, 105, 529. Libr. IV. 72, 118, 172, 209. Cæterùm vide *Pulmonum inflammatio. Plevræ inflammatio*, *Purulentia*, *Gangræna*, *Colluvies ſordida*, &c.

## *Pulmonum abſceſſus.*

OBS. 177. Juvenis viginti annorum *febre lentâ* corripitur cum *tuſſiculâ*. Corpus extenuatur & collabuntur vires, cum *hypochondrio dextro tumido*. Intereà *reſpiratio fit difficilis*, & erumpunt *ſputa cruenta*. Dein febris hectica exacerbatur; & macie confectus æger ad libitinæ rationem ducitur.

Luſtratis interaneis, hepar nonnihil ſcirrhoſum deprehenditur; cum omento ſummè extenuato, & ſeroſâ colluvie in abdomine. Pulmones pericardio, plevræ & diaphragmati ità adhærebant, ut illos integros divellere minimè liceret: vomicis purulentis hinc inde erant pleni. Plevra erat craſſiſſima. Pericardium ichore copioſo vireſcens diſtendebatur. Cordis ambitum cruſta quædam candicans, levi ſcalptione ſeparabilis obtegebat. HARDERUS.

OBS. 178. Mulier novem & viginti annorum, quartâ puerperii hebdomadâ, ingentem *dolorem* perſenſit *infrà dextram claviculam*, qui poſt octo dies deſcendit infrà mammam acerbior, cum *febre*, *anguſtiâ pectoris*, cephalalgiâ, & lypothymiis. Poſt quatuordecim dies erumpit tumor infrà mammam, ſenſim faceſcens in abſceſſum; è quo aperto puris copia educitur. Tertio die ſubſecuta eſt hæmorrhagia per inflictum vulnus, vix cohibenda cum *dyſpnæâ*; quâ ſæpiùs recurrente & ingraveſcente; tandem quadrageſimo ſeptimo morbi die obiit.

Invenitur ingens vomica, ſiniſtrum pulmonem magnâ ex parte corrodens, & ad cordis ſubſtantiam pertingens. Hepar maximum erat & ſcirrhoſum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 179. Vir quidam foco aſſidens inter pocula, mox ab inſpirato aëre frigidiſſimo ad veſicam exonerandam, vehementi *ſpirandi difficultate* premitur, *imminente ſuffocatione*; dein pulſus oblitteratur & erumpit ſudor frigidus. Opportunis adhibitis remediis reſtituitur; ſed remanente diſpnæâ; quâ perſiſtente & ingraveſcente, tandem poſt unum vel alterum menſem extinguitur.

In ipſius pulmonis inferiori ſede & baſi, quâ ſcilicet dia-

phragmati incumbit, deprehendebantur duo abſceſſus; unus in dextro latere, alter in ſiniſtro. DODONEUS.



OBS. 180. Mulier ſexagenaria prehenditur *dolore* pungente in dextrâ *thoracis* parte, ut in hanc cubare nullo pacto poſſet. Intereà *tuſſi* vexatur; pauca exſpuit; *reſpiratio difficilior* evadit. Dein proſternuntur vires; & ſenſim deficiente pulſu, ægra quoque deficit.

Uterque pulmo plevræ hærebat: dexter totus induruerat & abſceſſum recondebat, pure ſeroſo & fuſco turgidum; cum nonnullis gangrænæ notis. Pericardium multam aquam continebat. Ac uterque cordis ventriculus concretionibus polypoſis ſcatebat. VALSALVA.

OBS. 181. Sexagenaria quædam obeſa *thoracis dolore* in dextrâ parte prehenditur, cum *febre vehementi*, *ſiti* immani & *ſpirandi difficultate*. Urgent laſſitudines; mens torpida fit & ſubdelira. Dein ſputum excernitur glutinoſum & pure conſpurcatum. Reſpiratio fit laborioſior: accedit delirium manifeſtum; & duodevigeſimo die ingruit mors.

Inſtitutâ cadaveris anatome, in conſpectum veniebat pulmo dexter inflammatus, & abſceſſum puris copiâ turgentem recondens. VALSALVA.

OBS. 182. Puer decennis *febre* miti & *continuâ* decumbebat, cum ſiti, vigiliis & *dolore ſub axillâ dextrâ*. Febris præſertim noctu exacerbatur: vires concidunt; ac urinæ minguntur turbidæ & nigricantes. Accedit *ſpirandi difficultas*; & moventur narium pinnæ. Tuſſis fit crebrior, cum ſputo nonnihil purulento. Decimo tandem morbi die fatis ceſſit.

Inter exenterationem cadaveris deprehendebatur vomica purulenta in pulmone ſiniſtro, cum effuſo pure in cavum pectoris. FABER.

OBS. 183. Quædam mulier *cordis palpitationibus* obnoxia; tandem erumpente enormi *hæmorrhagiâ*, diem ſuum obiit.

Luſtrato cadavere, pulmones reperiuntur variis abſceſſibus referti. Alter pulmonum lobus lateri hærebat. In dextro cordis ventriculo portio materiæ cujuſdam membranaceæ continebatur, quæ partim

PULMONES etiam in venâ cavâ contenta, craſſioris & oblongi lumbrici ſimilitudinem exibebat. PUERARIUS.

OBS. 183. (a) Virgo adulta *inflammatione pectoris* corripitur, gravioribus ſymptomatibus ſtipata. Procedente morbo, erumpunt *exanthemata;* ac demùm ſeptimo morbi die ad ſuperos migravit.

Introſpecto cadavere, occurrit in dextro pulmonis lobo, imo loco; abſceſſus magnus, pure flaveſcente plenus. Nullum erat in plevrâ vitium; etſi hic affectus pleuritidis nomine vulgò innoteſcit. CLAR. HALLER.

OBS. 184. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam *phthiſici*, ſiniſter pulmo aquæ innatabat, cum variis hydatidibus plevræ & diaphragmati adnatis. Similem aquam citrinam pericardium continebat. Dexter autem pulmonis lobus undique plevræ, mediaſtino & diaphragmati adnatus deprehendebatur: inciſum parenchyma vomicas parvas lento ichore turgidus exhibebat. HEURNIUS.

OBS. 185. In cadavere puellæ ſex menſes natæ, inter *febrem tuſſi, difficili reſpiratione*, aliiſque gravioribus ſymptomatibus ſtipatam, extinctæ; in conſpectum veniebat inſignis pulmonis dextri vomica, libras circiter duas puris albi & cocti continens. Pulmo affectus plevræ, pericardio & diaphragmati arctiſſimè cohærebat; alioſque minores abſceſſus paſſim recondebat. EX ACTIS HAFNIENSIBUS.

OBS. 186. Mulier triginta annorum *febre & deſtillatione veteri in pulmones* laborabat, fœtum geſtans octimeſtrem. Elapſis decem horis poſt partum è medio tollitur.

Iuventus eſt uterus ſanguine congrumato plenus; toto ventre flatibus tumente. Ren dexter purulentus conſpiciebatur; hepar majus, aridum & quaſi frixum. Reſerato pectore, in apricum veniebat abſceſſus in pulmonium ſubſtantiâ. HOLLERIUS.

PULMONES

OBS. 187. Quidam *febre continuâ* prævio rigore corripitur, cum ſiti & linguâ aſperâ. *Dolorem* gravativum perſentiebat *in pectore*. Denſa erat reſpiratio cum tuſſi nunc ſiccâ, nunc humidâ. Sputa craſſa, ſubflava & cruenta ægrè dejiciebantur. Intereà floccos carpit, & ſeptimo die delirans obiit.

Reperitur in altero pulmone abſceſſus, è quo multa materia fœtens prodiit. LÆLIUS A FONTE.

OBS. 188. Puer duodecennis *febre lentâ* laborabat, quæ tandem exacerbatur cum *lateris dolore* & *ſpirandi difficultate*. De torminibus ventris nonnihil tumidi querebatur. Intereà cùm in pejus omnia laborentur occubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, reperta eſt vomica in dextro pulmone, cum pure ſtagnante in cavo ejuſdem lateris. FABER.

OBS. 189. Examini ſubjecto corpore cujuſdam *phthiſici*, deprehendebatur ſiniſtra pulmonum pars firmiter plevræ, coſtiſque adnata; & tota ejus ſuperficies innumeris ulcuſculis exeſa. In dextrâ parte vomica conſpiciebatur, nuci moſchatæ æqualis; pure fœtidiſſimo repleta. Pericardium ſerum copioſum recondebat. BONETUS.

OBS. 190. Adoleſcens poſt *peripneumoniam*, *tertianâ gravi* admodùm laborabat. Febre autem ingraveſcente, & derepentè in continuam mutatâ, ſubitò ſuffocatus interiit.

Secto cadavere, occurrit hepar immani tumore ſcirrhoſo diſtentum. In pulmone deliteſcebat vomica pûre plena. CAR. PISO.

OBS. 191. Quidam juvenis *febre*, *dolore lateris* ſtipatâ corripitur; cum *tuſſi*, ſputo cruento, & *ſpirandi difficultate*; genis intensè rubentibus. Undecimo morbi die obiit.

Pectus aquâ ſcatebat: pulmo dexter abſceſſum recondebat & partibus ambientibus arctè hærebat. CRENDAL.

OBS. 192. Vir conſiſtentis ætatis, poſt quatuor annos à *peripneumoniâ*, excreatione cruentâ & copioſâ ſtipatâ, in eumdem morbum incidit, quo è vivis tollitur.

PULMONES

Exenterato cadavere, in conſpectum veniebat abſceſſus in ſubſtantiâ pulmonis inflammati. CAR. PISO.

OBS. 193. Juvenis in *febrem acutam*, cum *dolore lateris* & ſputo cruento incidit. Brevi accedit ſpirandi difficultas, & decimo ſexto morbi die occubuit.

Reperiebatur abſceſſus intrà pulmonum ſubſtantiam, ulcere eroſam, cum majori aquæ copiâ in pectore. CRENDAL.

OBS. 194. In nobili *puero verminoſo*, poſt diuturnam ægritudinem extincto, deprehenditur pulmo plenus exiguis, purulentis, & quaſi grandinoſis abſceſſibus; inter quas occurrunt latæ veſiculæ aëre ſolo turgentes. CLAR. HALLERUS.

OBS 195. In cadavere *phthiſicæ* quinquagenariæ inveniebatur pulmo ubique accretus, flaccidus & innumeris vomicis refertus. Omentum erat ſemi-putridum. Hepar nonnihil cartilaginoſum, aliàs ſanum conſpiciebatur. CLAR. STORCK.

OBS. 196. Inter diſſectionem *phthiſici* inveniebatur pulmo ſiniſter coſtis & diaphragmati hærens. Dexter verò ſummè fœtidus ingens apoſthema propè diaphragma recondebat. BARTHOLINUS.

OBS. 197. Cadavere cujuſdam brevi *inſultu aſthmatico*, uti videbatur, ſublati cultro anatomico ſubjecto, deprehendebatur abſceſſus in pulmone propè venam arterioſam. BALLONIUS.

OBS. 198. In cadaveribus variorum *morte repentinâ* ſublatorum, haud alteram mortis cauſam quàm vomicæ diſruptionem in pulmonibus vidit FERNELIUS.

Pro affinibus haberi debent obſervationes Libr. I. 668, 706, 782, 1023. Libr. II. 45, 680, 793, 847, 863. Libr. III. 371. Libr. IV. 87. Vide inſuper *Pulmonum inflammatio.* PULMONES

## *Ulcus pulmonum.*

OBS. 199. Mulier quadragenaria tumorem cancroſum in calcaneo geſtans incidit in *febrem*, *ſpirandi difficultate*, & *lateris* ſiniſtri *dolore* pungente ſtipatam; nullo ſputo. Intereà meliùs ſe habere videbatur, cùm quarto die ingruit *ſpirandi difficultas*, cum ſenſu anguſtiæ & ſuffocationis; adeò ut altiore capite cubare cogeretur. Pulſus erat dein intermittens, ſine febre tuſſi, ſputo & dolore. Urget reſpirationis difficultas, cum macie & virium imbecillitate; ac tandem quindecimo die è recidivâ moritur.

Cavum thoracis ſiniſtrum aquâ cruentâ plenum invenitur. Ima pulmonis pars corrupta cum profundo ulcere conſpicitur. Dexter nonnulla ſteatomata minora recondebat. Uterque plevræ hærebat. Pericardium multum aquam ſubflavam continebat. Erant majores concretiones polypoſæ in ventriculis cordis. Omenti vix apparebant reliquiæ. Hepar, lien & pancreas inſolitam duritiem præ ſe ferebant, cum nonnullâ aquâ turbidâ ſtagnante in abdomine. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 200. Puella à primâ infantiâ, plurimis morbis obnoxia; *tuſſi* ſcilicet, *aſthmati*, *cordis palpitationi*, diarrhœæ, lienteriæ, & febri intermittenti; tandem *tabida* ſupremum diem obiit.

Pulmo ſiniſter coſtis & diaphragmati arctiſſimè connectebatur, & ulceribus ſcatebat, cum ſtagnante ſero. Pericardium cordis mucroni adnatum colluvie ſeroſâ turgebat. In ſiniſtro cordis ventriculo concretiones polypoſas variis pedunculis inſtructæ, valvulis & fibris implicatæ annotabantur. Lien erat durus & nigricans. Meſenterium gelatinâ, & muco inductum conſpiciebatur. Ventriculi & inteſtinorum tunica interior, quam nuncupant villoſam prorsùs erat abſumpta; adeò ut rugæ & valvulæ planè obliterarentur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 201. Vir ſexageſimum ſextum ætatis annum agens, cum diù exſpuiſſet catarrhalem materiam, *dolore* pungente corripitur

PULMONES in ſiniſtro *pectoris* latere, cum *febre* & *tuſſi*. Subquâ rerum conditione ingentem expectorabat materiæ craſſæ, flavæ, lineis ſanguineis diſtinctæ copiam; quâ tandem ſuppreſſâ, ſeptimo morbi die, vitam cum morte commutavit.

Inter exenterationem cadaveris inveniebatur ſiniſtrum pectoris cavum aquâ repletum. Pulmo tamen prædurus plevræ & mediaſtino arctè hærebat. Simili fermè modo partibus circùm ambientibus alligabatur pulmo dexter; qui inſuper ulcere, quaſi cancroſo, defœdabatur. VALSALVA.

OBS. 202. Quædam meretrix viginti annos nata, *lentâ febre*, *tuſſi* cum ſputo pejoris notæ, & totius corporis *macie* laborabat. *Dolor* erat in ſiniſtrâ *thoracis* parte, in quam difficilis erat decubitus. Præterea ſummâ *ſprirandi difficultate* conflictabatur. Pergente morbo & invaleſcente acceſſit copioſum ſanguinis ſputum, quo tandem, poſt quamdam remiſſionem, graviùs recurrente, è vivis rapitur.

Pulmones dura & albicantia tubercula recondebant: in dextro conſpiciebatur ulcus ingens, excavatum, & pus continens. Similem fermè labem, ſed leviorem, habebat ſiniſter. VALSALVA.

OBS. 203. Virgo viginti quatuor annorum, poſt *ſputum cruentum*, *tuſſi* vexatur. Sputa fiunt ſanioſa, *febricitat*, cum *dolore lateris*, dextri in quod difficilis erat decubitus. Accedunt macies; tumor pedum œdematoſus; ac demùm omnibus in deteriora ruentibus, ingruit lethum.

Siniſtrum pectoris cavum ſero, cum non nullis concreti ſanguinis particulis, replebatur. Plevra craſſior, & quaſi inflammata, rubebat. Dexter pulmo circà claviculam durus, ulcere tactus conſpiciebatur. VALSALVA.

OBS. 204. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam virginis *febre lentâ*, cum *dolore ad pectus*, & tumore glandularum cervicalium, extinctæ, reperiuntur varia abdominis viſcera tuberculis prominentibus defœdata. Siniſter verò pulmo recondebat ulcus cum ichore ſanioſo & tuberculis in ſuperficie, qualia erant in abdomine, nonnihil purulentis. VALSALVA.

PULMONES

OBS. 205. Anus ſeptuaginta annorum, duos circiter menſes, de interno *thoracis dolore* queritur, ſine tuſſi. In neutrum latus cubare poteſt. Perſiſtente & ingraveſcente morbo, ultimum diem clauſit.

Uterque pulmo maculis nigris erat diſtinctus. Dexter durus & exulceratus deprehenditur; quanquam nihil apparuit ſanioſæ materiæ. Occurrit demùm ingens concretio polypoſa in ventriculo cordis dextro. VALSALVA.

OBS. 206. Quidam miles *febre* corripitur cum *dolore lateris*, ſputo cruento, tuſſi & *ſpirandi difficultate*. Procedente morbo ingraveſcunt ſyptomata; & die vigeſimo quinto occubuit.

In conſpectum venit pulmo ſiniſtri lateris ulcere defœdatus, cum ſtagnante aquâ ſordidâ. Abdomen haud paucam quoque colluviem ſeroſam continebat. CRENDAL.

OBS. 207. Secto cadavere cujuſdam *tabidi*, occurrit in ſubſtantiâ pulmonis ſiniſtri ulcus magnum, concavum & putridum, ſanie multâ & pravâ conſpurcatum; cùm tamen iſte, dum viveret, nuſquam conqueſtus ſit de aliquo dolore; neque tuſſiverit. MASSA.

OBS. 208. In cadavere mulieris à duobus annis *phthiſicæ*, invenitur in ſupremâ parte pulmonis, quæ primis coſtis ſubjicitur, ulcus in quo vix caſtanea includi potuiſſet. Hæc nunquam ſanguinem exſpuit. ARGENTERIUS.

OBS. 209. Luſtrato corpore *phthiſici*, qui materiam purulentam per alvum & urinas excernebat, remittente tuſſi per plures dies ante obitum; inveniebatur in pulmonibus ulcus grande; ac ſubinde multiplex. SYLVIUS.

OBS. 210. In cadaveribus nonnullorum *phthiſicorum*, qui dum in vivis agerent, de nullo pectoris dolore conqueſti fuerant; occurrebant in pulmonibus ulcera inſignia, cum maximâ partis conſumptione. DIEMERBROEK.

PULMONES OBS. 211. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam militis ſeptimo *pleuritidis* die extincti; patet hydrops pectoris cnm pulmonibus utriuſque lateris ulceroſis, & plevræ adglutinatis. CRENDAL.

In harum numero adſcribi debent obſervationes Libr. I. 614, 1402. Libr. II. 887. Libr. IV. 192.

---

### *Pulmones præduri & ſcirrhoſi.*

OBS. 212. Adoleſcens octodecim annorum immoderatâ *tuſſi* vexabatur, cum *ſpirandi difficultate*. Sputa erant pituitoſa, viſcida & copioſa. Quibus accedunt corporis laſſitudo & macies, cum ſiti intenſa. His ſic ſe habentibus *febre malignâ*, delirio, aliiſque gravioribus ſymptomatibus ſtipatâ corripitur, quâ brevi è medio tollitur.

Diſſectum cadaver exhibet tantam ventriculi anguſtiam, ut ab inteſtinis vix diſcerneretur. Stagnabat in utroque pectoris latere aqua citrina. Pulmo dexter coſtis firmiſſimè adnexus deprehenditur; adeò ut abſque dilaceratione ſeparari non poſſet. Uterque maculis nigris defœdatus, ſcirrhoſus, arenulis vel lapillis refertus ſe præbet. MANGET.

OBS. 213. Puella ſeptennis ventris protuberantiâ, & duritie laborabat. Tandem accedit *febricula*, cum dolore capitis, *faciei intumeſcentiâ* & pallore. Succedunt *catarrhus* in pulmones decumbens, *vomitus* ſeroſus, manuum tremor, cum urinis nigricantibus & craſſis. Poſtremò ingruunt convulſiones, inter quas ferociores occubuit.

Secto cadavere reperiebantur inteſtina ſero innatantia & flatibus tumentia. Hepar erat maximum. Renes naturalibus triplo majores conſpiciebantur. Pectus multam aquam continebat, non ſecùs ac mediaſtinum. Pulmones verò occurrebant ſcirrhoſi. Cor erat ingens, cum aquâ in pericardio. BONETUS.

OBS. 214. Quidam ad carceres damnatus; in iis ultrà duodecim annos vixit; hinc *cachecticus* evaſit. Anno ultimo *tuſſire* cœpit &

*purulenta exſpuere.* Tuſſi in dies creſcente, diu noctuque miſerè excruciabatur. Sputum ſub viride, rotundum, quandoque cruore tinctum ejecit ; & febre lentâ laboravit ; donec ad ſuperos migraverit. PULMONES

In conſpectum veniebant pulmonum lobi ſuperiores, utrinque accreti ; ambo ſubduri & compacti, ulceribuſque paſſim exeſi. In cavo pectoris ſerum ſubcruentum copiosè redundebat. BONETUS.

OBS. 215. Vir ſexagenarius *febre* corripitur *mali moris*, virium exolutione & delirio obſcuro ſtipatâ. Quinto die de *dolore lateris* dextri conqueritur *difficilis fit reſpiratio*, cum tuſſi moleſtâ & *ſputo cruento.* Procedente morbo, omnia in pejus ruunt : pulſus debilis & convulſus exploratur ; ac decimo quarto morbi die occubuit.

Exenterato cadavere, pulmo dexter durus & quaſi ſcirrhoſus, abſque purulentiâ, deprehenditur. Siniſter inculpatus occurrit. Parca erat aquæ copia ſtagnans in utroque latere. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 216. Quidam circà quindecimum ætatis annum, *tuſſi*, *ſputo cruento* & *gravi anhelitu* laboraverat ; ac præter ſpem ſanitatem quaſi recuperaverat. Trigeſimo ætatis anno omnia recrudeſcunt cum ventriculi debilitate, inappetentiâ & febre nocturnâ. Accedit ſpirandi difficultas ; deficiunt vires, & *tabidus* extinguitur.

Inveniebatur pulmonum totum latus ſiniſtrum à tumore ſcirrhoſo, adeò obrigens, ut ſanguis, inter vitam, molem iſtam ità conſtrictam, & quaſi lapideam, non facilè, vel minimè, pertranſierit. BONETUS.

OBS. 217. Quidam poculis deditus ſenſit *dolorem thoracis*, circà ſterni dextram partem, qui ad caput extendebatur, cum *tuſſi* & *exſcreatione materiæ* flavæ & *purulentæ ;* atque *reſpiratione difficili :* quibus in dies ingraveſcentibus ad plures tandem migrat.

Secto cadavere invenitur pulmo dexter totus ſcirrhoſus, fiſtuloſiſque ulceribus ſcatens ; plevræ & diaphragmati adnatus. Siniſter etiam partibus circumambientibus annectebatur ; nec purulentiâ erat immunis. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

PULMONES OBS. 218. Inter exenterationem cujuſdam mulieris, quæ *morbo* admodùm *intricato*, cum *ſpirandi difficultate* laboraverat, inveniebantur pulmones dextrâ parte materiâ purulentâ & fœtidâ ſcatens; ſiniſtrâ verò humore ſeroſo imbuit. Occurrebant prætereà per totam ſubſtantiam ſcirrhi plurimi, colore lividi, in quibus materia quædam nigra, atramenti inſtar, continebatur, cum lapillis plurimis, hinc inde ſparſis. HILDANUS.

OBS. 219. Juvenis novem & viginti annorum, caſu caput graviter offendit, hinc hæmorrhagia ex ore & naribus tanta, ut penè exanimis deduceretur. Sequitur capitis debilitas cum ophtalmiâ. Ab exſiccato ſebaceo *defluxionem in pulmones* patitur; quam excipiunt *tuſſis* & *puris ſputum*; ac tandem tabes lethalis.

Reperitur copioſum ſerum in thorace. Pulmones indurati ſicci & paſſim putridi abſceſſum recondebant. BONETUS

OBS. 220. Juvenis quatuor & viginti annorum poſt *dyſenteriam hæmorrhoïdalem* pertinaciſſimam, pectoris anguſtiâ, & *ſpirandi difficultate*, cum anxietatibus corripitur. Accedit *tuſſis*, cum *ſputo cruento* copioſiſſimo: ſufflaminatâ hæmorrhagiâ; ingruit *febris intermittens* erratica, nullis remediis domanda. Elapſis quadraginta diebus, emaciatus æger, urgente ſpirandi difficultate, moritur.

Secto cadavere deprehenduntur pulmones, cruore infarcti & ſcirrhoſi. Lobus ſiniſter ulcere tactus plevræ hærebat. EX ACTIS PHIS. MED. GERMANIÆ.

OBS. 221. Puellus quinquennis *anhelatione* jamdiù laborans, *febre continuâ* ſubitò prehenſus, cum urgentiori *ſpirandi difficultate*, intrà biduum occubuit.

Luſtrato cadavere reperiebatur pulmonis ſiniſter lobus, partibus ambientibus arctè inhærens; ut nullâ vi divelli potuerit. In ſummâ parte erat lividus, & omninò ſcirrhoſus. Lobus dexter recondebat abſceſſum parvum. FOUBERT.

OBS. 222. Puer tredecim annorum *tuſſi ſiccâ* & violentâ laborabat. Altum erat abdomen, cum *reſpiratione intricatâ* & *febre lentâ*. Tandem lethargicus obiit.

Omentum erat penè abſumptum: meſenterium ſcirrhoſum, cum inteſtinis putridis. Hepar tuberculis ſcirrhoſis ſcatebat. Pulmones

ſcirrhoſi ſterno, coſtis & vertebris annectebantur. Stupenda demùm occurrit pericardii craſſities. MANGETUS.

OBS. 223. Vir quadraginta circiter annorum *orthopneâ* laborabat, cum moleſtiſſimâ *ponderis ſenſatione in pectore*, ſuffocationis metum incutiente. Quibus ſenſim ingraveſcentibus, proſtratis viribus, mente conſtans, obiit.

Omentum deprehendebatur ſemi-corruptum, cum hepate obſtructo. Pulmo durus & compactus, quaſi carnoſus videbatur. Cor aquæ pericardii copioſiſſimæ innatabat. FANTONUS.

OBS. 224. Quinquagenarius, poſt *pleuritidem*, *tuſſiculâ*, flatibus & pituitâ tres annos laboravit. Audiebatur quaſi aqua fluctuans ad diaphragma, & ventrem. Inſtitutâ paracenteſi educitur pus multum & crudum. Quinque poſt diebus mortuus eſt.

In conſpectum venit pulmo aridus, ſcirrhis plenus, cum nonnullis ſyderationis notis, tùm in membranâ ambiente, tùm in plevrâ. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 224. (*a*) In puero ſexenni poſt *diuturnum morbum* extincto reperiuntur pancreas & omentum ſcirrhoſa. Lienis membrana erat craſſior, & peritoneum tuberculis exaſperatum. Pulmo verò dexter ſteatomatibus duris obſitus, membranam habebat ultrà lineam craſſam. Similia in thymo & hepate reperiebantur ſteatomata. CLAR. HALLER.

OBS. 224. (*b*) Sectis cadaveribus binorum infantium *ſcrophulis* denatorum, & qui *ſpirandi* difficultate laboraverant in propatulum veniebant omnes abdominis glandulæ, excepto pancreate, maximè diſtentæ & materiâ quadam pultaceâ infarctæ; glandulæ bronchiales eâdem labe erant conſortes, iiſque ductus aëriferi magnoperè anguſtabantur. PORTAL.

OBS. 225. Inter exenterationem cadaveris cujuſdam *tabidi*, obſervatur ſumma pulmonum tunicæ craſſities, digitum medium ferè æquans. Omentum penitùs erat carnoſum. Hepar verò, lien, diaphragma, & inteſtina inter ſe arctiùs cohærebant. BARTHOLINUS.

OBS. 226. Mulier quinque & triginta annorum, jamdiù inappetentiam paſſa, cum *tuſſi ſiccâ* & *ſpirandi difficultate*, tandem obiit.

PULMONES Reperiebantur tres pulmonum lobi adeò indurati, ut potiùs tophos lapideos, quàm carnem, omnibus videntibus, ementirentur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 227. Mulier *febriculâ* & *tuſſi* per multos menſes laborans, tandem macie confecta, ultimum diem clauſit.

Luſtrato cadavere, deprehendebatur in lobo pulmonum dextro ſcirrhus, ad ovi gallinacei magnitudinem accedens. BOSCUS.

OBS. 227. (*a*) In corpore pueri biennis, poſt lentum & *tuſſiculoſum morbum* extincti, pulmones pleni fuerunt ſcirrhis cartilagineis; & ad plevram undique adhæſerunt. CLAR. HALLER.

OBS. 228. In cadaveribus variorum *pleuritide* epidemicâ denatorum, reperti ſunt pulmones ſanguine putrido infarcti, ac mirum in modum indurati; cum ſtagnatione ſeri ſubcruenti. COITERUS.

OBS. 229. Secto corpore viri quinque & quinquaginta annorum ex *aſthmate* graviſſimo defuncti, pulmones reperiebantur ſic indurati, ut vitri cocti inſtar frangerentur. SILVATICUS.

OBS. 230. Inter exenterationem cujuſdam chronico *aſthmate* ſublati, in conſpectum veniebant pulmones duri & quaſi lapideſcentes. HELMONTIUS.

Huicce claſſi adſcribi debent obſervationes Libr. I. 15, 68 (*a*), 211, 265, 438, 680 708, 1334, 1444. Libr. II. 54, 422, 440, 448, 477, 522, 623, 676, 698, 761, 790, 851, 857, 890, 938, 942. Libr. III. 70, 404, 409, 410, 466. Vide inſuper *Hydrops pectoris*.

## *Pulmonum tubercula.*

OBS. 231. Juvenis octo & viginti annorum *aſthmate*, uti videbatur, *convulſivo*, à biennio, affligebatur. Reſpiratio inter paroxyſmum, haud ultrà ſex minuta protenſum, erat anheloſa, vita & brevis : ac unicum ſolatium in reſpiratione planè cohibitâ, ſitum eſſe teſtabatur. Tùm pulſus erat parvus & inæqualis. Tandem accedente ferociori inſultu obiit.

Pulmo dexter univerſus, plevræ, diaphragmati & præſertim jugulo arctè accretus conſpicitur : circà jugulum durus & inæqualis exhibebat tubercula ferè cartilaginea, pus ſanioſum vel materiam quamdam caſeoſam recondentia. Siniſter verò erat planè inculpatus, Trachea & bronchia oſſeam rigiditatem æmulabantur. Cor valdè magnum ; in quo ne veſtigium quidem concretionis polypoſæ apparebat. Ingens erat hepar & compactum. Splen durus admodùm, ac colon contractiſſimum & vacuum. CLAR. DE HAEN.

OBS. 232. Vir quinque & quinquaginta annorum forti conſtitutione præditus, *catarrhis & raucedini* obnoxius, in *febrem continuam* incidit, *tuſſi* crebrâ, cum ſubmiſſâ, voce, ſtipatam. Sputa ineunte morbo copioſiora, craſſa & ſordida excernebantur. Decimo quarto die deſiit febris acuta. Perſiſtentibus cæteris ſymptomatibus & febre lentâ. Intereà duodecim circiter diebus elapſis excandeſcit febris præcedente frigore. Nullus erat dolor pectoris ; nulla ſpirandi difficultas & facilis erat decubitus in utrumque latus. Remittente febre inter ſanitatis ſpem, ſubitò occubuit.

Cyſtis fellea pſeudo-lapide, ovum columbinum magnitudinem ſuperante replebatur ; nullâ ſuperſtite bile. Pulmo dexter ſcirrhoſus, innumeris tuberculis purulentis ſcatebat. E NOSTR. ADVERSARIIS.

OBS. 233. Quinquagenarius vertigine graviſſimâ, ad apoplexiam nonnunquam accedente conflictabatur. Poſt annum & ultrà morbo pectoris corripitur, ſub ſpecie *aſthmatis* ſicci, cum *ſtrangulatione*. Dein ſuccedit *icterus* cum urinâ flaveſcente. Appetitus proſtratus erat, ſitis erat ingens cum *febre hecticâ*. Intereà *maraſmo* conficitur, ob copioſam ſputationem, ſudores immodicos & *diarrhœam* per-

PULMONES tinaciſſimam. Ingruente demùm horrendo & quaſi ſpaſmodico dolore in hypochondrio dextro, fatis ceſſit.

Pulmones tuberculis tùm crudis, tùm maturis referti, thoracis parietibus firmiter adhærebant. Hepar durum multò majus quàm par erat deprehenditur; cum venæ portæ ramis ſummè diſtentis, & varicoſis. MORTON.

OBS. 234. Adoleſcens macie confectus, ſummâ *ſpirandi difficultate* afficiebatur. Moleſta & irrita erat *tuſſicula*, cum ſtupendâ pulſûs varietate. Tandem exolutis viribus, ad plures migravit.

Aperto cadavere, inveniebantur pulmones omnibus partibus ambientibus firmiter hærentes. Horum internam ſubſtantiam tuberculorum agmen occupaverat. Hæcce tubercula numeroſiſſima molem piſi, fabæ imò & fructûs caſtaneæ æquabant. Pericardium craſſiſſimum, corium potiùs quàm tunicam repræſentabat. Diaphragma inſueto nexu pulmonibus devictum, retractum & conſtrictum annotabatur. BONETUS.

OBS. 234. (*a*) Viro ſex & triginta annorum, temperamenti ſanguinei, poſt lapſum ab alto, incurvari cœpit ſpina dorſi; ac ſenſim increvit *tumor gibboſus*. Intereà emaciantur artus inferiores, vel contracturam ſubeunt, cùm immani dolore. Urina ægrè fluens, fit cruenta. Poſteà emergit *tuſſis* crebra cum *ſputo purulento*. Artus & ſcrotum œdematosè tument. Sputo demùm ſuppreſſo, & ſuperveniente diarrhæâ interiit.

Utrumque pectoris cavum ſero flaveſcente replebatur. Pulmones verò tuberculoſi & exulcerati deprehendebantur. CLAR. BAADERUS.

OBS. 235. Quædam vetula per viginti annos dyſuriâ vexata, *tabida* & præ debilitate lecto affixa, cum *febre hecticâ*, immanibus doloribus à lithiaſi torquebatur. Lotium erat purulentum. Accedunt lypothymiæ, cum mentis vacillatione. Ac tandem viribus attritis obiit.

Ren ſiniſter favi ſpeciem præ ſe ferebat; foveis ſcilicet, à quibus calculi olim fuerant extruſi refertus. Ren dexter mole maximus pure & calculis ſcatebat. Veſica occurrit pore conſpurcata. Cyſtis fellea varios calculos recondebat. Præterea pulmones conſpiciebantur tuberculis crudis, vel calculis cretaceis, ubique ferè obſeſſi. MORTON.

OBS. 236.

PULMONES

OBS. 236. Vir triginta annos natus, jamdudùm *ſpirandi difficultate* premebatur, cùm ſenſim in *febrem hecticam* incidit. Crebrò tuſſiebat cum ſputo ſordido & purulento. Tandem ingraveſcente anhelitu, & quocumque denegato decubitu, ultimum fatum ſubiit.

Pulmones utrinque plevræ, mediaſtino & diaphragmati arctè hærebant. Horum involucrum craſſiſſimum & quaſi cartilagineum ſubſtantiam ſcirrhoſam tuberculis crudis, gypſeis & purulentis refertum obtegebat. Cor maculam latiſſimam, albicantem, exfoliationis membranaceæ inſtar, exhibebat. E NOSTR. ADVERSARIIS.

OBS. 237. Vir quinque & triginta annorum, qui anno mox elapſo è febre peſtilentiali evaſerat, in inſignem *hæmophtoen* incidit. Hinc ſequitur tuſſis & *calor hecticus*, nonnunquam recrudeſcente hæmorrhagiâ. *Febre lentâ* cum marcore tenebatur. Dein accedentibus *diarrhæâ* colliquativâ, & *ſudoribus*; ac urgente *ſpirandi difficultate* è vivis tollitur.

Aperto cadavere inveniebantur pulmones mirum in modum tumefacti, & ubique, in omnibus ſcilicet lobis, tuberculis aliis crudis, aliis exulceratis referti. MORTON.

OBS. 238. Quidam, conſiſtente ætate, tribus antè annis, *tuſſi* cum *ſputo* catarrhali, & dein *cruento* laborabat. Tribus elapſis menſibus, inter morbi remiſſionem recurrit *hæmophthiſis*, cum ſputo ſordido, tuſſi moleſtâ, & ſummâ *ſpirandi difficultate*. De nullo tamen dolore in thorace querebatur, & in utrumque latus facilè decumbebat. Sub hoc rerum ſtatu erumpunt ſudores nocturni; tumeſcunt pedes; accedit diarrhæa; viribuſque deficientibus obiit.

Reſerato pectore, pulmones multis tuberculis ſcatebant. Siniſtri pars ſuperior prædura ulcus internum ſanioſum recondebat; cum ſero ſtagnante. VALSALVA.

OBS. 239. Quadragenarius in inſignem *hæmophtoen*, *difficili reſpiratione* & *dolore pectoris* ſtipatum incidit. Dein accedit quædam febris ex intermittentium genere. Tempeſtivâ medicatione meliùs ſe habebat dum funeſtam recidivam patitur.

Secto cadavere conſpiciuntur pulmones colore nigro, teterrimo

PULMONES consſpurcati, tuberculis innumeris ubique referti; quorum alia pure, alia materie quaſi melleâ erant repleta: ſed major pars ſubſtantiam ſteatomatoſam in ſeſe continebat. MORTON.

OBS. 240. Fœmina octo & triginta annorum *hæmophthiſi* obnoxia, convulſionibus hyſtericis prehenditur. Menſes parciores inordinatè fluunt. Dein ſanguis confertim erumpit, tùm è pulmonibus, tùm è ventriculo. Menſibus tandem ſufflaminatis, & tuſſi exaſperatâ, macie confecta obiit.

Pulmones utrimque partibus ambientibus adnati ſe ſiſtunt, tuberculis ſcirrhoſis & purulentis ſcatentes. Lien cujus vaſa atro ſanguine tumebant, erat putridus & friabilis. EX ACT. PHYS. MED. GERMAN.

OBS. 241. Adoleſcentula octodecim annorum, ſuppreſſis menſibus, in *diarrhœam colliquativam* incidit. Quâ anni ſpatio emaciatur, ſine tuſſi & dyſpnæâ; nulloque morbi pectoris ſigno. Dein ingruit *ſpirandi difficultas* cum *tuſſi* & *ſudore* immodico: quibus perſiſtentibus brevi extinguitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, pulmones apparebant ubique tuberculis, hìc illìc referti, iiſque non tantùm crudis verùm etiam aliquibus maturis. MORTON.

OBS. 242. In cadavere cujuſdam *phthiſici*, reperiebatur pulmonum parenchyma multis granulis, inſtar ſteatomatum, quæ aliquid ſebacei continebant, refertum. Tuberculis purulentis totus pulmo obſitus erat, cum membranâ inſignis craſſitiei. Pericardium aquam copioſam ſubcruentam continebat. Similis humor ſtagnabat in abdomine, cum omento magnâ parte conſumpto. E MISCEL. CURIOSIS.

OBS. 243. Juvenis ab incunabulis ad pubertatem *ſcrophuloſus* qui *tuſſi aridâ* vexabatur, febre quâdam putridâ corripitur, cum ſiti & appetitûs dejectione. Hæc excipiunt *diarrhœa*, *ſudores* colliquativi; & hydrops lethalis.

Secto cadavere, in conſpectum veniebant pulmones variis tuberculis interſperſi, nonnullis inflammatis & exulceratis, atque

materiam purulentam melleæ conſiſtentiæ, in ſeſe continentibus. MORTON. PULMONES

OBS 244. In cadavere cujuſdam *phthiſici* dexter pulmo tuberculis & ulcuſculis ſcirrhoſis ſcatebat, & coſtis annectebatur. Siniſter ſimili fermè modo afficiebatur. Secto cordis dextro ventriculo in propatulum venit polypus rdiacibus ſuis in foſſulis internam cordis ſuperficiem occupantibus intricatus. Pares polypi obſervantur in ſiniſtro cordis ventriculo, & in majoribus vaſis. E MISCELLANEIS-CURIOSIS.

OBS. 244. (*a*) Quidam miles, jamdudùm valetudinarius *ſpirandi difficultate* premebatur, cùm incidit in *febrem putridam* lethalem.

Reſerato pectore in apricum veniunt pulmones tuberculis purulentis ſcatentes, & feroſæ colluviei innatantes. Luſtrato abdomine patent ventriculus & inteſtina ſuprà modum flatulenta, cum quibuſdam inflammationis notis. E DIARIO NOSOC. MILITARIUM.

OBS. 245. Vir quinque & triginta annorum incidit in inſignem *hæmophtoen*, cum maximo cruoris diſpendio. *Tuſſis* urget, cum calore hectico. Recrudeſcit hæmorrhagia; & excandeſcit *febris* cum diarrhæâ ſudoribus & hydrope; quibus tandem victas præbet manus.

Inveniuntur pulmones mirum in modum tumefacti, & ubique tuberculis crudis aut exulceratis referti. MORTON.

OBS. 246. Inter ſectionem cujuſdam *phthiſici* deprehendebantur pulmones variis abſceſſibus pure repletis defœdati: & in variis locis pituita adeò conncreta videbatur, ut calculi duritiem ferè aſſequeretur. Imò & paſſim annotabantur tubercula quaſi lapideſcentia. PAWIUS.

OBS. 246. (*a*) In cadavere hominis cujuſdam ſexagenarii *phthiſi* defuncti pulmonis glandulæ, bronchiorum bifurcationibus

PULMONES poſitæ, apparebant adeò diſtentæ ut ovum columbinum æmularentur; ſcalpelloque ſecatæ liquorem purulentum effundebant; reliquis pulmonis partibus perfectè ſanis. PORTAL.

OBS. 247. Cadaver cujuſdam, qui de *dolore pectoris* cum *reſpiratione clangosâ* querebatur, exhibebat pulmonem dextrum colore nigricantem, & ad jugulum quaſi retractum; ac plevræ versùs claviculam adglutinatum. In ſiniſtro verò occurrebant tubercula tophaceam materiam continentia. BONETUS.

OBS. 248. In cadavere adoleſcentis *aſthmatici*, & inter ferociorem paroxyſmum extincti, deprehendebatur in pulmonum ſubſtantiâ; materia quædam cruda viſcida, & conſiſtens; in tuberculum crudum congeſta, & peculiari involucro donata. CAR. PISO.

OBS. 249. Inter anatomen cujuſdam *aſthmatici* & *phthiſici*, cui ſputa primò cruenta, & dein purulenta excernebantur, cum intermiſtis pulmonum fruſtulis, reperti ſunt pulmones tuberculis purulentis ſcatentes, plevræ adnati & nonnihil putridi. SAXONIA.

OBS. 250. Cadaver *phthiſici* cultro anatomico ſujectum oſtendit pulmones innumeris tuberculis refertos; crudâ, viſcidâque materiâ infarctos & paſſim ulceroſos, plevræ demùm & diaphragmati accretos. HEURNIUS.

OBS. 251. Luſtratis cadaveribus variorum *aſthmaticorum*, & ſuſpirioſorum; tubercula atheromatum inſtar, pulmonum infeſtantia ſe vidiſſe teſtatur COLUMBUS.

OBS. 252. In cadavere *phthiſici*, annotantur pulmones tuber-

culis obſiti, quæ ciceris grana æquabant. Hepar ſimili labe inquinatum conſpicitur. CARDANUS.

PULMONES

Huc pertinent obſervationes Libr. I. 233, 248, 697, 877, 1086, 1579 (*b*), 1634, 1635, 1772. Libr. II. 202, 469, 545, 628, 766, 840, 847, 904, 937. Libr. III. 176, 232. Lib. IV. 81, 96, 106, 171.

## *Pulmones calculoſi & grandinoſi.*

OBS. 253. Quidam *dolore ſtomachi*, & *tuſſi* obnoxius calculos cum *ſputis purulentis* rejiciebat. Dein pedes & abdomen intumeſcunt. Tandem oppreſſus illùc abiit undè negant redire quemquam.

Inter exenterationem cadaveris conſpiciebantur in abdomine aliquot ſeri fluctuantis libræ. Reſerato pectore reperiebatur in pulmonibus paſſim exulceratis tantum calculorum diverſæ magnitudinis agmen; ut aliquot centum ex iiſdem eruere quis potuiſſet. Hepar prætereà induratum & quaſi elixatum annotabatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 254. Juvenis per multos annos *aſthmate* & *tuſſi* pertinaciſſimâ laborans, cum *febre hecticâ*, tandem macie confectus obiit.

Præter hepatis, lienis, aliorumque viſcerum infarctum ſcirrhoſum, inveniebatur in pulmonum ſubſtantiâ lapis prædurus. Prætereà hinc indè per pulmones obſervabantur, præcipuè circà ramos tracheæ, tubercula plurima, ex viſcidâ materiâ in ſcirrhos concreta. Stagnabat poſtremò aqua, tùm in pectoris cavo, tùm in ipſomet pericardio. HILDANUS.

OBS. 255. Quidam *aſthmaticus* per plures annos ferè ſemper decumbens; ſtatis horis omni carens ſpirandi difficultate, tandem inter graviorem inſultum fato conceſſit.

PULMONES Invenitur hepar corruptum, in illâ parte ubi à coſtis regitur; cum liene ſemi-putrido. Occurrit in pectore maſſa admodùm indurata, pulmoni coadnata & ingenti copiâ lapillorum referta, quæ haud niſi plenis manibus extrahi poteſt. SCHENKIUS.

OBS. 256. In corpore cujuſdam *aſthmatici* invenitur in pulmone ſiniſtro durities ſingularis, eo loco ubi vena pulmonalis ſubſtantiam pulmonis ſubit; oſſeum quaſi circulum, ab aliis connexis partibus ſeparata repræſentabat; aſpera aliquo modo fungoſa, ſubrubra; fragilis valdè. An os, vel calculus ſit hæc ſubſtantia jurè dubitandum. BALSIUS.

OBS. 257. Dum corpus cujuſdam *ulcere veſicæ* extincti aperiretur; præter opinionem luſtratis pulmonibus, reperiuntur plurimis calculis, milii magnitudinem æquantibus, hinc inde obſiti: illorumque copia ad duo cochlearia capacia, collecta eſt. Mirum profectò illum *nunquam de dolore* & *difficultate pulmonum* conqueſtum fuiſſe. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 258. Mulier *ſpirandi difficultate* laborabat cum tuſſiculâ & ſputo craſſiore. Difficilis erat decubitus; ac de quodam pondere in thorace querebatur, præſertim cum erectâ cervice ſpirabat, quem morbum ad pulmones tartariſatos referebant.

Thorace aperto, pulmones arenaceis incretionibus ſcatebant; adeò ut nonniſi cum ſtridore ſecarentur. CLAR. MORGAGNUS

OBS. 259. Mulier quinque & triginta annorum per plures menſes inappetentiam paſſa cum *tuſſi ſiccâ* & *ſpirandi difficultate*: quibus dein ingraveſcentibus moritur.

Reperitur ventriculus durus & niger. Conſpiciebantur tres pulmonum lobi adeò indurati, ut potiùs tophos lapideos, quàm carnem referrent. Lien inſuper erat minimus. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 260. Quidam juvenis inter adverſam valetudinem, *tabe*

paulatim conſumebatur, de *anhelo pectore*, & *tuſſi* quotidianâ præcipuè querulus, donec tandem obiit.

In ejus pulmone quatuor lapides, haud fabâ majuſculâ minores, lati & nonnihil tuberoſi, cinerei & ſubduri deprehendebantur. FALLOPIUS.

OBS. 261. Exenterato cadavere cujuſdam *aſthmatici*, à *doloribus nephriticis* ſublati; præter renum lithiaſim, varii inventi ſunt in pulmonum ſubſtantiâ lapilli, formæ latioris, & omninò leves; qui exſiccati, ſpongiæ inſtar, foraminibus pervii viſi ſunt. CRUCIUS.

OBS. 262. Poſt diuturnum *aſthma*, calculos nunc friabiles, nunc duros, nunc planos, nunc æquales, & pro ratione vaſorum, tophi inſtar formatos, quales tuſſi non nunquam rejiciuntur, in ſectione variorum cadaverum deprehenſit. PLATERUS.

OBS. 263. Inter ſectionem cujuſdam *aſthmatici*; cùm in cavitate tracheæ nullus humor craſſus & lentus inveniretur; ſectâ tamen pulmonum ſubſtantiâ; occurrunt lapilli minuti & friabiles; quidam etiam perveteri caſeo ſimillimi. SALMUTHUS.

OBS. 264. Quædam fœmina morbo admodùm intricato correpta, inter alia ſymptomata *reſpirandi difficultate* laborabat. In ejus pulmone, poſt obitum, lapides plurimi hinc inde reperti ſunt, diverſi coloris, parvi tamen omnes. HILDANUS.

OBS. 265. In corpore cujuſdam *aſthmatici* in conſpectum veniebat vena pulmonaris propè cordis inſertionem lapideſcens; adeò ut ſanguis nonniſi guttatim, aut cum exiguo tantùm filo cordi inſtillaretur. BONETUS.

OBS. 266. Quinquagenarius *aſthmati* ſæviſſimo obnoxius incidit in epileſiam; ac tandem inter graviorem inſultum obiit.

PULMONES Pulmo dexter calculis miliaribus ſcatens, aquæ citrinæ copioſiſſimè innatabat. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 267. Juvenis de quotidianâ *tuſſi*, & *anhelo pectore* querebatur. *Tabe* tandem conſumptus placidè è vitâ migravit.

Pulmones quatuor lapides fabæ magnitudinem æquantes, nonnihil tuberoſos, cinereos & ſubduros recondebant. KENTMANNUS.

OBS. 268. In corporibus variorum qui dum viverent *aſthmate* diuturno & truculentiori premebantur; in propatulum veniebant calculi veri numeroſiores, quibus pulmones erant conferti. FERNEL.

OBS. 269. Examini ſubjecto cadavere cujuſdam *rachitici* deprehendebantur pulmones exſucci, protuberantiis, verrucis non diſſimilibus, aſperi; & gypſeam ſubſtantiam recondentes BLANCARDUS.

OBS. 270. In cadavere cujuſdam mulieris, quæ per plures annos *morbo intricatiſſimo* laborabat, reperiebantur quamplurimi lapides in pulmonum ſubſtantiâ, tam albi, quàm atri coloris. HILDANUS.

OBS. 271. Aliquot duriſſimos calculos, æquali ſuperficie, colore argillaceo, in pulmonibus cujuſdam *aſthmatici*, inter graviorem paroxyſmum extincti ſe vidiſſe teſtatur. SCALIGERUS.

OBS. 272. In ſectione binorum hominum, qui dum viverent *aſthmate* premebantur, in conſpectum veniebat calculus pulmonibus innatus. PLATERUS.

OBS. 273. In cadavere cujuſdam viri ſex & quinquaginta annorum *ictero*, *anaſarcâ* ſtipato, extincti in propatulum veniebant pulmones aridi, & calculis friabilibus referti. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 274. Cultro ſubjectum cadaver cujuſdam *tabidi* exhibebat calculum fabæ magnitudinem æquantem, ſitum in angulo diviſionis bronchiorum. HEISTERUS. PULMONES

OBS. 275. Exenterationi tradito corpore cujuſdam juvenis *phthiſici*, deprehendebantur pulmones putridi, & calculis ſcatentes. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 276. Inter ſectionem cadaveris cujuſdam virginis *phthiſi* extinctæ, inveniebantur copioſæ arenulæ, cum aliquot lapillis. HILDANUS.

OBS. 277. Cadaver cujuſdam adoleſcentis, *tabe pulmonali* enecati, exhibebat in pulmonibus lapidem quaſi cretaceum. SOLENANDER.

OBS. 278. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam juvenis, *lento pulmonis morbo* ſublati, deprehendebatur corpus lapideum in ipſo pulmone. VIERIUS.

In hâc ſerie locum aſſequi valent obſervationes Libr. I. 112, 242, 530, 1014, 1576. Libr. II. 212, 235, 246, 359, 362, 719, 723, 769, 789.

---

## *Oſſificatio in pulmonibus.*

OBS. 279. Vir novem & viginti annorum, multis abhinc annis, *dolori pungenti* in latere *pectoris* dextro erat obnoxius, cum tuſſiculâ ſiccâ. Poſt varias remiſſiones *tuſſis* exacerbatur & ingruunt convulſiones. Dein *difficilis* fit *reſpiratio*; accedit macies; vires deficiunt; ac denique poſt multos luctus ſuccubuit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, deprehenditur ſeroſa colluvies in pectoris cavo; cum hydrope pericardii. Eo in loco quo per-

PULMONES cipiebatur dolor punctorius, plevra occurrit calloſa, partim inflammata, gangrænoſa & exulcerata. Proximior pulmonis pars recondebat corpus oſſeum, ferè tres pollices longum, acuminatum, cujus cuſpis plevram læſerat. CLAR. STORCK.

OBS. 280. In corpore cujuſdam *febre continuâ*, *ſpirandi difficultate* & *ſputo cruento*, ſtipatâ extincti, reperiebantur tres lapides in rene dextro. Summè dilatatus appenſus ureter lapide fabæ molem æquante, propè veſicam obturabatur. Pulmones plevræ, mediaſtino & diaphragmati firmiter hærebant. Bronchia effuſo ſanguine obruebantur. Præterea detegitur in pulmonis ſiniſtri poſticâ parte corpus oſſeum, duos pollices longum; præter varias laminas oſſeas, quæ annotabantur, propè auriculam, in venâ cavâ, tum ſuperiori, tum inferiori. E DIARIO ERUDITORUM.

OBS. 281. Introſpecto cadavere cujuſdam *aſthmatici*, qui dum viveret de *pondere in latere pectoris dextro* querebatur; occurrit aqua ſtagnans in prædicto latere ad libras quatuor. Pulmo tuberculis ſcirrhoſis & purulentis ſcatebat; inter quæ annotabatur corpus oſſeum, ultrà duas uncias latum, & coralli inſtar ramoſum. Pulmo ſiniſter nullam in ſuperficie læſionem exhibens, pure infarctus inveniebatur. EX ACTIS EDIMBURGENSIBUS.

OBS. 282. Reſerato pectore cujuſdam viri, jampridem *aſthmatici*, & inter graviorem inſultum extincti, in propatulum veniebant oſſa non parva in ipſâmet pulmonis ſubſtantiâ. COLUMBUS.

Caſum ſimilis argumenti præbet obſervatio Libr. II. 256.

---

## *Pulmones aridi & tabidi.*

OBS. 283. Quædam mulier in *febrem ardentem* incidit, cum pulſu celerrimo, ſiti immani, vigiliis, capitis dolore & tempo-

PULMONES

rum inſigni pulſatione. Adeſt *viſcerum æſtus* cum *ſpiritu difficili*, & *lateris dolore.* Fæces & lotium multâ bile inquinantur. Urget æſtus internus cum linguæ nigredine : tument hypochondria : febris intereà binas quotidie habet exacerbationes Accedunt quinto morbi die anxietates, refrigerantur extrema ; reſpiratio evadit difficillima, cum ſtertore. Ac tandem præfocata interiit.

Inter ſectionem cadaveris deprehendebantur pulmones penè tabidi & exſiccati ; præſertim in parte ſiniſtrâ. ZECCHIUS.

OBS. 284. Vir ætatis mediæ, *fumo tabaci* ultrà modum indulgens ; adeò ut vix ullum obiret negotium, quin, ſibi fatalem, fumum hauriret : donec fatiſcente naturâ in morbum graviſſimum delabitur ; ſub quo materiam nigricantem per utrumque gutturem ejecit : quam evacuationem preſſo pede ſequitur mors.

Introſpecto cadavere, trachea camino ſimilis nigrâ fuligine undique obducta erat. Pulmones præthereà conſpiciebantur aridi, exſucci & penè friabiles. Hepar totum erat inflammatum. Inteſtina nigricante materiâ turgebant ; & ſummè fœtebant. KERCKRINGIUS.

OBS. 285. Quidam *febre lentâ* & *ſpirandi difficultate* jamdudùm conflictabatur ; cùm tandem macie confectus, inter delirium, ultimum diem clauſit.

Exenterato cadavere, inveniebantur pulmones tabidi & exſucci. Lien occurrit exilis & ſubcæruleus. Inteſtina hinc inde inflammata conſpiciebantur ; & ſimili fermè modo labefactata erat veſicæ facies interior. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 285. (*a*) Juvenis quidam viginti circiter annorum *tabe* cum *difficili reſpiratione* laborabat nullo tamen ſubſequente œdemate ; quibus pergentibus obiit.

Aperto ejus cadavere, pulmones maximè contracti, exſucci & aridi in conſpectum veniunt. PORTAL.

OBS. 286. In quodam viro, *tabaci & ſpiritûs vini* mancipio, *aſthmate* contumaciſſimo laborante, atque inter ferociorem inſultum extincto, in apricum veniebat totus pulmo, non tantùm

PULMONES ſubniger; verùm etiam ad mediocrem duritiem exſiccatus; exiguis hìc illìc intercurrentibus ulcuſculis. DIEMERBROEK.

OBS. 287. Quidam diù *gravi anhelitu & ſuſpirio* laborabat. Poſt longum decocti lignorum ſudorificorum uſum, tandem è vivis tollitur.

Aperto cadavere pulmones ità aridi & ſicci occurrunt, ut ſola ferè conſpiciebantur bronchia; & pulmonum vaſa fidium inſtar exſiccata. RHODIUS.

OBS. 288. In cadavere cujuſdam juvenis *febre acutâ*, ſiti, *dypſnæâ*, & immani calore interno, ſtipatâ, extincti, deprehendebantur pulmones ariditate quaſi contracti, & exſucci. Hepar erat mole majus; & inteſtina variis phlogoſeos notis erant ſignata. E MILLANEIS CURIOSIS.

OBS. 289. In cadaveribus variorum *tabaci fumum* ſugendi cacoêthe tactorum, & inter morbos pectoris graviſſimos extinctorum; reperiebantur toti pulmones nigri & retorridi; non ſecùs ac ſi fumo indurati eſſent. HOFFMANNUS.

OBS. 290 Examini ſubjectum cadaver cujuſdam *tabidi*, qui diu *ſpirandi difficultate* premebatur, nullum ulcus in pulmone apparet; ſed pulmones veluti fumo exſiccati conſpiciuntur. SENNERTUS.

OBS. 291. In cadaveribus variorum *metallurgorum*, graviſſimo *pectoris morbo* ſublatorum, reperiebantur pulmones exſiccati, & attenuati, chartarum more; quaſi fuiſſent in fumo ſuſpenſi. SCHENCKIUS.

OBS. 292. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam viri, inter *fumiſugos* celeberrimi, totus pulmo utriuſque lateris depre-

hendebatur niger, & exſiccatus, cum nonnullis ulcuſculis huc & illuc ſparſis. DIEMERBROEK.

PULMONES

OBS. 293. Exenterationi traditum cadaver cujuſdam *immani pulmonum hæmorrhagiâ*, pro vomitu ſanguinis habitâ extincti, exhibuit pulmones exſuccos, & ità luridos, ac ſi corium exſiccatum videretur. HEURNIUS.

OBS. 294. Cultro anatomico ſubjectis cadaveribus variorum *phthiſicorum*, qui dum in vivis agerent ſputa ſordida ejiciebant; occurrebant pulmones tabidi & exſucci. STOFFELIUS.

OBS. 295. Luſtrato corpore cujuſdam *aſthmatici*, macie & *febre lentâ* confecti, in conſpectum veniebant pulmones adeò exſiccati, ut aridum pomum ferè dici potuiſſent. HEURNIUS.

OBS. 296. Examini anatomico ſubjectis binis *aſthmaticis*; deprehendebantur pulmones utriuſque lateris, tabe affecti & exſiccati. SAXONIA.

Traditis addere licet obſervationes Libr. I. 9, 34, 424, 543, 601, 1022, 1169, 1551. Libr. II. 45, 113, 628, 849, 941, 267. Libr. IV. 71.

---

## *Pulmones gangrænoſi.*

OBS. 297. Vir quinque & triginta annorum gravioribus curis ſollicitus, de dolore capitis gravativo, laſſitudine ſpontaneâ, & ore inquinato, à nonnullis diebus querebatur, cùm horrore & frigore corripitur, quos excipit *febris*, *virium proſtratione* & *doloribus totius corporis* contundentibus ſtipata. Dein erumpit

PULMONES

*hæmorrhagia narium* vix cohibenda. *Os ſordidum* fœtet; torrentur labia: *mens obnubilatur* cum moleſtâ corporis jactatione. Pulſus debilis & intermittens, cum tendinum ſubſultu exploratur; exacerbationibus inordinatè recurrentibus. Intereà prominet abdomen: erumpunt per totam cutem petechiæ, poſt triduum evaneſcentes. Tandem ingruit ſopor lethargicus & decimo quinto morbi die obiit.

Luſtrato cadavere, occurrunt pulmones lividi & gangrænoſi, ſero ſanioſo innatantes. Stomachus & inteſtina flatu diſtenta, phlogoſeos & gangrænæ notas exhibebant; cum omento partim putredine abſumpto. Stagnabat demùm in abdomine colluvies ſordida, teterrimum odorem ſpargens. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 298. Fœmina ſexagenariâ major, poſt diuturnus ægritudines in moleſtiſſimam *ſpirandi difficultatem*, *tuſſiculâ continuâ* ſtipatam incidit. *Sputum erat ichoroſum*, nigrum & peſſimè fœtens, os & fauces erodens. Totum corpus maculis ſubnigris & purpureis variegatum deprehenditur. Viribus collapſis ne quidem verbum proferre poterat ægra. Omnis denegabatur decubitus; & arcebatur ſomnus niſi corpore in exteriora reclinato. Demùm ingraveſcentibus ſymptomatibus ſudor frigidus totum corpus occupat, & ad plures migrat.

Invenitur omentum putridum & ferè conſumptum. Pulmo cruſtâ tenaci, craſſâ, fuſcâ & glutinosâ obveſtiebatur; quâ albatâ apparuit totus niger, putridus & fœtens; ſanie fœtidiſſimâ & tuberculis numeroſiſſimis ſcatens. Pericardium integrum nigrum ſe præbet. Inſuper maſſa ſanguinea penitùs diſſoluta & putrida videbatur. CLAR. STORCK.

OBS. 299. Virgo quatuordecim annorum brevi morbo ſublata, antè biennium *altum* ducebat *ſpiritum*. Pulſus erat languidus & inæqualis, cum pallore faciei. Accedit *febris continua cum calore mordaci*. Intereà vires dejiciuntur; urget *dyſpnœa*. Nonnihil tuſſiebat ſine ſputo. Accedunt *cordis palpitationes*, cum urinis craſſis, albis & adipoſis. Nunquam deliravit: nullam noctem duxit inſomnem; ne quidem ultimam, in quâ placidè, & ſine agone, expiravit.

Luſtrato thorace reperitur magna aquæ viroſæ copia; ad libras ſcilicet quatuor. Pulmones ſyderati inventi ſunt. In eorum ambitu puncta paſſim albicantia cernebantur, quæ leviſſimo tactu diſrupta pus & tabum eructabant. Muſculi intercoſtales, unà cum plevrâ,

virore erant perfuſi. Pericadium erat exſuccum & ſemi-putre. Rufius.

PULMONES

OBS. 300. Mulier quadragenaria ab octodecim menſibus diarrhæâ laborabat, cum inappetentiâ & virium exolutione. Remediis congruis adſtrictâ alvo, ſequebatur *vomitus materiæ ſubnigræ*, qui ægram ſummè debilitavit. Poſt annum integrum inter haſce moleſtias, varia tentantur præſidia; ſed incaſſùm. Intereà *macies* erat ad ultimum gradum devecta, & oſſa pelle duntaxat tegebantur. Elapſis ſex menſibus ſupervenit *tuſſis volenta:* prodierunt *ſputa ſubnigra* & fœtida: exacerbatur diarrhæa, quæ dein in meram *lienteriam* faceſſit. Anima tandem exſuccum corpus deſeruit.

Pulmones erant flaccidi, exeſi & nigri: ſimili colore defœdabantur pericardium, plevra & diaphragma; non ſecùs ac ventriculus, cum omnibus inteſtinis, omento, peritoneo, pancreate, veſicâ & utero. Haud abſimilem labem etiam exhibebant meninges. Clar. Storck.

OBS. 301. Vir temperamento bilioſo, in primo ſenio conſtitutus, poſt vigilias immodicas & arduos labores, in *febrem* aſſiduam delabitur, prævio diuturno rigore, cum *tuſſi*, *dolore* pungente & *ſpirandi difficultate*. Sputa erant cruenta; pulſus explorabatur durus & ſerratus. Poſt nonnullam remiſſionem, tranſacto ſeptimo die, febris cum rigore rursùs invadit, cum tuſſi & ſpirandi difficultate. Tum pulſus erat magnus & undoſus; ſpuitio uberrima, cruenta & nigricans. Decimo die, ingraveſcente morbo, & accedente pſeudo-delirio, vires deficiunt. Tandem decimo quarto, vitam cum morte commutavit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione in conſpectum veniebat pars dextra pulmonum corrupta, & nigricans; tanquam ſanguis concretus; cum plevrâ ejuſdem lateris malè affectâ. Lælius a Fonte.

OBS. 302. Sexagenarius, à *cane rabioſo morſus*, poſt tres menſes atrocibus minis, gravibuſque verberibus à quodam exceptus, miro & inſolenti timore agitatur. Dein acceſſit *luminis* & *aquæ horror:* coactus ſe contorquens bibere conabatur; ſed ſumma erat *deglutiendi difficultas.* Perſtitit incredibilis pavor, uſque ad mortem.

Iliacæ venæ adeò erant turgidæ, ut gracilis inteſtini diametrum æquarent. Pulmones ſanguine turgebant cum ſyderationis notis. Pericardium aquam ſubflavam copioſam recondebat. In corde

PULMONES paucus erat ſanguis, picis inſtar, nigerrimus. Vaſa cerebri ſanguine etiam atro præter modum replebantur; cum colluvie ſeroſâ ſubflava ad uncias tres in ventriculis ſtagnante. CLAR. MORGAGNUS.

OBS. 303. Virgo novennis *roſſaliâ* corripitur; *febre* ſcilicet cum *intenſo calore*, & *rubore univerſali*; ſiti, delirio & catarrho ad fauces; quæ cùm remiſiſſent, & cuticula ſquammatim excoriari inciperet; ecce duodecimo morbi die, novus rigor puellam invadit, quem preſſo pede ſequitur calor urentiſſimus, cum pravis aliis ſymptomatibus; adeò ut ante diem elapſum, ad plures migraverit.

Deprehendebatur aquæ citrinæ copia in cavitate pectoris. Pulmones ambo lividi & gangrænoſi conſpiciebantur. Siniſter magnum abſceſſum recondebat. Similis aqua obſervatur in abdomine. Omentum planè conſumptum animadvertebatur. Hepar portentoſæ erat magnitudinis, & ſubpallidum: lien minutulus, & è ſede quaſi depulſus. DORINGIUS.

OBS. 304. Vir triginta annorum *febre* quâdam *epidemicâ* prehenditur, cum nauſeâ, *vòmitu*, & oris amarore. Dein accedit *diarrhœa*, cum dejectionibus verminoſis. Sævit *dolor in ſcrobiculo cordis*; qui poſteà per totum abdomen propagatur. His ſupervenit *dolor pectoris*, cum *ſpirandi* & *deglutiendi difficultate*. Lingua arida & nigra evadit: ac demùm nono die interiit.

Vaſa cerebri ſanguine turgebant. Pulmo dexter erat purulentus & gangrænâ tactus: ſiniſter inflammatus & nigricans; ac nonnihil purulentus. Petereà occurrit phlogoſis in utroque ventriculi orificio. Inteſtina paſſim inflammata, putrida & gangrænoſa obſervantur. Hepar demùm putre & nigricans conſpicitur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 305. Muliercula ab inſpiratis fortè vaporibus lixivii, in *pectoris anguſtiam* incidit, quæ ad ſeptennium uſque perduravit. Contigit tandem cùm benè ſaturata, de menſâ cubitum peteret ut tantâ pectoris oppreſſione corrriperetur, & brevi ad plures migraret.

Secto cadavere inveniebatur pulmo, colore livido ad nigrum vergente, inquinatus. Inciſâ tracheâ ad bronchia, occurrunt propè meatus

meatus pulmonum carunculæ quamplurimæ nigræ, in modum parvarum glandularum, piſorum vel fabarum magnitudinem æquantium, aut excedentium; quæ pulmonum fiſtulas replendo, liberum aëris introitum, & exitum, impediebant. HORSTIUS. PULMONES

OBS. 306. Quidam, ineunte *febre malignâ* epidemicâ, *cardialgiâ* immani vexabatur; quam ſequuntur *tuſſis* moleſta, & *ſpirandi difficultas.* Urget *lateris dolor*, cum ſputo viſcido & cruento. Urinæ minguntur turbidæ & albicantes. Tertio die ingruunt nauſeæ; & inflatur regio epigaſtrica, cum alvi fluxu immani. Quinto inter convulſiones è vivis tollitur.

Ventriculus partim gangrænoſus colluviem ſubviridem & putidiſſimam continebat. Inteſtina flatulenta nonnullas inflammationis notas oſtendebant. Hepar infarctum deprehenditur, cum cyſti felleâ inani. Pulmones verò gangrænâ tacti ſero fuſco & fœtido innatabant. ROZE.

OBS. 307. Quidam de intenſo *lateris dolore* conqueritur; adeò ut ferè omninò *interciperetur reſpiratio*, comite ſiti inextinguibili, cum *ardentiſſimâ febre* Summa inquietudine torquebatur: algebant extrema, & corporis habitus, cum linguæ nigredine. Poſtridiè à decubitu obiit.

Reſerato cadavere, ſequentia deprehenſa ſunt. Veſicula fellis plus æquo turgebat. Lien ingens erat & duriſſimus. Pulmo ſiniſter lividus, putris & ſphacelo correptus, plevræ etiam labefactatæ cohærebat. Bronchia denique humore ſordido, & puris ſpeciem præ ſe ferente, ſcatebant. CRAMERUS.

OBS. 308. Quidam à parente podagrico ortus, circà ætatis annum trigeſimum quintum, *doloribus arthriticis* infæſtari cœpit; à quibus ut liberaretur emplaſtris quibuſdam, à chirurgo oblatis, abuſus incidit in *febrem ardentem*, pulmonum *inflammatione*, uti videbatur, ſtipatam, quâ ſuffocatus interiit.

Inter ſectionem cadaveris, ſeſe obtulit pulmo niger, adeòque tumidus; ut naturali ſuo reddi non potuerit hoſpitio. Hepar magnum plurimo nigro ſanguine conſperſum reperiebatur cum cyſti felleâ omni bile deſtitutâ, & plane inani. ANT. DE POZZIS.

PULMONES OBS. 309. Vir ſexagenarius & obeſus, *catarrho* ad pectus fluenti, & *orthopnææ* obnoxius; non ſecùs ac *cordis palpitaionibus*; hæmorrhoïdum fluxu prehenditur, cum œdemate crurum, ventris intumeſcentiâ, & pulſu inæquali. Dein accedit frigus horridum, ſubſequente *colore febrili*, qui in ſudorem ſolvebatur, cum ſummâ virium proſtratione. Intereà crus invadit eryſipela, cum ſomnolentiâ, quam excipit lethum.

Examini anatomico ſubjecto corpore, patet aquæ copia ſtagnans in abdomine. Pulmones intùs & extùs nigricabant. Cor in utroque thalamo concretionem polypoſam recondebat. SMETIUS.

OBS. 309. (*a*) Quemdam *febris* invadit cum *dolore lateris* pungitivo, *reſpiratione frequenti*, vomitu bilioſo, cephalalgiâ & *anxietatibus*. Dein erumpunt *ſputa cruenta*, rubiginoſa & fluidiſſima. Quarto die dolor evaneſcit; ſputa copioſiora fiunt ſpumoſa. Poſtremò præeunte obtutu vago, accedit *delirium* lethale.

Alter pulmonum lobus durus & gangrænoſus conſpicitur, atro cruore turgidus & plevræ accretus intermedio quodam corio albo & craſſo, plevrâ inculpatâ. Bronchia ſanie purulentâ replebantur. Pericardium cyathum ſeri flavi continebat. Colon varias gangrænæ notas exhibebat, cæteris inteſtinis flatu diſtentis. CLAR. SAUVAGES.

OBS. 310. Quidam quadragenarius *febre ardentiſſimâ*, cum inſigni *lateris dolore*, corripitur; accedunt inquietudines, & deliria nocturna. Urinæ mingebantur turbidæ, & erumpebat ſudor. Pulſus explorabatur perpetuò frequens & magnus, cum paucâ inæqualitate; & tendinum ſubſultu. Lotium ſedimentum nigrum deponebat. Floccos colligebat æger, perpetuò delirans, & decimo quarto morbi die occubuit.

Conſpecto cadavere in apricum veniebant pulmones ſphacelo tacti, nigricantes & corrupti. HOLLERIUS.

OBS. 311. Quidam adoleſcens poſt frigidiſſimum hauſtum, corpore ſummè incaleſcente, in *febrem* cephalalgiâ ſtipatam incidit, ſequente delirio. Intereà ſudoribus facillimè diffluebat. Ingruunt poſtremò convulſiones, quæ brevi mortem accerſunt.

Secto cadavere, reperitur cyſtis fellea intùs & extùs alba & planè inanis. Pulmo dexter inſtar atramenti aduſtus; & niger coſtis firmiter hærebat. In cerebro & reliquo corpore nil notatu dignum occurrit. BINNINGERUS.

PULMONES

OBS. 312. Quidam poſt aliquot menſes à *morſu canis rabidi*, manifeſtâ *hydrophobiâ* corripitur, quâ, variis incaſſum adhibitis præſidiis, è medio tollitur.

Inter cadaveris exenterationem, occurrit veſicula fellis bile nigerrimâ repleta. Pulmones conſpiciuntur nigri, & gravè olentes. Sub durâ meninge annotantur bullæ aëreæ. Vaſa omnia cerebri & plexûs choroïdis ſanguine atro turgebant; nullo ſtagnante ſero. Cerebri & cerebelli ſubſtantia nonnihil ſicca videbatur. MORGAGNUS.

OBS. 312. (*a*) Virgo quadragenaria *doloribus rheumaticis* uti videbatur obnoxia, & mammis ſcirrhoſis conflictata, *febre putridâ* prehenditur, quâ gravioribus accedentibus ſymptomatibus, circà undecimum morbi diem enecatur.

Occurrunt pulmones inflammati & nonnihil gangrænoſi. Dexter præstereà tuberculis ſcatebat. Similem fermè labem exhibebant ventriculus & inteſtina. CLAR. FOURNIER.

OBS. 313. In cadavere fœminæ *peripneumoniâ* laborantis, & quarto morbi die ſublatæ, conſpicitur pulmo totus putris & quaſi ſphacelo conſumptus. In abdomine latebat tumor ſteatomatoſus, uteri accretus, & viginti tres libras pondens. In dextro proplite congener tumor, pondere octodecim librarum annotatur. Fertur hanc fœminam ante prædictum morbum fuiſſe ſanam, hilarem, & agilem. CLAR. STORCK.

OBS. 314. Juvenis viginti quinque annorum incidit in *tuſſim*, cum *pectoris anguſtiâ*. Accedit *febris acuta*, ſiti intenſâ, æſtu pectoris, aliiſque peripneumoniæ notis, ſtipata. Septimo à primo inſultu die, morbi magnitudine ſuperatus naturæ ceſſit.

PULMONES Secto cadavere inveniebantur pulmones nigricantes, & ſphacelo defœdati; atque arctè hærentes membranæ coſtas ſuccingenti. LESSIUS.

OBS. 315. Juvenis viginti annorum *febre peſtilentiali* corripitur. Erumpit parotis gangrænoſa; urget ſebris; & decimo die moritur.

Luſtratis interaneis invenitur pulmo ſiniſter maculis purpuro-lividis obſitus. Cor ſolito majus concretionibus polypoſis turgebat. Hepar etiam ingens occurrit cum cyſti felleâ bile atro-viridi repletâ. DEIDIER.

OBS. 316. Vir temperamento bilioſo in *febrem aſſiduam*, ſed lentam, delabitur, cum appetitu dejecto. Procedente morbo vires ſenſim deficiunt; & ex inopinato occubuit.

Veſicula fellea bilem continebat fuſco colore infectam, cum pſeudo-calculo fabam ferè æquante. Pulmones nigris maculis erant diſtincti. Omnia vaſa cœnoſum ſanguinem continebant. VALSALVA.

OBS. 317. In cadavere juvenis viginti quinque annorum, *peſte*, phreneſi ſtipatâ, rapti, reperiebatur abſceſſus inter ſternum & mediaſtinum. Cor mole ampliſſimum ſanguine atro & craſſiori replebatur. Pulmones maculis lividis erant obſeſſi. Hepar & cerebrum ſimilibus maculis defœdabantur. DEIDIER.

OBS. 318. Introſpecto cadavere adoleſcentis viginti annorum, intrà quinque dies *peſte* enecati, annotabatur inflammatio gangrænoſa in parte poſticâ pulmonum. Hepar etiam mole maximum conſpicitur cum veſiculâ fellis tumidâ. Ventriculus & inteſtina bile viridi ſcatebant. SOULIERS.

OBS. 319. In cadavere cujuſdam juvenis *peripneumoniâ* epidemicâ, & mali moris, enecati, in conſpectum veniebat poſtrema

utriuſque pulmonis pars ſphacelata. Pars poſterior hepatis ſimili labe erat affecta ſtagnabat inſuper ſerum cruentum in ventriculis cerebri. Ex Actis Parisiensibus extern.

PULMONES

OBS. 320. Fœmina ſexagenaria rigore vehementiſſimo cum ſenſuum ferè abolitione corripitur, quem excipit *febris* cum *dolore lateris* acuto, & *vomitu bilis nigricantis*. Pulſus exploratur durus & plenus. Intereà urget ſopor; & poſtridiè obiit.

Cadaver cultro anatomico ſubjectum exhibebat pulmones ſanguine infarctos, nigros & gangrænoſos. E Diario medico.

OBS. 321. Ancilla octodecim annorum immani *hæmohphtiſi* corripitur, quâ domari neſciâ brevi extinguitur.

Aperto cadavere occurrebant pulmones ad nigredinem vergentes & inflammati. Præterea obſervatur vas inſigne diſruptum, cum bronchiis multo ſanguine ſpumoſo infarctis. Dolæus.

OBS 322. In corpore infantis bimeſtris, *ſuffocatione* ſublati, reperitur lobus pulmonum dexter, planè niger, per quinque tubercula nigra. Hepatis quoque pars ſuperior livida, & nigricans obſervatur. Salmuthus.

OBS. 323. In cadavere juvenis duorum & viginti annorum, intrà ſex dies *peſte* enecati, hepar ſemi-putridum occurrit & mole maximum. Pulmones nigricantes quatuor anthraces in parte poſticâ oſtendebant. Couziers.

OBS. 324. Quidam *anginâ gangrænoſâ* laborabat, cum anhelitûs inſuavitate; ſputa erant ſordida, & purulenta; & brevi moritur.

Inſtituta cadaveris ſectione totus internus thorax ſyderatus & nigricans apparuit. Ballonius.

PULMONES OBS. 325. Luſtrato cadavere infantis *dyſpnœâ*, ſine tuſſi, laborantis, in propatulum veniebat pulmo nigricans, cum copiâ ichoris albi in dextrâ parte. E MISCELL. CURIOSIS.

Hunc ordinem ſubeunt obſervationes Libr. I. 80 (*a*), 425, 606, 632, 666, 782, 864, 1144, 1592, 1726. Libr. II. 239, 453, 868, 891, 898, 930, 931. Libr. III. 104 (*a*), 470. Vide inſuper *Pulmonum inflammatio.*

---

## *Pulmonum putredo.*

OBS. 326. Vir quinquagenarius, viginti ab hinc annis, *tuſſi* laborabat. *Reſpiratio* erat *difficilis*, cum pulſu inæquali. Exacerbatur tuſſis & ſputa excernuntur glutinoſa & ſubflava. Poſt nonnullam remiſſionem inter æſtatem, ingruente tempore autumnali, rècidivam patitur, cum viribus languidioribus. Noctes inſomnes, ob tuſſim continuam, ducebat; *ſputa* erant craſſa & *puriformia.* Dolebat capite inter tuſſiendum. Tandem in animi deliquium incidit; & ultimum diem clauſit.

Aperto abdomine inventum eſt omentum ſemi-putridum, & in fruſta dilaceratum. Ventriculus ingens ſexdecim aquæ libras potuit recipere. Hepar nonnihil cartilaginoſum occurrit. Pulmo ſiniſter cum plevrâ firmiſſimè concretus, totus ſiccus & friabilis deprehendebatur: dexter verò niger, flaccidus nigro & grumoſo ſanguine infarctus plevræ quoque hærebat. Cor concretionibus polypoſis ſcatebat. Ablato cranio conſpiciebatur ſub durâ matre copioſum, & valdè tenax gluten. Lobi medii cerebri partem gangrænoſam exhibebant. Ventriculi verò exſiccati & corrugati cernebantur. CLAR. STORCK.

OBS. 327. Miles *peripneumoniâ* corripitur, ſolitis ſymptomatibus ſtipata. Excretio materiæ morboſæ neutiquam obtineri poteſt. Decimo quarto morbi die, vigentibus ſignis ſuppurati pulmonis, os ſacrum & magnam dorſi partem occupabat incipiens inflammatio. Mox in cute inflammatâ ſparſim enaſcebantur parva tubercula quæ ſponte rupta pus plorabant. Dein erumpit tumor in

pectoris latere, qui brevi in ſuppuratum abit. Alter ejuſdem indolis ſuperiorem ſterni partem obſidet. Intereà urgent *febris hectica*, ſudores nocturni, & *diarrhœa colliquativa*, quæ tandem lethum accerſunt.

Abſceſſus in ſummitate ſterni ſitus in ſiniſtrum pectoris cameram penetrabat; alter plevram duntaxat attingebant, quæ integra deprehendebatur. Pulmo dexter undique plevræ accretus, & partim ſcirrhoſus occurrit. Siniſter verò corruptus, niger & friabilis, in copioſo pure fœtente natabat, & ulceribus ſanioſis ſcatebat. Sternum & clavicula carie læſa, & corroſa videbantur. CLAR. HASENOHRL.

OBS. 388. Juvenis quinque & viginti annorum die quintâ Martii, *febre & dolore lateris ſiniſtri*, cum *tuſſi* & *difficili reſpiratione* corripitur. Die nono ſputa excernuntur cruenta. Decimo nono raucus erat æger, cum pulſu parvo & ſiti ingenti. Vigeſimo ſputa fiunt purulenta. Vigeſimo quinto meliùs ſe habere videbatur. Dein ab errore dietæ omnia in pejus ruunt; reſpiratio ſcilicet difficilor evadit, cum pulſu celeri & debili: tuſſis erat pauca, & expectoratio ferè nulla: urgebat pectoris anguſtia, cum anxietate: obſcurantur oculi & pedes tumere incipiunt. Die ſecundâ Aprilis reſpiratio erat liberior, & ſputum parcius. Sexto ſputum copioſius & purulentum, anxietates, tabes, facies horrida, ſitis ingens, pulſus obſcurus & reſpiratio difficilior; ac demùm die decimo Aprilis ſuffocatur.

Pulmo ſiniſter coſtis & diaphragmati adnatus, ſemi-corruptus erat, & quaſi pure infarctus. Lien putris; & diaphragmati firmiter accretus, etiam obſervatur. ZUINGERUS.

OBS. 329. Puer decennis poſt febrem acutam, *in ſpirandi difficulatem*, *tuſſi ſicca* ſtipatam incidit. Oculi fiunt concavi: genæ & oris labia livent: pulſus exploratur debilis & intermittens, cum virium defectu. Manu pectori admotâ, percipitur *cor motu tremulo* & celerrimo agitari. Tandem omnibus in deteriora ruentibus; & accedente ſudore frigido tenaciſſimo, inter anxias luctationes expiravit.

Lobus ſuperior utriuſque pulmonis totus niger, & in liquamen nigrum fœtidumque corruptus reperiebatur. Reliqui lobi ſani, cruſtâ flavâ, craſſâ & denſâ inveſtiebantur, cujus ope plevræ & diaphragmati hærebant. Diſſecto pericardio cor in ſacco coriaceo, flavo, tenaci ſemipollicem craſſo exteriùs, hirſuto & piloſo, interiùs glabro, latuit. CLAR. STORCK.

PULMONES

OBS. 330. Quidam cachecticus & diuturnâ diarrhæâ conflictatus, magno dorſi & lumborum dolore corripitur. Accedit *febris* continua, cum *tuſſi* moleſtiſſimâ, & *ſanguinis ſputo*; quod denique fit purulentum. Febris hecticæ typum refert: vigiliæ ſunt contumaces: facies Hippocratica & cadaveroſa. Tandem viribus exhauſtis & mente ſanâ, ultimum diem clauſit.

Pulmo lateris ſiniſtri arctè annectebatur plevræ, mediaſtino & pericardio. Totum parenchyma in pus craſſum commutatum erat, vel induratum, coloris fuſci, carnis inſtar infumatæ. Pulmo dexter erat exſiccatus, & paſſim pure infarctus. Multum ſerum fluctuabat in pericardio, & thoracis cavo. HEURNIUS.

OBS. 331. Juvenis quinque & viginti annorum *variis hæmorrhagiis*, narium ſcilicet, pulmonum, ani, & penis, per triennium obnoxius, cum *ſpirandi difficultate*, *febre vehementiori* prehenditur cum moleſtiſſimis anxietatibus. Accedit delirium fugax; ſed ſæpè recurrens: ſequuntur convulſiones. Omnia demùm in pejus ruunt, & occubuit æger.

Reperitur meſenterium ſcirrhoſum, cum inteſtinis flatulentis. Ren ſiniſter putris ſanguinem recondebat. Veſica erat ſphacelo tacta. Pulmo dexter varia tubercula in ſuperficie exhibebat. In ejus ſubſtantiâ latebat vomica, materiâ putri turgens. Siniſter erat putris & fœtidus. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 332. Vidua quinque & quadraginta annorum, variis ægritudinibus, appetitu proſtrato obnoxia, incidit in *febrem continuam*, cum *maculis* rubris per totum corpus *morbillorum inſtar*. Noctu ſæviunt exacerbationes, ingruit affectus comatoſus: natura nil movet diebus judicibus: dejectiones ſunt putres admodùm, cum viribus deficientibus. Die duodecimo accedunt leve delirium; oculorum lacrymæ involuntariæ; genarum rubor, tremores & ſubſultus tendinum; ac demùm mors.

Secto cadavere, reperti ſunt pulmones veluti putres, coſtis adhærentes. Occurrebant prætereà inteſtina ultrà modum flatulenta. BALLONIUS.

OBS. 333. Quadragenarius *febre ardentiſſimâ*, cum *dolore lateris* corripitur

corripitur. Septimo die erumpit ſudor levis in capite & thorace. Accedunt deliria nocturna, æſtus & inquietudines, cum urinis turbidis. Nono & undecimo erumpit ſudor ſine levamine. Urinæ ſubſident. Pulſus exploratur perpetuò frequens & magnus; ac nonnihil inæqualis. Die decimo tertio floccos colligit, & revelluntur digiti, cum delirio perpetuo. Ac demùm decimo quarto obiit.

PULMONES

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in conſpectum veniebant pulmones utrimque corrupti & nigricantes. HOLLERIUS.

OBS. 334. Quidam immanibus *in dorſo doloribus* diù vexatus; tandem *nigra vomuit*; cum ramento membranaceo, cruento.

Mortui ſecto cadavere, pulmo totus corruptus & putrefactus deprehenditur, & dorſo firmiter adhærens. Œſophagus ulcere erat perforatus: & per hoc foramen materia putris pulmonum ad ventriculum appellebat. Unde per intervalla vomitu iſta ſaburra prodiit. VOLCAMERUS.

OBS. 334. (*a*) Quidam ſurdus, *vino* plus æquo *indulgens*, *febre* quâdam *putridâ*, *inflammationem pulmonum* comitem habente, corripitur è quâ ægrè evaſit; remanentibus, *tuſſi*, cum *ſputis ſordidis* & ſummâ virium debilitate. Tandem macie & febre lentâ conficitur.

Secto abdomine, reperiuntur ventriculus & inteſtina infarcta, ac variis phlogoſeos & gangrænæ notis ſignata. Pulmones ſemiputridi utrimque hærebant; cum ſtagnante colluviei ſeroſæ, & purulentæ, copiâ. CLAR. FOURNIER.

OBS. 335. Anicula laborabat per plures menſes *tuſſi* vehementi, cum *ſputo* ſubviridi, *purulento* & fœtido. *Impedita erat reſpiratio.*, cum metu ſuffocationis inter ſomnum; ac difficilis erat decubitus in quocumque ſitu. *Febris* primò lenta, dein exacerbatur. Accedit tumor totius corporis œdematoſus. Tandem viribus exolutis obiit.

Stagnabat aqua in utroque pectoris latere. Pulmones paſſim exulcerati & putridi reperiebantur. E DIARIO MEDICO.

PULMONES OBS. 336. Juvenis quinque & viginti annos natus *inflammatione pectoris* corripitur. Dolore lateris ſiniſtri torquebatur, cum tuſſi & ſpirandi difficultate. Febris erat intenſa, & excernebantur ſputa cruenta ſolutiora. Morbo procedente, omnia ingraveſcunt ſymptomata : pulſus convulſus evadit; & undecimo die migravit ad ſuperos.

Luſtrato cadavere, occurrunt pulmones infarcti, & plevræ firmiter hærentes. Siniſter erat putridus, abſque purulentiâ conſpicuâ. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 337. Vir octo & triginta annorum, de *ardore & gravitate in præcordiis* nonnunquam querebatur. Acceſſit *dolor in lumbis*, iſchiadicum mentiens, quem excipit tumor vel *abſceſſus* in parte poſticâ femoris ſiniſtri, è quo aperto ſtupenda profluxit puris copia, quam evacuationem preſſo pede ſequitur mors.

Lobus ſiniſter pulmonis è directo affecti femoris, purulentus & putris apparuit. Splen quoque friabilis, & præ putredine diſſolvebatur. BONET.

OBS. 338. Juvenis nobilis, lautè victitans, quinto vel ſexto die alvum ægrè exonerans; & cui erumpebant inter æſtatem puſtulæ rubicundæ in facie; *febre duplici tertianâ* prehenditur, quæ ſolitis præſidiis fauſtè fugatur. Poſt nonnullos menſes incidit in *febrem putridam*, quâ nono die è vivis tollitur.

Obſervantur pulmones puſtuloſi & putridi. Lien erat major & nigricans; atque jecur ponderoſum & exſiccatum. BONETUS.

OBS. 339. Puerpera, *haud fluentibus lochiis*, in *tuſſim moleſtam* incidit, quæ ſenſim cum *pectoris dolore* & gravitate, exacerbatur. Febris per intervalla vehemens eum invadebat. Tandem *febre hecticâ* per decem menſes conficitur.

Pulmones deprehendebantur toti purulenti & putridi, & ad coſtas utrimque adhæreſcentes. Prætereà in his annotabatur ſaccus pure repletus, juxtà claviculas ſitus. CATTIERUS.

OBS. 340. Vir duorum & quadraginta annorum *anginâ gangrænosâ*

epidemicâ corripitur, cum *febre ardente*, dolore capitis acerbiſſimo, & moleſtiſſimâ *deglutiendi difficultate*. Pulſus explorabatur exilis; & tertio die moritur. PULMONES

Præter oris ſtragem, reperiuntur in dextro thoracis cavo aquæ purulentæ & fœtidiſſimæ libræ circiter quatuor. Pulmo ejuſdem lateris purulentus & putridus obſervabatur. E DIARIO MEDICO.

OBS. 341. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam pueri *phthiſi*, & *maraſmo* extincti, in conſpectum veniebant pulmones coſtis, dorſo & mediaſtino annexi, & putres. Uterque lobus, ſupernâ parte, ulcus immane oſtendebat, pugnum utrimque admittens, cujus cavitas cruore, ſanie & pure grandinoſo, repleta conſpiciebatur. Pericardium denique aquâ diſtentum annotabatur. BONETUS.

OBS. 342. Sexagenarius ex pravo victu in *leucophlegmatiam* incidit, & dein in inſignem ventris; ſcroti & pedum tumorem. Ac ſeptimo menſe obiit.

Reperitur lien exiguus. Veſicula fellis tres calculos recondebat. Aqua parcâ copiâ ſtagnabat in pectore & in abdomine; ſed major erat hujuſce humoris proventus in pericardio. Pulmo dexter fœdo ichore ſcatebat, & coſtis hærebat. Simili fermè modo afficiebatur ſiniſter. HEURNIUS.

OBS. 343. Quidam *febre epidemicâ*, *tuſſi* & *ſingultu* moleſtiſſimis ſtipatâ, laborabat. Identidem intumuit corpus. Urgebat dolor œſophagi circa orificium ventriculi. Dejectiones erant bilioſæ & dein purulentæ; tandem ad tabem vergens interiit.

Abdomen aquæ copiam continebat. Pulmones occurrebant purulenti & corrupti. Inteſtina liveſcebant, cum nonnullis gangrænæ notis. Poſtremò lien putris annotabatur. BALLONIUS.

OBS. 344. Juvenis octo & viginti annorum, poſt *diarrhœam diuturnam*, de ingraveſcente *tuſſi*, & virium imbecillitate querebatur. Accedit inſignis macies. Ejiciuntur *ſputa ſordida*, nullo

PULMONES dolore pectoris. Tandem paulò ante obitum convulſionibus corripitur.

Aperto cadavere, conſpiciuntur omentum & peritoneum eroſa & putrida. Pulmo verò dexter planè corruptus deprehenditur. MANGETUS.

OBS. 345. Quidam poſt *depulſam ſcabiem* intempeſtivis remediis *defluxione* ſalſi humoris *ad pulmones* corripitur. Sanguinem per intervalla tuſſi rejicit. Accedente *febre hecticâ* ſenſim conficitur.

Inſtitutâ cadaveris ſectione, in propatulum veniunt pulmones omninò ferè corrupti, & magnâ ex parte in ſcirrhum indurati. VELSCHIUS.

OBS. 346. Juvenis quinque & viginti annorum pluribus abhinc menſibus *anaſarcâ* laborabat. Nulla erat ſpirandi difficultas; nullus dolor pectoris; donec quindecim diebus ante obitum *tuſſi* corriperetur, cum *ſputo cruento*.

Inter examen cadaveris, pulmones reperiebantur utrimque putridi, cum paucâ colluvie ſeroſâ. Major erat copia ſeri ſtagnantis in abdomine. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 347. In cadavere cujuſdam *repentinâ morte* extincti, deprehenditur pulmo dexter putridus & partim conſumptus; reſiduâ membranâ exteriore craſſiſſimâ, arctè plevræ adnatâ; cum aquæ gravè olentis ſtagnatione. Pericardium multâ aquâ erat diſtentum. BARTHOLINUS.

OBS. 348. Luſtrato cadavere cujuſdam *tabidi* duorum & viginti annorum, inveniebatur inſignis pulmonis dextri corruptela. Siniſter nonnullas vomicas recondebat. Pericardium erat aquâ valdè diſtentum. Cordis auricula dextra ad magnitudinem ovi anſerini intumuerat; ſanguine nigro & craſſo oppleta. HEURNIUS.

OBS. 349. Quidam diù laboraverat *ſputo ſanguinis*; ac dein *ſaniei copioſiſſimæ*. Poſtremò extenuatus obiit.

Secto cadavere reperiuntur pulmones coſtis & diaphragmati arctè adnati. In dextro quidem latere, ubi dolorem ſenſerat, inventa ſunt fragmenta bronchiorum è pulmonibus avulſa, cum ſanie copiosâ. BONTIUS. PULMONES

OBS. 350. Quidam poſt plures *inſultus pleuriticos*, *dyſpneâ* laborabat, cum defluxu in pedem. Perſiſtente & ingraveſcente morbo, macie, confectus obiit.

Pulmones paſſim exhibebant tubercula quaſi glanduloſa: ſiniſter verò lobus correptus & gangrænoſus videbatur. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 351. Quidam obeſus frigidum liberaliùs potabat; & à viginti circiter annis *aſthmate* per intervalla redeunte laborabat.

Mortui ſecto cadavere inveniebantur pulmones maximâ ex parte nigri & putridi, non ſine pure; eâ præſertim parte, quâ dorſum attingebant. BONETUS.

OBS. 352. Quædam fœmina in *febrem continuam* incidit; inter quam ingruit *affectus comatoſus*, cum genarum rubore, delirio & tremore, quæ lethum accerſunt.

Reſerato pectore deprehendebantur pulmones veluti putres, & partibus ambientibus adhærentes. BONET.

OBS. 353. In cadavere mulieris *phthiſicæ* totus pulmo intùs purulentus, & putridus inveniebatur; ità ut è quâvis parte ſectâ pus erumperet. Hæc lentâ macie conſumpta ſceleton planè referebat. Morbus erat hereditarius. PAWIUS.

OBS. 354. Inter ſectionem cujuſdam *cachectici*, *morbo pectoris* ſublati, hepar pallidum, & quaſi coctum invenitur.

PULMONES — Pulmonum ſiniſter inflammatus & ferè putridus occurrit. BARTHOLINUS.

OBS. 355. in corporibus variorum *peripneumoniâ* extinctorum præcedente levi dolore lateris, reperiebatur pulmonis corpus putre, ſanioſum & fœtidiſſimum. BALLONIUS.

Huc pertinent obſervationes Libr. I. 23, 26, 402, 439, 584, 642, 760, 779, 784, 801, 956, 959, 1088, 1134, 1514, 1590, 1715. Libr. II. 57, 407, 420, 547, 644, 746, 776, 860, 867, 876, 912, 926. Libr. III. 530, 506(*a*). Libr. IV. 85. 168, 179. Vide *Viſcera abdominis putrida.*

---

## *Pulmones abſumpti.*

OBS. 356. Quidam juvenis quintum luſtrum attingens *peripneumoniam* perpeſſus, *febre lentâ*, cum quodam *lateris ſiniſtri dolore* laborabat. Accedit totius corporis habitus œdematoſus. Urinæ lateritiæ parcè fluebant. Rara erat *tuſſis*, ſed ſenſim ingraveſcebat dolor lateris. Urgebat *ſpirandi difficultas*, cum difficili decubitu in latus dextrum. Procedente morbo innoteſcunt *aſcites* & *leucophlegmatia*. Tum febris excandeſcit; propagatur dolor lateris ad regionem cordis & hepatis. Intereà omnis denegatur decubitus ob imminentem ſuffocationem; & die trigeſimo ſecundo à peripneumoniâ extinguitur.

Haud ultrà aquæ libras quatuor abdomen continebat. Ingens & ſcirrhoſum hepar deprehendebatur. Pulmo ſiniſter planè abſumptus erat, nullis apparentibus reliquiis; pure ſincero & lacteo hanc pectoris cavitatem replente. Cor exiguum ſero copioſo, ſubcruento innatabat: eroſa videbatur ejus ſuperficies, non ſecùs ac facies interna pericardii; ſed error erat in autopſiâ; cum cruſtâ quâdam membranaceâ obveſtiebatnr prædictum viſcus, & obducebatur pericardium; quâ facili morte ſublatâ, integræ & ſanæ reperiebantur prædictæ partes. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 357. Vir ſeptem & quadraginta annorum, ab equo præceps actus, ſentiebat continuos *dorſi & lumborum dolores.*

Biennio poſt pedes inflari cœperunt, & venter quoque intumeſcere. Accedit *tuſſicula*, & *dyſpnœa* cum torpore brachii dextri œdematoſi. Urget *ſpirandi difficultas*, cum difficili decubitu in utrumque latus. Nil proficientibus remediis ad paracenteſim devenitur, quâ educuntur octo & viginti libræ ſeri limpidi & flavi. Perſtat ſpirandi difficultas, cum tuſſi & anxietatibus, undè emerſit ſuſpicio de hydrope pectoris. Paulò poſt obiit.

Abdomen colligebat ſexdecim libras aquæ parùm fœtidæ. Occurrebant in meſenterio bini tumores ſcirrhoſi & non nihil cartilaginei, pugni molem æquantes; & materiam quamdam ſebaceam recondentes. Utraque pectoris camera aquâ erat pleniſſima, cui pus innatabat. Plevra & diaphragma pſeudo-membranâ purulentâ obducebantur. Pulmonis dextri vix ſuperaret veſtigium. Pericardium denique ſimili aquâ ſubpurulenttâ replebatur. CLAR. HASENORL.

OBS. 358. Quidam acutiſſimis *doloribus colicis* obnoxius incidit in febrem, *duplicis tertianæ* typum ſerventem, vigiliis & ſiti moleſtam. Septimo die oborta eſt diarrhæa ad quadrageſimum perſeverans. Aderat levis *tuſſicula*, cum difficili ad latera decubitu. Quadrageſimo die remittit febris, & tardiùs, poſt octo ſcilicet vel decem dies, recurrit. Dein alternis diebus invadit, cum *ſpirandi difficultate*, & anxietate in principio acceſſionis. Poſteà fiunt induciæ per menſem; quo elapſo recrudeſcit febris. *Sputa* erant *craſſa* & ſubflava. Urinæ ſedimentum craſſum exhibebant. Tandem circà finem ſexti menſis, omnibus in pejus ruentibus obiit.

Exenterato cadavere, reperiebatur hepar tumidum & decolor. Stagnabant aquæ libræ quinque in cavo pectoris dextro; pulmone nonnihil putrido & ſanioſo. Nullum repertum fuit pulmonis ſiniſtri veſtigium præter membranam coſtis hærentem. VELFCHIUS.

OBS. 359. Fœmina triginta circiter annorum jamdiù querebatur de *dolore gravativo* in regione *hepatis*, qui vel levi preſſione mirè exacerbabatur. Tumebat pars affecta cum renitentiâ & calore intenſiori. Crus dextrum ſtupore afficiebatur. Accedit *tuſſis*, *cum ſputo* ſubcruento & *purulento*. Sæviebat *febris lenta* cum exacerbationibus ſerotinis. Tandem erumpunt vomitus cruenti, cum dejectionibus nigris & fœtidiſſimis. Viribus ultimò exhauſtis & macie confecta periit.

PULMONES

Hepar ſanum occurrit ; ſed reperitur abſceſſus ingens in rene dextro cum decem lapidibus, nullo remanente veſtigio renis ſubſtantiæ. Pulmo ſiniſter planè conſumptus exhibuit ſaccum pure repletum. Dexter tuberculis merè lapideis ſcatebat. Pericardium cordi arctè hærebat. E DIARIO MEDICO.

OBS. 360. Juvenis quinque & viginti annorum *febre quartanâ* à duobus menſibus laborabat, quæ intempeſtivâ curatione fugatur. Paulò poſt ſenſim tumet abdomen, donec innoteſcat *aſcites*. Poſt cujus incrementum, celebratur paracenteſis, & maxima colluviei fœtidæ copia educitur. Intrà quindecim dies denuò diſtenditur abdomen, & ſubito extinguitur. Notandum quòd nunquam tuſſiebat ; nullaque erat ſpirandi difficultas : in latus dextrum ſæpiùs etiam decumbebat.

Venter aquâ ſordidâ & fœtidâ replebatur, cum omento putrido & ferè conſumpto. Hepar, inteſtina & cætera abdominis viſcera, cruſtâ quâdam gelatinosâ & purulentâ obveſtiebantur. Pulmo dexter, ſi excipias fruſtum, tæniæ inſtar, mediaſtino accretum, omninò abſumptus reperitur ; locum vacuum replente ſero ſordido & purulento. Plevra & diaphragma materiâ quâdam gelatinosâ & purulenta obducebantur. Pulmo ſiniſter ſanus occurrit. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 361. Adoleſcens decimum octavum ætatis annum agens *febre continuâ epidemicâ*, cum ſolitis exacerbationibus & inſigni virium proſtratione laborabat. Acerbiſſimus erat capitis & præſertim ſincipitis dolor. Haud tuſſiebat ; de nullo pectoris dolore querebatur ; & reſpiratio liberè exercebatur. Decimo quarto die deſiit febris ; & æger benè ſe habere videbatur ; ſi excipias inſolitam pro ætate debilitatem. Poſt integram hebdomadam ſubito recurrit *febris* cum *dolore lateris* ſiniſtri acutiſſimo, & inſigni ſpirandi difficultate : tertio à recidivâ die interiit.

Exenterato cadavere deprehendebatur pulmo ſiniſter planè abſumptus ; cujus nativam ſedem occupabat latex purulentus. Omnia alia viſcera, tùm pectoris, tùm abdominis inculpata videbantur ; vel quibuſdam læſionibus haud notatu dignis, affecta. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 362.

PULMONES

OBS. 362. Juvenis duorum & viginti annorum ab octo menſibus *tuſſi* laborabat; quæ dein ferina evadit, cum *ſpirandi difficultate*, *ſputo purulento*, *febre hecticâ*, macie alvi fluxu & ſudoribus nocturnis; aliiſque phthiſeos confirmatæ ſymptomatibus; quibus tandem extinguitur.

Inveniebatur hepar duplo majus. Lien durus erat & calloſus. Stomachus mole hepatis è ſede depellebatur. Latus pectoris ſiniſtrum fermè vacuum exhibebat pulmonem abſumptum, remanentibus membranâ & majoribus vaſis; & quâdam parte ſcirrhosâ, haud tamen duos pollices latâ, bronchiis hærente. Pericardium aquæ uncias quinque continebat. Pulmo dexter partibus circùm ambientibus firmiter hærens, tuberculis partim gypſeis, partim purulentis, ſcatebat. E DIARIO MEDICO.

OBS. 363. Fœmina quinque & viginti annorum, jam diù *phthiſi*, & *hydrope* laborabat, cum teterrimo uteri fluore, lento, granuloſo & quaſi calcario. Viribus tandem exhauſtis, è medio tollitur.

Pulmones occurrunt ab acri ichore adeò exeſi ut nil niſi membranam craſſam, flaccidam & exulceratam referrent. In abdomine latuit ſerum copioſum nigrum & fœtidum. Omentum erat putridum & ferè abſumptum. Inteſtina ſemi-putrida & partim eroſa conſpiciebantur. Uterus, cum vaginâ, videbatur gangrænoſus. Ovaria pugno virili majora, dura & tuberoſa recondebant materiam verè cretaceam. Veſica etiam ſemi-putrida annotabatur. CLAR. STORCK.

OBS. 364. Puer octennis *de ſcalâ delapſus*, ſanguinem exſpuit & cœpit ſenſim contabeſcere. Dein *tuſſis perpetua*, & *ſputa purulenta*. Huic *febre hecticâ* ad extremum marcorem adducto, erumpit prominentia inter coſtas, tuberculi inſtar mollis; quod preſſum in thoracis ſpatium retrocedebat; remiſſum redibat; è quo ſecto pus copioſiſſimum proſiliit. Viribus tandem fatiſcentibus obiit.

Secto cadavere deprehendebantur pulmones putredine penitùs ferè abſumpti; vel in pus converſi; cum plevrâ prætumidâ, & purulentiâ conſpurcatâ. PLATERUS.

OBS. 365. Villicus triginta circiter annorum ſtolidus, & *leucophlegmatiâ* laborans, de nullo alio morbo querebatur. Œdema intereà ſolitum incrementum ſumebat. Accedit *febricula*, urinis turbidis parcè fluentibus. Vires ſenſim deficiebant, & æger decumbere cogebatur, qui paulò poſt placidè obiit.

PULMONES

Viſcera abdominalia occurrebant integra, & inculpata. Pulmo dexter planè deficiebat, ſi excipias nonnullas bronchiorum reliquias, quæ pomi minoris molem vix æquabant. Pectoris cavum à pulmone vacuum pure ſincero replebatur. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 366. Puella quinquennis poſt *morbillos* incidit in *febrem ſemi-tertianam*; per cujus decurſum adſtrictionibus alvi continuis, & *dolore* circà regionem *hepatis*, atque *dyſpnæâ* ſummoperè divexabatur; à quibus tandem convaluit. Paulò poſt recidivam paſſa de immani *ventriculi & dorſi dolore* conquerebatur. Tandem viribus exhauſtis ad plures migravit.

Omentum erat dilaceratum, & inferiùs delapſum. Colon & ventriculus conſpiciebantur deorsùm extrà ſedem propulſa. Hepar magnum & ſcirrhoſum validè adnatum diaphragmati. Pulmo dexter ſemi putridus; ſiniſter verò omninò abſumptus, & in pus commutatus deprehenditur. PLATERUS.

OBS. 367. Vir triginta annorum à biennio laborabat dolore capitis obtuſo & moleſtiſſimo; non ſecùs ac *aſthmate*, cum *ſtertore* & *ſenſu ponderis* in thorace. Facies erat pallida & œdematoſa; variiſque tuberculis exaſperata. Tandem ſubitò extinguitur.

Vaſa cerebri ultrà modum tumebant. Dexter cerebri ventriculus recondebat corpus fibroſum, ad ovi gallinacei molem accedens. Uterque ventriculus aquâ ſcatebat. Pulmo dexter planè conſumptus erat; materiâ ſaniosâ & ſordidâ cavum pectoris occupante; quæ ob cariem coſtarum & ſterni extùs prorumpens tumorem conſpicuum in parte inferiori pectoris concitaverat. PONCELET.

OBS. 368. Puella *chloroſi* & *ſpirandi difficultate* per triennium laborabat, cùm perſenſit horribilem agitationem in pectore, quaſi totum eſſet aquâ repletum ingraveſcente anhelitu, accedunt *convulſiones* quas excipit lethum.

Aperto cadavere fœtidiſſimo, tota ferè cavitas pectoris ſuperiùs vacua, cadavere ſupino jacente, & inferiùs nonniſi craſſo lacte repleta videtur: ſed latus duntaxat dextrum ſic ſe habebat, cum tertiâ ſiniſtri parte. Quantitas limoſæ materiæ erat circiter trium pintarum. Continebatur hic latex ſacculo craſſiori qui mediaſtini quodam modo vices gerebat. BONETUS.

PULMONES

OBS. 369. Vir quidam qui antè viginti quinque annos *venenum* aliquod aſſumpſerat, multis & gravibus ægritudinibus ac præſertim *aſthmate* conflictabatur. Quibus ultimis vitæ annis ingraveſcentibus, ne verbum quidam proferre valebat, quod ab aſtantibus intelligeretur.

Pulmonis pars dextra dorſo connexa conſpicitur, ſiniſtra verò tota conſumpta occurrit; ſic ut pus ſpatium illud totum pectoris repleverat. In pure autem laminæ plurimæ reperiebantur, oſſis duritiem, coloremque referentes. Omnia abdominis viſcera etiam labefactata inveniuntur, & nonnulla purulenta. BLASIUS.

OBS. 370. Quidam *aſthmate* diù laboraverat, cum pulſu formicante. *Difficilis* erat *decubitus* præcipuè in latus ſiniſtrum. Tandem *ſubitaneâ morte* rapitur.

Secto cadavere, reperiuntur in thoracis cavitate dextrâ aquæ libræ quindecim; pulmone ex ea parte prorsùs conſumpto, ut ne tantum de ejus ſubſtantiâ reſtaret. Aderat ſimul vomica inſtar ovi gallinacei. Pulmo ſiniſter erat integerrimus & pericardium aquâ plenum; unde pulſus formicans extiterat. SALMUTHUS.

OBS. 371. Quidam poſt morbum acutum pectoris incidit in *cachexiam*, *tuſſi* & *dyſpneâ* ſtipatam. Tandem phthiſicus obit.

Dexter pulmo plevræ ſuprà modùm craſſæ validiſſimè erat adnatus. Totus ibi pulmo fœde conſumptus erat ut vix præter vaſa & filamenta quid percipieretur. Cavitas replebatur fœtidiſſimâ ſanie. Siniſter pulmo aliquantulum corruptus, & exiguis vomicis refertus apparet. Cor pericardio erat accretum; omentum verò ferè conſumptum HEURNIUS.

OBS. 372. Fœmina ſex & viginti annorum, per ſeſqui annum *aſcite* laborabat, cum gravitate & tumore duro ad regionem uteri. Tandem fatis ceſſit.

Aperto abdomine effluxèrunt quadraginta menſuræ aquæ. Ovarium dextrum tanta erat magnitudinis ut caput infantis æquaverit; quod ſectum ingentem puris copiam exhibuit. Pulmones ne minimam partem parenchymatis, ſed ſolummodò vaſa & membranas continebant; cùm tamen de nullo dolore, nec tuſſi conqueſta fuerit. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

PULMONES

OBS. 373. Quadragenarius *purulenta tuſſiens*, circà diaphragma ſiniſtrum vehementiſſimè doluit. Sputa fiunt ſpumoſa: *venter inflatur*, & ſonat inſtar tympani; pedes tument; & lotium mingitur cruentum. Per ſex menſes lecto affixus *tabe* conficitur & *aſcite* extinguitur.

Siniſter pulmo ferè totus conſumptus erat, & cavitas pectoris multas menſuras ſeri purulenti, & flavi, continebat. Diaphragma ſolito craſſius erat. Abdomen eodem fermè humore erat repletum. E MISCELLANEIS CURIOSIS.

OBS. 374. Vir quinque & quadraginta annorum à binis & dimidio annis *tuſſiculâ ſiccâ* & moleſtiſſimâ laborabat, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. *Sputum* erat *tenue* & ſpumoſum. Intereà vires ſenſim concidunt; defluunt capilli; evaneſcunt carnes; ac poſtremò erumpente ſudore copioſo & acerrimo, accedit lethum.

Pulmo dexter referebat ſaccum membranaceum qui octo libras ſeri fœtidi, acris & ſubfuſci recludebat. CLAR. STORCK.

OBS. 375. In cadavere fœminæ ſex & quinquaginta annorum *hydrope* denatæ; præter ingentem aquæ copiam in abdomine contentam, & variam viſcerum abdominalium labem, deprehendebatur pulmo dexter planè conſumptus, remanentibus duntaxat reliquiis vaſculoſis & membranoſis. Hoc pectoris cavam latice ſordido replebatur; etſi ægra nuſquam de dolore, & tuſſi, aliove ſymptomate pectu reſpiciente, conqueſta fuerat. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 376. Vir quinque & triginta annorum, pancreaticâ ſanitate gaudens, *peripneumoniâ* corripitur, ſolitis ſymptomatibus ſtipatâ; è quâ evaſiſſe videbatur; remanentibus moleſtiſſimis reliquiis *febre* nempe *hecticâ*, & *ſpirandi difficultate*. Tandem trigeſimo ſecundo morbi die obiit.

Cadaver exenteratum pulmonem dextrum planè abſumptum exhibebat. Sinceri ſcilicet puris & inodori ſtupenda copia integram pulmonis ſedem occupabat, exiguâ hujuſce viſceris parte ſuperſtite. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 377. In cadavere cujuſdam *phthiſicæ* pulmo ſiniſter ferè totus conſumptus videbatur; & cavitas pure teterrimo & vireſcente, cui innatabant ramenta putrida, replebatur. Plevra ſolito craſſior paſſim erat inæqualis. Pars pulmonis ſuperſtes multas vomicas continebat. Dexter verò pulmo duris tuberculis ſcatebat, nec-non ſanie purulentâ; adeò ut incipientis putredinis notas exhiberet. HEURNIUS. PULMONES

OBS. 378. Quidam *pleuritide* laborabat cum ſputo cruento & ſanioſo. Febrem acutam excipit lenta, & quadrageſimo à primâ morbi invaſione die ad plures migravit.

Nullum apparuit pulmonis ſiniſtri veſtigium, ſtupendâ ſaniei copiâ cavum ejuſdem lateris replente. Diaphragma & muſculi abdominales exeſa conſpiciebantur; adeò ut ſi nonnullos dies adhuc ſupervixiſſet æger, crepuiſſet per coſtas. WOLPHIUS.

OBS. 379. In corporibus variorum *phthiſicorum* qui dum viverent, præter marcorem & tuſſim, nullo alio morbo laborare videbantur; qui pauco duntaxat ante obitum tempore, *ſpirandi difficultate* premebantur; unus & alter pulmo reperiebatur purulentiâ planè abſumptus; adeò ut nil de viſcere ſupereſſet, præter callum quo obturabantur vaſa huc pertingentia. PLATERUS.

OBS. 380. Juvenis ſexdecim circiter annorum ægrè, inſtar *aſthmatici*, reſpirabat. De *dolore* aſſiduo & gravitate *lateris ſiniſtri* cum *tuſſi ſiccâ*, admodùm moleſtâ, querebatur. Tandem *febre lentâ*, quâ jampridem laborabat, interiit.

Inſtitutâ cadaveris ſectione ſiniſter pulmonis lobus omninò conſumptus apparuit. Cavitas verò ſiniſtra, pectoris erat plena ſero purulento. BAYLE.

OBS. 381. Juvenis duorum & viginti annorum è *gravi catarrho* neglectim habito incidit in violentam, & *diuturnam tuſſim*, noctu maximè affligentem cùm *ſputo rotundo*, poſteà *virulento* ex albo vireſcente, ſubequente *ſanguinis ſputo* copioſo cum febre lentâ, & totius corporis extenuatione. Tandem tument pedes, alvus ſolvitur, vires deficiunt & accedit lethum.

PULMONES Viſi ſunt pulmones toti ſuppurati; pure olido & fœtente ſolâ membranâ pulmonem ſuccingente contento. LOSSIUS.

OBS. 382. Juvenis octodecim annorum *phthiſi* per triennium oppreſſus, tandem macie confectus obiit. In thoracis diſſectâ regione pulmones dextri non ſunt inventi; quoniam fortè præ tabo laceri, ſuppurati, à puris acrimoniâ laniati, & ab adurente calore abſumpti ſunt: ità ut præter mucilaginem quamdam putridam, aſperæ arteriæ adnatam, nil ampliùs pulmonum loco conſpiceretur. ZACUTUS.

OBS. 383. Puer biennis *febre acutâ epidemicâ* corripitur; quam excipiunt *febris lenta*, *dyſpnœa*, *tuſſis*, alvi fluxus fœtidiſſimus, & mucoſus; vigiliæ & cibi faſtidium. Quibus poſt elapſum menſem ingraveſcentibus, prævio habitu œdematoſo, præfocatus interiit.

Reperiebatur totus pulmo ſiniſter in purulentiam converſus; adeò ut de parenchymate nullum ſupereſſet veſtigium, ſalvis corde & pericardio. CNOFELIUS.

OBS. 384. Juvenis duodetriginta annorum, *leucophlegmatiâ* laborans, inter remedia huic morbo dicata, repentinâ morte tollitur.

Thorax ſiniſter pure repletus invenitur, nullis fermè manentibus pulmonis reliquiis. Non tuſſiebat æger, in utrumque latus decumbebat: nullum, uno verbo, fuerat morbi pectoris indicium; quod ſaniè mirari ſubit. E NOSTRIS ADVERSARIIS.

OBS. 384. (*a*) Vir quidam quinquagenario major *febre hecticâ* abſque ullo pectoris dolore & ullâ decumbendi impotentiâ laborans, ad extremam maciem redactus obiit.

Luſtrato cadavere, liquamine defœdata occurrunt viſcera abdominalia; pulmones putredine ferè erant abſumpti & aqua in pericardio ſtagnabat. PORTAL.

OBS. 385. Secto cadavere cujuſdam *tumorem in regione hepatis dolore* in dies increſcente; adeò ut de purulentiâ inibi latitante, geſtantis, cum maxima erat ſuſpicio apud medicos. Hepar penè illæſum reperitur; ſed tota thoracis dextri

cavitas pure replebatur ; ità ut de pulmone vix exigua portiuncula conſpiceretur. WERNERUS.

PULMONES

OBS. 386. Quidam incidit in febrem, typum *duplicis tertianæ* ſervantem. Inter alia ſymptomata aderat *tuſſicula*, non continua.

Mortui aperto cadavere reperitur ſiniſtra pulmonis pars in ſaniem albicantem reſoluta, quæ pulmonis tunicâ, tanquam in ſacco continebatur : adeò ut nullum planè eſſet parenchymatis veſtigium. BONETUS.

OBS. 387. In cadavere cujuſdam *tabidæ*, macie confectæ ; occurrunt pulmones omninò putres, ferè conſumpti, quorum tantummodò ſuperſtites deprehendebantur ſummi lobi. Meſenterium inſuper erat ſcirrhoſum, & ſemi-corruptum. Hepar occurrebat ſcirrhoſum : lien erat juſto major & ſimili labe tactus. Renes denique calculis infarcti ad nigredinem vergebant. TIMŒUS.

OBS. 388. Vir quinquagenario major *aſthmaticus*, *febre acutâ* corripitur, cum *dolore* acerbiſſimo *ſiniſtri lateris*. Nauſeis urgentibus propinatur emeticum, quod convulſiones & lypothymias accerſit. Dein quaſi ſurdus & hebes evadit, cum pulſu debili. Sputa purulenta ægrè excernebantur, & ingruebat ſingultus vehementiſſimus. Quibus demùm quinto morbi die extinguitur.

Ne minimum erat pulmonis ſiniſtri veſtigium, corde maximo & materiæ purulentæ innatante. EX ACTIS PARISIENSIBUS.

OBS. 389. In cadavere pueri quatuor annos nati, *maraſmo* confecti, hepar erat ingens, & recondebat abſceſſum. Propè venam cavam, circà partem gibboſam pure circumquaquè obductam. Omentum vix erat conſpicuum. Pulmones, mirum dictu, nulli. Horum loco reperiebatur veſica membranoſa flatu repleta, venulis exiguis munita originem ſumens ab ipsâ aſperâ arteriâ. FONTANUS.

OBS. 390. Virgo quadraginta aunorum, à novem menſibus *phthiſi* laborabat, cum difficili decubitu in latus ſiniſtrum. Hanc morboſam corporis conſtitutionem haud moleſtè ferebat, cùm ſubitò inopinatâ morte rapitur.

Luſtrato cadavere invenitur pulmo dexter planè abſumptus ;

PULMONES exiguâ duntaxat bronchiorum parte ſuperſtite. Ejus locum replebat colluvies purulenta ſordida & fœtidiſſima. E NOSTR. ADVERSAR.

OBS. 391. Puella triennis diuturnâ *febre quartanâ* laborans, ſubitò *inexpectatâ morte* rapitur.

Aperto cadavere, viſi ſunt pulmones adeò contabuiſſe, ut nullum quaſi veſtigium appareret; ſed tantùm membrana pure repleta: cùm tamen nunquam, mirabile dictu, vel de tuſſi conqueſta fuiſſet, vel pus exſpuiſſet. NONNIUS.

OBS. 392. In cadavere puellæ à diuturno *aſthmate*, *tuſſi ſiccâ* & indeſinenti, plurimiſque *tumoribus ſcrophuloſis* in pede dextro, pus fundentibus, extinctæ; nullum in latere ſiniſtro deprehenditur pulmonis veſtigium; ſed tantùm materia dura, gypſea coſtis affixa, & membranâ obducta. BLEGNY.

OBS. 393. Cadàver cujuſdam viginis octodecim annorum, quæ poſt ſuppreſſos menſes, *hæmophthiſim* & mox *tabem* lethalem, cum difficili decubitu in latus dextrum, paſſa fuerat, exhibebat omentum putridum, & pulmonem dextrum ſaccum pure repletum referentem. Erat præterea hydrops pectoris, pericardii, & abdominis. MANGET.

OBS. 393. (*a*) Secto cadavere cujuſdam *poſt lapſum* & *diuturnum languorem* extincti; pulmo ſiniſter totus evanuerat; ac ejus loco multum viſcidæ aquæ ſubfœtidæ, concreſcibilis ad ſpeciem albuminis, in pectore fuit. Dexter pulmo olidus, eroſus & ulceribus plenus annotatur. Pericardium ſterno vehementer adnatum conſpiciebatur. CLAR. HALLER.

OBS. 394. Quidam catarrho acri & contumaci decumbens; affligebatur *arthritide*, & gonagrâ, renum calculo & *pulmonis vomicâ*. Tandem macie confectus obiit.

Reperiebatur tota pulmonum ſubſtantia in pus fœtidum converſa, propriâ viſceris capſulâ contentum. Renes præterea erant calculis infarcti. FORESTUS.

OBS. 395. In cadavere cujuſdam qui per duos menſes paucâ *tuſſi* laborabat, nullâ ſpirandi difficultate; nec materiæ purulentæ ejectione, reperiebatur tota thoracis ſiniſtri cavitas aquâ purulentâ repleta. Ac nulla pulmonis ſiniſtri pars conſpiciebatur. PANAROLUS.

OBS 396. In cadavere *phthiſici* inveniuntur pulmones unius lateris abſumpti, & in pus converſi. Abdomen etiam magnam puris copiam recondebat, abſque viſcerum, duntaxat denigratorum, corruptione. PLATERUS. PULMONES

OBS 397. In cadavere *tabidæ* octodecim annorum occurrit hepar ingens, coloris cineritii. Lien quoque decolor & exanguis obſervatur. Pulmo ſiniſter totus erat abſumptus, vel in pus commutatus; & dexter arctè coſtis accretus. HARDERUS.

OBS. 398. In cadaveribus variorum *phthiſicorum* deprehenditur pulmo alterutrius lateris, corruptus & in pus converſus vaſis juxtà cor callo occluſis, & oblitteratis. Nonnunquam etiam mediaſtinum & pericardium purulentiâ defœdantur. PLATERUS.

OBS. 399. Cadaver cujuſdam virginis *phthiſi* extinctæ, exhibebat ſiniſtrum thoracis cavum ingenti materiæ purulentæ & fœculentæ, pultis inſtar liqueſcentis, copiâ repletum; exiguâ ſaltem pulmonum ſubſtantiâ ſuperſtite. E MISCELL. CURIOSIS.

OBS. 400. Inter exenterationem cujuſdam *phthiſici*, pulmo dexter planè conſumptus invenitur, exiguo ſaltem reſiduo, minutiſſimæ inſtar ſpongiolæ exſiccatæ; ſiniſtro prorsùs illæſo. SALMUTHUS.

OBS. 401. In cadavere puelli decimeſtris deprehenditur in ſiniſtro pectoris latere, puris viridis & fœtidiſſimi copia inſignis; adeò ut pulmonis vix eſſent veſtigia. BONETUS.

OBS. 402. Inſtitutâ ſectione cadaveris cujuſdam *phthiſici*, occurrit intrà pectus purulentia adeò copioſa, ut pulmonum corruptorum & exulceratorum reſiduæ particulæ, in pure quaſi natarent. HORSTIUS.

OBS. 403. In cadaveribus *phthiſicorum*, ſæpiùs pulmonis parenchyma æquali attritione ità diſſolutum conſpicitur, ut

PULMONES in putrilaginem, limi quamdam ſpeciem præ ſe ferentem; redactum videatur. BENNETUS.

Ad traditas accedunt obſervationes Libr. I. 218, 585, 685, 1571, 1774. Libr. II. 135, 155, 156, 157, 406, 518, 624, 675, 678, 934. Vide præterea *Colluvies ſordida pectoris.*

## *Pulmones falsò incuſati.*

OBS. 404. Inſtitutâ ſectione corporis cujuſdam pauperculæ, uti videbatur, *phthiſicæ;* quæ ſcilicet ſputa flava ſubviridia, craſſa & copioſiſſima, fundum aquæ ſalſæ illicò petentia, jampridem ejiciebat; adeò ut de pulmone abſumpto apud medicos cogitaretur; deprehendebatur pulmo ſiniſter plevræ & pericardio accretus; qui ſanè accurato examini ſubmiſſus, & diverſimodè ſectus, nullum exhibuit, nec purulentiæ, nec putriditatis veſtigium. CLAR. HAEN.

OBS. 404. (*a*) Quidam circà trigeſimum ætatis annum, *tuſſi cum ſputo ſordido*; febre lentâ, macie, aliiſque phthiſeos ſymptomatibus laborabat. Incaſsùm adhibitis opportunis, uti videbatur remediis, tandem ſupremum diem obiit.

Pulmones occurrunt integerrimi & planè inculpati. Pancreas verò tumidum & ſcirrhoſum annotatur; hujuſce læſionis etiam conſors erat meſenterium. PORTAL.

Pro affinibus recenſeri debent obſervationes. Libr. I. 273, 533; Libr. II. 419, 447; Libr. III. 180; Libr. IV. 48.

*De Pulmonum cicatrice.* Vide Libr. III. Obſerv. 444.

*Finis Tomi I.*

# EXTRAIT DES REGISTRES DE L'ACADÉMIE Royale des Sciences.

Du vingt Mai mil ſept cent ſoixante-ſept.

MESSIEURS Senac & Petit, qui avoient été nommés pour examiner un Ouvrage de M. Lieutaud, intitulé *Hiſtoria anatomico-medica*, &c. en ayant fait leur rapport, l'Academie a jugé cet Ouvrage digne de l'impreſſion; en foi de quoi j'ai ſigné le préſent certificat. A Paris, le 20 Mai 1767.

GRANDJEAN DE FOUCHY,
*Secrétaire perpétuel de l'Académie Royale des Sciences.*

## PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre: A nos amés & féaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conſeil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Nos bien-amés LES MEMBRES DE L'ACADEMIE ROYALE DES SCIENCES de notre bonne Ville de Paris, Nous ont fait expoſer qu'ils auroient beſoin de nos Lettres de Privilége pour l'impreſſion de leurs Ouvrages: A CES CAUSES, voulant favorablement traiter les Expoſans, Nous leur avons permis & permettons par ces Préſentes de faire imprimer par tel Imprimeur qu'ils voudront choiſir, toutes les Recherches ou Obſervations journalieres, ou Relations annuelles de tout ce qui aura été fait dans les Aſſemblées de ladite Académie Royale des Sciences, les Ouvrages, Mémoires ou Traités de chacun des Particuliers qui la compoſent, & généralement tout ce que ladite Académie voudra faire paroître, après avoir fait examiner leſdits Ouvrages, & jugé qu'ils ſont dignes de l'impreſſion, en tels volumes, forme, marge, caracteres, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon leur ſemblera, & de les faire vendre, & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de vingt années conſécutives; à compter du jour de la date des Préſentes, ſans toutefois qu'à l'occaſion des Ouvrages ci-deſſus ſpécifiés il puiſſe en être imprimé d'autres qui ne ſoient pas de ladite Académie: Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance, comme auſſi à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre & débiter leſdits Ouvrages, en tout ou en partie, & d'en faire aucunes traductions ou extraits, ſous quelque prétexte que ce puiſſe être, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit deſdits Expoſans, ou de ceux qui auront droit d'eux, à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers auxdits Expoſans ou à celui qui aura droit d'eux, & de tous dépens, dommages & intérêts; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de

la date d'icelles; que l'impreſſion deſdits Ouvrages ſera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & beaux caracteres, conformément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant de les expoſer en vente, les Manuſcrits qui auront ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Ouvrages, ſeront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le ſieur DAGUESSEAU, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres, & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un en celle de notre Château du Louvre, un en celle de notredit très-cher & féal Chevalier le ſieur DAGUESSEAU, Chancelier de France, le tout à peine de nullité deſdites Préſentes: du contenu deſquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir leſdits Expoſans & leurs ayans cauſe, pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie deſdites Préſentes, qui ſera imprimée tout au long au commencement ou à la fin deſdits Ouvrages, ſoit tenue pour dûement ſignifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés, féaux Conſeillers & Secrétaires, foi ſoit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire, pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, & nonobſtant Clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt notre plaiſir. DONNÉ à Paris, le onzieme jour du mois d'Août, l'an de grace mil ſept cent cinquante, & de notre Regne le trente-neuviéme. Par le Roi en ſon Conſeil. MOL.

*Regiſtré ſur le Regiſtre XII de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N° 430, Fol. 409, conformément au Réglement de 1723, qui fait défenſes, article 4, à toutes perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre, ſoit qu'ils s'en diſent les Auteurs ou autrement; à la charge de fournir à la ſuſdite Chambre huit Exemplaires de chacun, preſcrits par l'article 108 du même Réglement. A Paris, le 5 Juin 1750.*

*Signé* LE GRAS, *Syndic.*

# *E X T R A I T* du *Catalogue* de *V I N C E N T.*

## *MÉDECINE, CHIRURGIE, ET PHARMACIE.*

les Abus de la Saignée, démontrés par des raiſons priſes de la nature & de la pratique des plus célébres Médecins de tous les tems; avec un Appendix ſur les moyens de perfectionner la Médecine, in-12, *ſous preſſe.*

Alberti *Haller* ad Ant. *de Haen* difficultates apologia, de irritabilitate, in-8°, *broch.* 12 ſ.

L'Amputation à lambeau, ou nouvelle méthode d'amputer les membres, par *Verduyn*, traduction nouvelle, avec des augmentations conſidérables, par *Maſſuet*, in-8°, *Figures*, 4 l.

L'Anatomie *d'Heiſter*, avec des Eſſais de Phyſique, ſur l'uſage des parties du corps humain, par M. *Senac*, premier médecin du Roi, nouvelle édition, augmentée de notes ſur les nouvelles découvertes, *avec Fig.* in-12, 3 vol. 7 l. 10 ſ.

Aphoriſmes de M. *Boerhaave*, ſur la connoiſſance & la cure des maladies, traduits en françois par M. *Delametrie*, nouvelle édition, revue & corrigée, in-12, 3 l.

*Avis au peuple ſur ſa ſanté, par M. *Tiſſot*, nouvelle édition augmentée, les 2 vol. en un, in-12 1767, 3 l.

Cartes Anatomiques ſur la myologie & l'artériologie, par M. *Chirol*, Chirurgien, 1 l. 10 ſ.

Collection de Theſes médico-chirurgicales ſur les points les plus importans de la Chirurgie théorique & pratique, publiées par M. le Baron de *Haller*, rédigées en françois par M. *Macquard*, D. M. P. in-12, 5 vol. 1760, *Fig.* 12 l. 10 ſ.
——— Séparément les tomes II, III. 5 l.
——— Et les tomes IV & V. 5 l.

Conſultationes & Reſponſa, auct. *Boerhaave*, in-12 *ſous preſſe.*

Conſultations choiſies de pluſieurs médecins célébres de l'univerſité de Montpellier, ſur les maladies aiguës & chroniques, in 12, 10 vol. 25 l.
——— Séparément les tomes I, II, III, IV, 10 l.
——— Et les tomes V, VI, VII, VIII, 10 l.
——— Et les tomes IX, X, 5 l.

Deſcription abrégée des Maladies qui regnent le plus communément dans les Armées; avec la méthode de les traiter, par M. le Baron de *Van-Swieten*, premier médecin de la Reine de Hongrie, in-12, nouvelle édition, 1761, 2 l.

Deſcription de la Veſſie urinaire de l'homme & des Parties qui en dépendent, par *Parſons*, in-12, *avec Fig.* 2 l.

Deſmographie, ou deſcription des ligamens du Corps humain, par M. *Tarin*, in-8°, *Fig.* 3 l.

Dictionnaire hiſtorique des Animaux, in-8°, *ſous pr.*

Dictionnaire portatif d'Anatomie, & de Phyſiologie in-8°, 2 vol. petit format, 1766, 10 l.

Dictionnaire portatif de Chirurgie & Pharmacie, ſervant de ſuite au Dictionnaire de ſanté, in-8° petit format, *ſous preſſe.*

Dictionnaire portatif de ſanté, dans lequel tout le monde peut prendre une connoiſſance ſuffiſante de toutes les maladies: des différens ſignes qui les caractériſent chacune en particulier: des moyens les plus ſûrs pour s'en préſerver: & des remedes les plus efficaces pour ſe guérir: & enfin de toutes les inſtructions néceſſaires pour être ſoi-même ſon propre médecin, par M. *L****, ancien médecin des Armées du Roi, & M. D. B***, médecin des Hôpitaux, in-8°, 2 vol. troiſieme édition, 1761, 9 l.

Dictionnaire univerſel de Médecine, de Chymie, de Botanique, de Chirurgie, d'Anatomie, de Pharmacie, &c. traduit de l'Anglois de M. *James*, in-fol. 6 vol. *ſous preſſe.*

Diſcours ſur la Chirurgie, par M. *Thomas d'Onglée*, *M. P.* in-12, *broch.* 12 ſ.

Diſſertation anatomique & pratique de M. *Curzio*, ſur une Maladie de la Peau d'une eſpece fort rare & fort ſinguliere, traduite par M. *Vandermonde*, D. M. P. in-12, 3 l. 10 ſ.

Diſſertation ſur les Eaux minérales d'Aumale ; avec des obſervations ſur les maladies qu'elles ont guéries, par M. *Marteau*, médecin, in 12, *broch.* 12 ſ.

Diſſertation ſur les Vapeurs, Pertes de ſang, Pertes blanches, Groſſeſſes & Couches, &c. par M. *Maria*, in-12, 1759, 2 l.

Elémens de Chymie, par M. *Boerhaave*, in-12 6 vol. *avec Fig.* 15 l.

Eſſai ſur la maniere de perfectionner l'eſpece humaine, par M. *Vandermonde*, D. M. P. in-12 2 vol. 5 l.

Eſſai ſur les Alimens, pour ſervir de Commentaire aux Livres diététiques *d'Hippocrate*, par M. *Lorry*, D. M. P. in-12, 2 vol. 5 l.

Eſſai ſur les maladies de Dunkerque, par M. *Tully*, médecin, in-12, 1760, 2 l.

Eſſais ſur les maladies vaporeuſes, hypocondriaques & hyſtériques, in-12, *ſous preſſe.*

Eſſai ſur les Vertus de l'eau de Chaux, pour la guériſon de la Pierre, de M. *Whytt* ; & la méthode de diſſoudre la Pierre par la voie des injections de M. *Butler*, traduits par M. *Roux*, D. M. P. nouv. édit. in-12, 1766, 2 l. 10 ſ.

Eſſais anatomiques, contenant l'hiſtoire exacte de toutes les parties qui compoſent le corps de l'homme, avec la maniere de les découvrir & les démontrer, ornés de figures, par M. *Lieutaud*, nouvelle édition, in-8°, 1766, 7 l.

Expoſition anatomique de toutes les parties du Corps humain, par *M. Winſlow*, nouvelle edition faite ſur un exemplaire corrigé & augmenté par l'Auteur, à laquelle on a joint de nouvelles figures & tables qui en facilitent l'uſage, & la vie de l'Auteur, in-12, 4 vol. 1766, 12 l.

Familles des Plantes, par M. *Adanſon* de l'Académie Royale des Sciences, in-8°, 2 vol. 1764, 12 l.

Formation du Cœur dans le Poulet, par M. de *Haller*, in 12, 2 vol. 5 l.

Hiſtoire de Drogues tant ſimples que compoſées, par M. *Pomet*, in 4°, 2 vol. *Fig.* 18 l.

Hiſtoria anatomico-medica ; ſiſtens numeroſiſſima cadaverum extiſpicia, quibus in apricum venit genuina morborum ſedes ; horumque obviæ fiunt cauſæ, vel referantur effectus, auctore *Lieutaud*, cum obſervationibus *Portal*, in-4°, 2 vol. 1767, 20 l.

Hiſtoria Morborum Uraſtilavienſium, auct. *Haller*, in-4°, 8 l.

de l'Homme & de la reproduction des différens individus, pour ſervir d'introduction à l'Hiſtoire naturelle de M. *Buffon*, in-12, 1 l. 10 ſ.

les Inſtitutions de Médecine de M. *Boerhaave*, in-12 2 vol. 1760, 5 l.

Inſtitutions de Médecine de M. *Boerhaave*, avec un Commentaire par M. *Delametrie*, médecin, ſeconde édition, in-12, 8 vol. 20 l.

—— Les Tomes IV, V, VI, VII & VIII, ſéparément, à 50 ſols le volume.

Introduction au Dictionnaire de ſanté, in 8°, *ſous pr.*

Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie, &c. in-8°. *Il en paroît un Cahier chaque mois, qui ſe vend ſeize ſols. On ſouſcrit pour les douze Cahiers par an, 9 liv. 12 ſols. Le port par la Poſte eſt 4 ſols par Cahier, dans toutes les Villes du Royaume, que l'on paie d'avance.*

Leçons ſur la Pierre. *Voyez* Maladies des yeux.

Lettre de M. *Buttini* ſur la cauſe de la non-pulſation des Veines, in-8°, *broch.* 12 ſ.

Lettres ſur la certitude des ſignes de la mort, où l'on raſſure les citoyens de la crainte d'être enterrés vivans ; avec des obſervations ſur les Noyés, par M. *Louis* ſecrétaire de l'Académie de Chirurgie de Paris, in-12, nouv. édit. *ſous preſſe.*

Lettres ſur la minéralogie & la métallurgie, in-8°, 2 l. 10 ſ.

Lettres ſur pluſieurs maladies des yeux cauſées par le rouge & le blanc, par *M. Deshayes Gendron*, D. M. P. in-12, *broch.* 6 ſ.

Maladies des yeux, par M. *Boerhaave*, à quoi l'on a joint ſon Introduction à la pratique Clinique, & ſes Leçons ſur la Pierre, in-12, *Fig.* 2 l. 10 ſ.

Manuel de la Sage-femme, *ſous preſſe.*

* Manuel des Dames de Charité, ou formules de

médicamens faciles à préparer, cinquieme édition, augmentée, in-12, 1766, 3 l.

le Médecin des Dames, par M. *Goulin*, in-12, *ſous preſſe*.

le Médecin des jeunes-gens, par M. *Vaillant*, in-12 *ſous preſſe*.

Mémoire ſur la conſtruction d'un inſtrument pour tirer l'urine de la Veſſie. *Voyez* Traité de la Gonorrhée.

Mémoires ſur la formation des Os, par M. *de Haller*, in-12, 2 l.

Mémoires ſur la nature ſenſible & irritable des parties du corps animal, par M. *de Haller*, in-12 4 vol. 1760, 10 l.

Mémoires ſur le mouvement du Sang, par M. *de Haller*, in-8°, 3 l.

Mémoires ſur les Eaux minérales d'Ax, par M. *Sicre*, Chirurgien, in-8°, *broch.* 12 ſ.

Méthode de tailler au petit appareil, traduite du latin d'*Heiſter*, in-8°, 2 l. 10 ſ.

Méthode de traiter les plaies d'armes à feu, par M. *Ramby*, premier Chirurgien du Roi d'Angleterre, in-12, 2 l.

Méthode générale d'analyſes, ou Recherches phyſiques ſur les moyens de connoître les Eaux minérales, traduite de l'Anglois par M. *Coſte*, Médecin, in-12, 2 l. 10 ſ.

Minéralogie ou Nouvelle Expoſition du Régne minéral, avec un Dictionnaire nomenclateur, & des Tables ſynoptiques, par M. *Valmont de Bomare*, in-8°, 2 vol. 1762, 10 l.

de Morbo nigro, Schirris viſcerum, Cephaleâ, Inoculatione, Irritabilitate, cum Cadaverum ſectionibus, auctore *Tiſſot*, in-12. 1 l. 10 ſ.

Nouvelles Obſervations ſur le Pouls intermittent, de M. *Cox*, médecin de Londres, pour ſervir de ſuite aux *Recherches ſur le Pouls, par rapport aux Criſes*, par M. *de Bordeu*, D. M. P. in-12. nouv. édit. 1766, 2 l. 10 ſ.

Obſervations chirurgicales ſur les maladies de l'urethre, traitées ſuivant une nouvelle méthode, par M. *Daran*, Chirurgien du Roi, cinquieme édition, 1767, in-12, 7 l. 10 ſ.

Obſervations de Chirurgie pratique, par *Chabert* in-12, 2 l. 10 ſ.

Obſervations ſur les Eaux & Boues de S. Amand.

Obſervations ſur les Noyés. *Voyez* Lettres ſur les ſignes de la mort.

Obſervations ſur le pouls, par M *Menuret*.

l'Opticien, ou Lettre ſur les vues courtes & louches in-12, *broch.* 6 l.

Opuſcula minora, auctore *Haller*, in-4°, *Fig.* deux vol. en un, 15 l.

Opuſcula Pathologica, auct. *Haller*, in-8°, *Fig.* 3 l.

Opuſcules chymiques de M. *Margraf*, publiés & corrigés par lui-même, in-12, 2 vol. 1762, 5 l.

Parallele de la Taille latérale de M Lecat, avec celle du Lithotome caché, in-8°, *figures*, 6 l.

Pharmacopée univerſelle raiſonnée de *Quincy*, traduite de l'Anglois, in-4°, *ſous preſſe*.

Pharmacopée galénique & chymique de Charras, nouvelle édition augmentée par M. *Lemonier*, D M. P. in-4°, 12 l.

Phyſiologia corporis humani, auct. *Haller*, in-4° 5 vol. 60 l.

Phyſiologie de M. *Senac*. *Voyez* Anatomie *d'Heiſter*.

ſix Planches d'Accouchemens, par M. *Jenthy*, médecin Anglois, avec les Tables, *en couleur noire*, 1759, 18 l.

——— Les mêmes, *enluminées*, 72 l.

quatre Planches du Squelette, par le même, avec les Tables, *en couleur noire*, 1759, 40 l.

——— Les mêmes, *enluminées*, 96 l.

Précis de la Chirurgie pratique, in-8°, *ſous preſſe*.

Précis de la Medecine pratique, contenant l'hiſtoire des maladies, avec des obſervations ſur les points les plus intéreſſans, par M. *Lieutaud*, médecin des Enfans de France, in-8°, nouvelle édition, 1761, 6 l.

Précis de la Matiere médicale, contenant les médicamens éprouvés, tant officinaux que magiſtraux, &c. par le même, in-8°, 1766. 6 l.

Recherches hiſtoriques & critiques ſur les différens moyens de réfroidir les liqueurs, par M. *Roux*, D. M. P. in-12, *ſous preſſe*.

* Recherches ſur le pouls, par rapport aux criſes, par M. *de Bordeu*, D M. P. in-12, 2 vol. nouv. édition augmentée 1767, 5 l.

Recherches ſur les différens mouvemens de la matiere électrique, dédiées à M. l'Abbé *Nollet*, par M. *Dutour*, de l'Académie Royale des Sciences, in-12, *Fig.* 1760, 3 l.

Recueil de Piéces concernant l'Inoculation de la petite Vérole, & propres à en prouver la ſécurité & l'utilité, in-12, 2 l. 10 ſ.

Recueil des Remedes faciles & domeſtiques, par Madame *Fouquet*, in-12, 2 vol. derniere édition, 1765, 5 l.

Recueil ſur l'Electricité médicale, dans lequel on a raſſemblé les piéces publiées ſur les moyens de guérir en électriſant les malades, ſeconde édition, in-12, 2 vol. 1763, 5 l.

* Tableau des maladies, par *Lommius*, ou Deſcription exacte de toutes les maladies qui attaquent le Corps humain, avec leurs ſignes diagnoſtics & prognoſtics ; ouvrage ſervant d'introduction au Manuel des Dames de Charité, traduction nouv. par M. l'Abbé *le Maſcrier*, nouvelle édition, in-12, 1766, 2 l. 10 ſ.

Théorie nouvelle du Flux menſtruel & curation des maladies de la tête, de M. *Robert Emett*, médecin, in-12, 2 l.

la Théorie chymique de la terre, ſuivant les principes de M. *Boerhaave*; auquel on a joint le Traité du Vertige, avec une Lettre à M. *Aſtruc* ſur les maladies Vénériennes, par M. *Delamétrie*, médecin, in-12, 2 l. 10 ſ.

Traduction des Ouvrages de *Celſe* ſur la Médecine & la Chirurgie, par M. *Ninnin*, médecin, in-12, 2 vol. 5 l.

Traité complet de la Gonorrhée virulente des hommes & des femmes & la maniere de la traiter, &c. ſuivi d'un mémoire ſur un inſtrument pour tirer l'urine de la veſſie, par M. *Daran* Chirurgien du Roi, in-12, *avec Fig.* 2 l. 10 ſ.

Traité de la matiere médicale, pour ſervir à la compoſition des remedes indiqués dans les Aphoriſmes de M. *Boerhaave*; auquel on a joint les opérations chymiques du même Auteur, trad. par M. *Delametrie*, in-12, 2 l. 10 ſ.

Traité de la petite Vérole, avec la maniere de la guérir, ſuivant les principes de M. *Boerhaave*; par M. *Delametrie*, in-12, 2 l. 10 ſ.

Traité de la Structure du Cœur, de ſon Action, & de ſes maladies ; par M *Senac*, premier médecin du Roi, in-4°, 2 vol. *Fig.* 21 l.

Traité de l'Opération de la Taille, par M. *Collot* in-12, 2 l. 10 ſ.

Traité d'Oſtéologie, dans lequel, après la deſcription exacte des Os & l'explication de leurs mouvemens, on indique les inſertions des Muſcles, l'attache des Ligamens & des Cartilages, le cours des Vaiſſeaux & des Nerfs, par M. *Bertin*, D. M. P. in-12, 4 vol. 10 l.

* Traité des Accouchemens, contenant des obſervations importantes ſur la pratique de cet Art par M. *Puzos*, Chirurgien de Paris, in-4°, *ſous preſſe.*

Traité des Fiévres malignes, peſtilentielles, & autres, avec des Conſultations ſur pluſieurs ſortes de maladies, par M. *Chirac*, D. M. M. in-12 2 vol. 5 l.

Traité des maladies vénériennes, traduit du latin de M. *Boerhaave*, in-12, 2 l. 10 ſ.

Traité des parties qui ſervent de paſſage à l'urine, & des maladies qui affectent les parties, ſur-tout de la Pierre dans les Reins & dans la Veſſie, par M *Rutty*, médecin, in-12, *Fig.* 2 l. 10 ſ.

nouveau Traité du Pouls, par M. *Menuret*, pour ſervir de ſuite à celui de M. de *Bordeu*, & à celui de M. *Cox*, in-12, *ſous preſſe.*

Traité du Vertige. *Voyez* Théorie de la terre.

les Vapeurs & Maladies nerveuſes, hypocondriaques ou hyſtériques ; reconnues & traitées dans les deux ſexes, traduites de l'anglois de M. *Whytt* : on y a joint l'Expoſition anatomique des nerfs par M. *Monro*, & l'Extrait des principaux ouvrages ſur cette matiere, in-12, 2 vol. 1767, *avec Fig.* 6 l.

de la Vertu des Médicamens, par M. *Boerhaave*, in-12, *ſous preſſe.*

qu'ont subis le baromètre et le thermomètre pendant cet espace de temps.

Fièvres contagieuses et sporadiques.

Dans un discours préliminaire, il nous rend compte de l'esprit qui l'a guidé dans la composition de son ouvrage, pour lequel il s'est proposé de suivre la méthode analytique de *M. Pinel*, auquel il paye un juste tribut de louanges, pour avoir su, le premier, débrouiller le chaos de la médecine. — En parlant des affections morales tristes, ou trop vives, qui ont si puissamment contribué à faire développer, ou du moins à propager l'épidémie, il rappelle les maux dont la guerre est suivie : tableau triste et horrible, dit-il, qu'il est utile cependant de mettre sous les yeux, pour inspirer une juste horreur contre la guerre, et ceux qui se délectent à la faire ; il note aussi, comme agissant d'une manière moins forte, et moins triste à la vérité, mais plus persévérante et plus dangereuse, les égaremens de l'imagination, les écarts de la raison, la dissolution des mœurs, d'autant plus grande, que les freins de la morale sont plus affoiblis, et que les mauvais exemples viennent des rangs les plus élevés. Il en prend occasion de s'élever avec force contre *les progrès, toujours croissans, de ces funestes doctrines, qui font de l'être qui pense, qui aime et qui raisonne, un vil animal, borné à la seule existence du moment, qui n'a d'autre bonheur que celui des brutes; comme si*, ajoute-t-il ingénieusement, *le plaisir de croire, d'aimer et d'espérer, même des choses imaginaires, n'étoit pas lui-même un bonheur!* . . . . . Il s'applique à faire sentir que, de la morale, dépendent la santé même et le bonheur. — Ce discours préliminaire est terminé par une *note extraite d'un ouvrage commencé depuis plusieurs an-*



premier mot des renvois à d'autres articles supplémentaires. Quand au second, il eût fallu dire quelque chose de la méthode d'administrer le mercure par *extinction*.

Dictionnaire des sciences médicales.

Les articles EXTIRPATION et EXTRACTION, l'un de M. PETIT, l'autre de M. LAURENT, sont raisonnés d'après les meilleurs principes; ce sont deux procédés manuels, dont les succès se mesurent à la justesse du coup d'œil, et à l'habitude acquise du chirurgien. M. Laurent, nouveau collaborateur du Dictionnaire, paroît avoir mis à profit d'heureuses inspirations, auprès de nos premières autorités de chirurgie militaire.

J'aurois désiré que le mot EXTRACTION, dans ce qui concerne la *cataracte*, n'eût point été oublié : il y avoit lieu au moins à un article de renvoi.

On voit M. VAIDY rivaliser avec M. CADET DE GASSICOURT, sur le mot EXTRAIT et ses analogues.

Des recherches savantes sur l'EXTROVERSION, ou renversement en-dehors de certains viscères, particulièrement de la vessie, sont dues à M. BRESCHET.

La lettre F commence par le mot FACE, que MM. VIREY, et LANDRÉ-BEAUVAIS ont traité tour à tour dans le sens de la physiognomonie et de la séméiotique.

On retrouve à l'article FACIAL, tout ce qui regarde, à ce sujet, la doctrine de camper, avec des planches explicatives. Ce travail appartient à M. RENAULDIN.

FACULTÉ, force ou qualité active, que l'on ne doit confondre ni avec *fonction*, ni avec *propriété*, est, sous la plume de M. RULLIER, la matière d'un article raisonné dans les meilleurs rapports avec l'i-